


DE CURANDIS HOMINUM MORBIS EPITOME

PRAELECTIONIBUS ACADEMICIS DICATA

AUCTORE

JOANNE PETRO FRANK

EDITIO NOVA

CUI PRAEMITTITUR AUCTORIS BIOGRAPHIA
CURANTE N. M. SORMANI MEDICINAE UTRIUSQUE DOCTORE
AC NOSOCOMII CIVICI MEDIOLANENSIS M. A.

ACCEDUNT

EJUSDEM J. P. FRANK INTERPRETATIONES CLINICAE
UNA CUM DISSERTATIONE DE COLUMNAE VERTEBRALIS
IN MORBIS DIGNITATE

VOLUMEN TERTIUM

FLORENTIAE

APUD COEN ET SOCIOS

M.DCCC.XXXII

DE CURANDIS
PROFLUVIIS
LIBRI V. PARS I.

CLASSIS QUINTA

PROFLUVIA



GENERALIA DE PROFLUVIIS

§. CDLXIII. *Integritas corporis.*

Sub statu valetudinis perfectae, humores, in *animalem* jam *materiam subacti*, alii, per *circulum* vitalem abrepti, in vasis sui generis, aut singulas ad partes decurrunt, aut ab istis, vel continuato itinere, vel resorpti, communem ad fontem revehuntur; alii, ad certos naturae fines exhalati, *secreti*, mox proprios in usus colliguntur; mox, ob continuas necessitates, sine quavis interruptione, per opportunos canales praefixa in loca distillant; mox, artificio mirabili, qui tardius effluerent, celeriores ad motus coacti, cum impetu prosiliunt; alii, vel inutiles ac superflui, vel ob noxas, quas, diutius detenti, acriores, inferrent, a sanis separari, — hîc, vaporis sub forma, atmosphaerae continuo restitui, — illinc, communes in alveos guttatim deponi, et ab istis vel, a mole excitatis, periodice *excerni*; vel, insolita liquoris acrimonia stimulatis, sine noxa *expelli*, observantur.

Sed et illam, quae needum penitus in animalem naturam conversa est, ac tubo alimentari includitur, *semidigestam materiam*, ut corpori nutrimento esse queat, tum ventriculo, tum intestinis certo temporis intervallo detineri, ac resorbentium vasorum actioni

exponi oportet; atque in ipsis humorum ciborumque recrementis e corpore eliminandis natura nequidquam festinat; sed partem istorum, incognitos oeconomiae animalis ad usus, sine *putredinis* formidine, sibi ipsi reservat, et custodes, ne citius et indecore aufugerent, canalium excernentium ad ostia constituit.

§. CDLXIV. *Profluvii definitio.*

Quotiescunque vero, aut *solidorum continentium*, aut decurrentis, quiescentis *contenti* in his ipsis *fluidi*, aut utrorumque ex vitio, vel citius, uberius, quam par est, vel loco ac tempore non aequis, quae diutius, aut semper ex liquidis retineri oportuisset, amittuntur; toties et statum morbosum, quem *profluvium* vocamus, adesse dicimus. Quas scholae *incontinentias* dixerunt, — a *profluviis* hae aliter non differunt, quam quod in illis materia ad leges naturae, in cavo visceris collecta, ac certum per tempus peculiaris *vi organi* et *voluntatis* imperio, retinenda, nolentibus aufugiat; in istis humor aut morbose secretus, aut suis e vasis profusus, vel tempore, vel loco, vel copia insolitis excedat. Ad *classem* constituendam, vix interest, num *febris* aliqua hunc statum, — an vero nulla, comitetur; an solidorum vel *impulsu*, vel *cessione*, humores aufugiant; cum illud ipsum, quod impellit, aut relaxat, tam varium, — nec minus, quam febris, aut apyrexia, a *profluvio* distinctum est; quin igitur hanc classem aegritudinum, subtiliores quam par est Nosologi, morborum elencho, qui nusquam istorum indolem et causas, sub naturalis defectu systematis, satis exprimit, excludant. Nos plures hinc morbos, licet indole atque causis, quae innumeras ejusdem rei sectiones exigerent, diversos, ob hoc unum, quod fluida, sanitatis praeter leges, perduntur, *profluviorum* sub titulo conjunctim describemus; sed in generum specierumque divisione, eorundem origines, affinitates, discrepantias, ut alibi jam fecimus, sollicite adnotabimus.

§. CDLXV. *Diversitas.*

Hoc in opere praestando, diversa liquidorum, quae suis ex alveis, naturae praeter leges, aut *placide di-*

stillant, aut *jugiter effluunt*, aut *cum impetu praecipitant*, natura, dicendorum nobis ordinem suggeret: ut primum, de *serosi*, — mox de *mucosi*, — ac demum de *cruenti* liquoris morboso profluvio, aut simplici, aut aliis tum liquidis tum solidis alimentorum reliquiis *remisto*, disseramus. Mox ut *primaria* hi fluxus affectio, — mox aliorum ut morborum *symptoma* aut *signum*, vel ut longinquae irritationis *consensualis* effectus, — atque nunc *aucto*, nunc *imminuto* sub *vitalis potentiae tenore*, incedunt; sed frequenter, nunc maximarum aegritudinum, nunc *criticam* ipsius salutis, scaturiginem uberrimam constituunt. Interim non *totius* ubique vitio, sed, non raro exemplo, ex *locali*, et ad partem, ex qua humor propullulat, restricta affectione, profluvia, — nunc *acutarum* sub periculo aegritudinum, nunc *chronici* ac *habitualis* fere morbi sub specie, — nunc quovis *sine ordine*, nunc aequali sub *periodo*, — ac interdum *epidemicae constitutionis* sub imperio manifesto, vel *interne*, vel *exterius*, oriuntur; atque *febrem* nunc quamvis, continuam, intermittentem, nunc vero *nullam*, aut modo *secundariam*, agnoscunt.

§. CDLXVI. *Causae generales.* — *Solidorum actio adaucta*, — *Imminuta.* — *Tenuitas humorum.* — *Totius culpa.* — *Nervorum actio.* — *Plethora.* — *Causae secundariae.* — *Actio specifica.*

Sub tam densis doctrinae de vero rerum ortu tenebris, tantarum causas aegritudinum indicare, perardui laboris argumentum est. Hae interim vel in ipso vasorum aut *universo*, aut *speciali systemate*, — aut in morbosa, ab istius statu vitioso plerumque pendente, *fluidorum* natura, — aut *in utrisque simul*, quaerendae sunt; et ex illis, quae (§§. VIII. XCII. CXXV. CCLXXIV. CCLXXVI. CCCXCII.) de solidorum vel *aucta*, vel *imminuta* in fluida actione, ac istorum de vitiis monuimus, quin hîc singula repetamus, non difficulter eruuntur. Vel enim vis motrix humorum a stimulo quocunque universali, speciali, ultra modum excitata, nunc *in toto*, nunc *in partibus*, resistentiam vasorum propriam, ac aetáti, sexui, temperamento competentem, *excedit*, ac liquida a vinculis, quibus

a natura coërcentur, liberando, ea ipsa *cum impetu* data porta *expellit*; — vel ipsi, per quos haec ruunt, aut servantur, canales, ob causas multiplices, internas, externas, *languescunt*, a fluidis obruuntur, dilatantur, ac per oscula extrema, vel per ampliata, naturalia parietum interstitia, vel per novas, violentas scissuras, haec ipsa *transmittunt*, ac nunc in cava vicina interne, nunc exterius, *inermes profundunt*; — vel forsitan *glutine* liquidorum animalium naturali, per causas in hoc ipsum agentes, per contagia, miasmata, venena, vel acria ingesta, aliisque *soluto*, aut, nutrientis materiae diuturno defectu, per haemorrhagias praegressas, *subtracto*, haec ipsa, vel minori sub motu, vel febris sub impetu, aut laterales per poros, aut vasculorum per oras aufugiunt; — vel demum, ratione non satis intellecta, tum solida, tum fluida, a statu sanitatis quamplurimum aberrant, ac reciprocum imperium, et mutuas affinitates, *transfusionis* sic dictae exemplo, deponunt. In ipso interim solidorum vasorumque contextu, ac vitalitatis principio, vel stimulo quocunque agitatis, vel a materia fibris nervisque infensa, vel mechanica ratione infractis, obtusis, depressis, abolitis, potissimae profluviorum quaerendae sunt origines. Singularis ac haereditaria, aut congenita solidorum, vel pectoris, vel colli *structura* non paucas, easque integras, familias, quin labes humorum contribuere videatur, ac sub vivendi ratione meliori, ad pulmonum cerebrique profluvia disponit, ac inopinantes praecipitat. Vel sola jam hominis *aetas* diversa, profluviis ex parte corporis nunc ista, nunc illa, magis favet; ac feminei sicut sexus post alia evolvi perficique solent organa; ita fluxus morbosi ex istis, — alii, vix prius, quam pubertatis ab epocha, — alii, sat raro, nisi partus experto jam ab opere, solidorum certe nervorumque imperio, contingunt. Systematis vasorum libertas ad humorum distributionem requiritur aequalem; et si, alimentis pro universa machinae compage a stomacho robusto huic systemati fideliter transmissis, et hoc in alveo in sanguinem conversis, pars ramorum conspicua, aut membri majoris amputatione ablata, aut *repentina* compressione, aut vi spasmorum, occlusa, contracta, cruentum ad-

mittere torrentem recuset: hic ipse non raro, vi cordis non simul intercepta, secretiones quascunque alibi augere, aut certam visceribus violentiam inferre, ac morbosa generare profluvia observatur. Insignis sine dubio *nervorum* in vasa, quae, sensu licet vix magno instructa videantur, non descripto satis in anatomicis modo, tam copiosi tamen cingunt, et tam sollicite varii variique amplectuntur, pervadunt, potestas est. Quas non animi violentum pathema hoc in flumine cruento procellas mox provocat! et quantas, apud hominem fere solum, in praecordiis vasorum injurias hae turbae nervosae producunt! Vel mitior verecundia candidissimum juvenilis innocentiae vultum copioso jam sanguine inundat; sub gaudio non minus, quam sub moerore, ac sub rara cum infelicibus misericordia, mox abundans per genas ruit lacryma; a terrore, liquida mox alvus, — et sub hysterico insultu pallidissimae urinae copia insignis, deponuntur; a cibi desiderati vel odore, vel memoria, salivae fontes aperiuntur; a medicinae palato molestae, vel rei cujusvis ingratae aspectu, tum stomachus, tum intestina evacuantur in aliis: quae si in sanis adeo hominibus contingant; quam saepe in morbis a nervorum auctoritate profluvia pendere queant, non difficulter eruitur. Vel ipsam phlogosin localis nervorum praecedit irritatio, et sub ista tam affluxus humorum increscit, quam secretio augetur, immutatur, et ex vasis affectis liquida in cellularem, aut cava vicina exprimuntur; aut seri, muci puriformis, aut sanguinis sinceri per tracheam, urethram, vaginam, anum, inducitur profluvium. Ex vitio contrario, ex uteri a foetu repentine liberati debilitate, atonia, abundans puerperae ex sinu cruor praecipitat: quem sola frigidae aspersio, genitalibus externis applicatio, nervosae certe actionis auxilio, coërcet.

Hinc rarius, ac scholae quondam asserebant, profluvia ex fluidorum tenuitate scaturiunt; ac si forte talis occurrat, solidorum sine labe vix oritur, et istorum magis culpa humores vasa deserunt in morbis. *Plethorae universalis*, nisi, ut vocant pathologi, *ad vasa*, in sanis vix unquam occurrit exemplum; sed, quod illorum, qui plenitudinis hac specie laborare di-

cuntur, proclivitatem in fluxus sanguineos ac inflammationes inducit, major cordis irritabilitas, ac totius ad stimulos cum impetu subeundos promptitudo est. Si, quem suscipiunt, ac in sanguinem convertunt, succum nutritium vasa continere, vel auctis secretionibus disperdere non queunt; debilitatis in illis hoc signum est: quae saepius in *localem*, quam in *universi systematis* vasorum affectionem terminatur. *Venarum* illa fere morbus est: quae scilicet vasa, prae arteriis, sicut ad crura, ad anum, funiculum spermaticum, quin ad plexum choroideum, in varices et in saccos nodosos dilatantur; ita, sub difficili, et cum obstaculis luctante cruoris incessu, circa glandulas infarctas, tuberculorum ad basin, ad ulcera cancrosa, et ad viscera laxiora, ob sanguinem collectum turgere, aut istum, data causa, frequentius periodice eructare observantur.

Quaecunque hinc, *primo*, tum cordis, tum vasorum actionem per stimulum admotum intendunt; ac res omnes, quas *febris inflammatoriae*, et *inflammationis localis* ut causas adduximus (§§. CXVIII. CXXV); sub canalium resistentia ab earum impulsibus superata, ut in ipsa inflammatione vasa integra laterales per poros jam faciunt (§. CXXVI.), profluvia quaecunque excitare valebunt. Quae vero, *secundo*, vasorum contextum aut debilitant, aut laedunt, aut nervorum in eundem imperium vel imminuunt, stupefaciunt, suspendunt; vel ob morbosam sensibilitatem (ab ea, quae ad veras inflammationes praedisponit, sollicite distinguendam) ad motus spasmodicos, et circulo humorum per partes aequali adversos, vasculosum systema perducunt, — in genere, quae aut *inflammationes* non veras, secundarias, locales, *erysipelaceas*, vel sine ulla, vel saltem inflammatoria sine febre, vel cum illa, quam *nervosam* appellavimus (§§. L. — XC.), incedentes, accendunt, — aut universalem, localem in vasorum systemate atoniam progenerant, ac vitalem potentiam in eodem, aut vicino contactu, aut per consensum, infrangunt (§§. XCII. CXXX. CCLXXIV. CCLXXXVIII. CCCXVII. CCCXCII.), — ea singula profluviorum ut causae considerari merentur.

Sunt vero causae, inprimis externae, quae pecu-

liarem, et vix non, ut vocant, *specificam* actionem, solius *stimuli* ratione vix satis explicandam, in partes corporis diversas exercent. Sic morbillorum, scarlatinae, variolarum, syphilidis, contagia, — sic causa catarrhos, tussimque ferinam epidemice producens, in faucium, et narium, et bronchiorum inprimis membranam pituitosam rapiuntur; sic mercurius, quacunque sub forma, cautela, porrectus, salivales mox glandulas, prae parte quacunque, exstimulat, — cantharides, asparagus, terebinthina, quin solum jam rhabarbarum, vel sine stimulo in partes alias manifesto, in viarum urinalium superficiem actionem potiorem manifestant, etc. Vel sola de obscoenis cogitatio jam sanguinem genitalibus abundantem transmittit, et fertilis liquoris secretionem, excretionem accelerat; a papillarum ad mammas suctione, lochiorum augetur excretio; solusque moeror animi copiosas mox lacrymas profundit: quae singula non ob aliam rationem hîc adducimus argumenta; quam ut actiones naturales, morbosas, non ubique tam a stimuli intensitate majori, aut minori, quam saepe a singulari ejusdem in partem vel istam, vel illam effectu, et a legibus sensibilitatis in quovis organo diversis ac propriis pendere demonstremus.

§. CDLXVII. *Prognosis.*

Varia profluviorum, pro humoris, qui disperditur, nobilitate, quantitate, pro celeri, vel magis lenta istius jactura, pro aetatis, temperamenti, sexus, ac morbi ratione, pro causarum, per quas oriuntur, natura, et pro symptomatum junctorum diversitate, est prognosis. Profluvia *serosa*, nisi major, aut repentina, vel in longum protracta sit excretio, cum damno minori ab aegrotantibus feruntur. Ubi *mucus*, aut lympha, vel cum istis, vel sola, copiose, aut in longum secedunt; majus est nutrientis principii dispendium, ac debilitas, quam ex seri excreti portione aequali, vel et longe superiori, major insequitur. Praeterea, quas partes hoc a blando liquore obduci, lubricari, laxari, et a mutua concretione praeservari, — quarumque nervos a nimia nuditate, siccitate, asperitate defendi oportuisset; hae, mucosa

hac veste spoliatae, in contrarios affectus labuntur. Huc celerior *chymi* ex ventriculo, et *chyli* per intestina ejectio, aut lymphae ex laeso hujus laticis nutrientis canaliculo diuturna profusio, inprimis spectant: quae si multum protrahantur, eventum corpori funestum, tabemque aut hydropem praedicunt. A *lactis* uberiori, aut longiori, quam par est, ex mammis profusione, mulieris sanitati non parum detrimenti infertur, ac proprii non modo corporis praescinditur nutritio; sed et pectori, apud matres graciliores, insidiae struuntur, fertilitas naturalis ad pauciores modo partus limitatur; vel utero suscepta nova proles necessario, in quibusdam, defraudatur alimento. Sed potissimum a *seminis*, aut praematura, aut senili aetate, aut quovis demum vitae stadio, frequentius, quam par est, aut alio, quam natura jubeat, modo excreti jactura labefactantur et contabescunt animalia. Vix interim tam ipsum, qui hic dissipatur, mucosum olidumque liquorem, quam *convulsivam*, quae hoc opus comitatur, totius systematis affectionem, debilitatis majoris in se rationem continere, vel ex eo compareт: quod et femina, cui *semen* negatur, licet minus ac viri, a Veneris abusu aut masturbationis a vitio plectatur. A *synoviae* per vulnera, vel abscessus ligamenta capsularia penetrantes effluvio, articulorum rigiditas, ankilosis, immobilitas perfecta descendunt. *Puriformis* liquoris, vel et *puris* diuturna et copiosa secretio, praeter partis sic affectae laesionem, aegrotantes, ob nutrientis principii cum pure secedentis dispendium continuum, exhaurit: et hac ex ratione frequentius, quam puris resorpti effectu, febrem lentam, ac hydropem inducit. Quid a *sanguine* sincero, aliorum humorum penu dispersis, malorum nascatur, nemo est, qui ignoret. Prae aliis, infantes, — minus feminae, quam viri, ab illius jactura offenduntur; ac in genere hydropes, et tabes, lipothymiae, et convulsio, mors ipsa, nunc citius, nunc tardius, haemorrhagias insequuntur.

Haec, ex profluviis oriunda, et quae alia in sequentibus dicemus, incommoda, vel ex eo frequenter augentur: quod natura iisdem, cum diutius persistant, aut saepius revertantur, facillime assuescat,

et malorum sic induat, infaustam suo tempore, *habitudinem.* Haec est, quae chronicis, periodicisque profluviis tam despotice tunc imperet; ut restituto vix corpori nutriente, quem amiserat, succo, mox novae dira necessitas incumbat jacturae: quae vel ipsis roborantibus reluctatur, et ab illis, quae *falsam plenitudinem* imminuant, exasperatur remediis. Nec interim *bonis* ubique profluvia, tum serosa, tum mucosa, et sanguinea, privantur effectibus: sed, ut in febribus inflammatoriis saepe cruor ex naribus, vel ano, vel utero prorumpens, tum principio saepe illas mox jugulat, tum earundem, sub judicio, saepe *crisin* salutarem constituit; sic et fluxus naturales forte alibi suppressos, ad partem licet ab illa distantem, profluvia nunc supplent, nunc sub locali visceris plenitudine, aut sanguis, aut serum, aut humor puriformis ex viciniis distillans, vel arte naturam imitante extractus, saepe turbas, quod alia vix possent, egregie moderatur.

§. CDLXVIII. *Methodus generalis. — Sub impulsu aucto; — sub tenore imminuto; — sub vitio humorum.*

Ex his apparet, non quodvis profluvium, sine causae latentis, sine morbi praegressi, habitudinis, ac symptomatum praesentium perspecta ratione, mox esse supprimendum. In genere, vel ex intensiori solidorum in fluida actione, vel ex vitio contrario, vel liquidorum ex culpa, nascuntur profluvia: istorum, si pateant, si praestare id liceat, removeantur mox causae.

In primo quidem casu, in ipso jam stimuli exsuperantis effectu latet morbi, quem induxit, remedium: et expulso, quod virium intemperantiam suffulserat, liquido, hae ipsae praescriptos sanitatis ad limites redire, ac profluvium suspendi, haud raro observantur. Ars ipsa, ad nimios solidorum impulsus coërcendos, ut in febris inflammatoriae (§. CXX.), et in ipsius inflammationis (§. CXXXIII.) curatione docuimus, tum victu tenuiori, atmosphaerae ambientis refrigeratione, corporis animique necessaria quiete, ac illius positione opportuna, — tum blandis, ac nimiam irritabilitatem corrigentibus, antiphlogisticis,

ut vocant, remediis, et humoris systemati vel integro, vel speciali, molesti, vel generali, vel locali evacuatione, utatur oportet. Hinc a praepostero profluvia, hoc sub casu, sistendi conamine, ipsius sanationis non raro praescinditur subsidium; et morbi vel causa, vel, quae istius effectus multiplicat, nimia, pro hoc statu irritationis, liquidorum abundantia, in corpore includitur: unde viscerum infarctus, inflammatio, suppuratio, ac tabes, saepe primam sibi promunt originem. Sed quod natura hîc adhibet profluvii in profluvio subsidium; hoc ipsum discrimine non vacat; ac malo saepe pejus est, et lethales non raro exitus agnoscit, remedium. Hinc per indicatas, et quae moderamen admittant, opportunis in locis depletiones, non providam ubique, ars suppleat naturam, et easdem sic dirigat necesse est: ne sibi, artificiali cum profluvio, tam facile morbi *causas*, quam *effectus*, a solidis auferri posse, videatur. Saepe stimulus, a vera plenitudine quamplurimum diversus, hominum robustorum in solidis tumultus insignes, et plethorae non modo signa, sed profluvia excitare observatur: quae vasorum quidem depletionem, ut majori jacturae occurramus, sibi exigunt; sed certe non illam, quam natura, vel ars ipsa, sine habito ad causae stimulantis, nec per solam humorum evacuationem eliminandae, naturam respectu, uberiorem instituit, exspectant. Non rarum est, ab acri rheumatico, vel alio, vasorum systema nunc omne, nunc certis in partibus, violentos ad motus excitari: qui profluvia, ut vocant, *activa* inducant, venaesectionibus, ac eorum quae aestus infringant, usu perutiliter moderanda; sed donec adhaerens, quae stimulat, materia has partes dimittat, profluvia continuant, nec in solis antiphlogisticis est positum hujus mali remedium; nec robusti, ac ad morbos a solidorum vi nimia promptioris sub corporis habitu, *nervosum* systema principalem saepe scenam non ludit: et sub tali rerum apparatu, tum febris, tum fluxus ipse, post primas modo turbas a venaesectione, vel ab ipso profluvio sedatas, magis *opio*, quam sic dictis antiphlogisticis, obediunt.

Si profluvia ex potentiae vitalis aut in toto, aut in partibus *imminuto* tenore, aut laesione continui orian-

tur: tunc, deposita antiphlogisticae methodi idea, praemisso ubique causarum (§. CDLXVI.) scrutinio, ad illa, quae vasorum laesioni, inertiae, aut nervosae affectioni, hanc ipsam mentienti, generali, locali, opitulentur, sollicite recurrendum est. Ad *symptomaticas*, vel ex *consensu* pendentes, plerumque haec profluvia reducenda sunt aegritudines: atque hinc vel morbo primario, vel causae alibi locorum degenti, adhibeatur medicina. Sic in profluviis ex scorbuto inductis, licet debilitas subesse videatur, non tam felix eorum, quae maxime vel totum, vel partem corroborent, quam succorum vegetabilium, acidorum, est virtus. Sic ex febris intermittentis forte causis pendenti periodico profluvio peruvianum mox corticem, — ex nervosis affectibus orienti narcotica, nervina medicamenta opponimus; nascentem ex causa biliosa, saburrali, haemorrhagiam, methodo (§. CIX.) indicata, seu emetico, purgantibus, non alio, vel locali subsidio compescimus. Si febris nervosae, contagiosae symptomata profluvium comitentur; ad ea, quae (§. XCIV.) diximus, auxilia descendimus: qui debilitatem solidorum universalem, specialem, pro causa, fluxus agnoscunt; hos, illic victus uberior, vinum generosum, aromatica, cortex, martialia, exercitium moderatum, aër rusticanus, — hîc vero frigida, adstringentia imposita, injecta, et fasciae componunt; profluvio ex acri, ab externis ad viscera repulso venienti, non alia, quam quae ad pellem hoc reducant, aut corrigant, conducunt: etc.

Haec ipsa, ex parte, jam illa, quae humoribus tribuuntur, vitia comprehendunt: ut quae, si interdum profluviis subesse videantur, remedia, tum causis (§. CDLXVI.) opposita, tum alia, quae symptomata compescant, requirunt.

ORDO I.

PROFLUVIA SEROSA.

GENUS I.

EPHIDROSIS.

---

§. CDLXIX. *Sudoris natura.*

Quem per amplissimam cutis superficiem continuo exspiramus, vapor, animalis sub specie distillationis, ab atmosphaerae, se ipso frigidioris contactu in guttulas condensus, *sudorem* constituit. Hic liquor, in sanis caeterum hominibus, transpirationis a materia vix aliter, quam pinguedinosi principii, vel ex adipis subcutanei, vel ex sebi folliculosi connubio oriundi, distinguitur; sed aquosum, viscidulum, subsalsum, ac *urinae tenuiori* vix non aequalem humorem nobis offert. Interim, quae (praeter aquam et volatilem materiam, qua canis jam deleta heri absentis vestigia insequitur et ab aliis distinguit, — vel quae partim ex alimentis olentibus ad pellem, vix integre subacta, pertingit, partim distinctis ex glandulis ad genitalia, pedum inter digitos, ad axillas secernitur) principia, humana ex cute atmosphaerae reddantur; haec, ab illis, quae pulmones mephitica exhalant, diversa, licet ex retropressi sudoris effectibus, perniciosi quid habere suspicemur, cum sileant experimenta, hucusque ignoramus.

§. CDLXX. *Definitio.*

Sudor ipse in sano homine ubique violentus ; et hinc mitis quidem, sed in ea, quae sudat, parte morbus est. Haec vero secretio cutanea, vel naturalis, vel ab ista diversa, cum virium jactura nunc, et sub crisi, imminuta, nunc adaucta, *Ephidrosis* vel *sudatio morbosa* vocatur.

§. CDLXXI. *Diversitas.*

Hoc autem sub statu (§. CDLXX.). sudoris plerumque non modo copia, sed et ipsa principia, quod in urinis morbosis contingit, mutari ; atque aliis aliisque misceri videntur. Nunc *tenuis* certe et purus sudor, sub calore non magno, mox a cute in auras ut *vapor* ascendit; aut limpidus per membra, ut lintea vix tingat, distillat; nunc ut crassum, *viscosum*, *frigidumque gluten* superficiem urentem obducit ; vel mora siccatum, hanc ipsam, quasi matulam urinae, *sedimento* mucoso, spissiori, ac interdum arenoso, conspurcat ; nunc *odorem* hic latex naturalem seu proprium, cuivis homini distinctum, conservat ; mox *specificum*, *acetosum*, *urinosum*, *cadaverosum* spirat, ac princeps contagiorum vehiculum constituit. *Sapor* hîc vix notabilis ; ibi *salsus*, *amarus*, aut *subdulcis* ac *melleus* apparet. Ob tam varia, nec hucusque satis, pro materiae dignitate, examinata principia, sudoris quoque *color* nunc *pallide flavescens*, nunc *lacteus*, vel *croceus*, *sanguineus*, ac interdum *subviridis*, *coeruleus*, aut *ater* occurrit. Nunc vero partem modo *unam* sudor, vel alteram humectat, aut ex *latere* modo *uno* exprimitur; nunc ex cute *universa* propullulat, et hîc, *istius ex vitio*, — illic, visceris *consensu*, vel alterius ut morbi *symptoma*, nunc prorsus *sine febre*, nunc *eadem*, vel continua, vel intermittente periodica, vel hectica *stipatus*, modo quovis *sine fructu*, modo *criticus*, atque in isto *moderatus*, in illo *copiosus*, *colliquativus* prorumpit. Sub coelo ardente humidoque *endemicus* quasi sudor est ; ac interdum *epidemice* per provincias cum periculo, fere *pestis* adinstar, grassatur. Vel sub ipsa sanitate, certorum cutis hominum foetorem insignem continuo exspirat.

§. CDLXXII. *Natura morbi.*

De sudore febrili, vel *symptomatico*, qui sub continuarum principio, vel inutiliter, vel manifesto cum damno, profunditur; aut qui intermittentium, paroxysmos, non febrim ipsam, claudit, — vel *critico*, qui morbi sub fine, — rarius, et per artem, contagiosarum sub febrium initiis, expellitur, jam diximus (§§. VI. XVI. XXXV. LXXXV. LXXXVII. LXXXVIII. XCI. XCIV. XCVII. C. CXL. CLXXXVI. CCCXXIII. CCCXXXI. CCCXXXII.): et cui pellis cum visceribus, potissimum abdominis, et cum utero, *consensui* subjaceat; *exanthematum* (Lib. III.), ac *impetiginum* (L. IV.) satis docuit historia. Hinc pauca de sudore dicenda supersunt, quae secundarium non magis, quam primarium cutis morbum respiciant.

Sunt, quibus urinae copiosius, quam aliis, — sunt, quibus alvus frequentius in die, sanissimis, solvantur. Sic et cutis in multis abunde transpirat, facilesque sudores, sine virium jactura, et quin morbum adesse dicamus, per propriam naturam contingunt. His axillae, pedes illis, continuo, quin ex suppressi hîc locorum sudoris phaenomenis ad praevium in humoribus vitium concludere mox liceat (§. CCCLXXIII.), madescunt. Sed quemadmodum aliarum organa secretionum, nunc a stimulo, aut sibi ipsis admoto, aut visceri affini adhaerente, agitata, functionem, cui praesunt, accelerant, pervertunt, aut protinus suspendunt; nunc, vel ob virium propriarum defectum, vel ob causae deprimentis, longinquae actionem, mox tardius parciusque absolvunt, aut deserunt; mox impulsui humorum resistentiam non ponunt, ac laticem susceptum, iners ut cribrum, transmittunt; sic et cutis, certe saepius ex consensu, vel morbi non sui devicta imperio, sed interdum vel *nisu*, vel *inertia sibi propriis*, a sudore copioso, vel ubique, vel certas ad partes inundatur. Verum est, et a cordis vasorumque vigore adaucto, et a stimulo per consensum in pellem dominante, sudores moveri; sed nunc, sub intenso febris inflammatoriae impulsu, haec ipsa sudoribus siccissima resistit; nunc, absente stimuli cujusvis insoliti indicio, hoc organum vel sponte mollescit, ac proprii humoris dele-

etatur in balneo. Nemo est, cui, vel stragulis modo leviter obtecto, matutinis sub horis, sine febre, et quovis interno sine stimulo, sudores non interdum sat largiter prorumpant, diversum a naturali odorem manifestent, et novas quasi corpori vires, et pridie ignotam animo hilaritatem concilient. Alii sine causa evidenti, sine febre, sudoribus potissimum nocturnis, per menses diffluere, ac macie, debilitate, inappetentia mulctari cernuntur. Mutuum renes inter et cutem, vel apud sanissimos, secretionis commercium existit; ac minorem illorum actionem, istius mox functio adaucta, — non modo per vaporem invisibilem, sed et per sudores, sub eadem positione, faciliores, ac vicissim, supplere consuevit. Vel ipsi, quos *criticos* appellant, sudores, saepe cutis solius actione, sine stimuli, vel debilitatis febrilis augmento, sine quovis longinquo consensu, quin praevio sub caloris decremento, copiosi ex cute distillant: ac sicut febrium plurimarum in pelle prima sensatio ac forsitan origo est; sic et criticos sudores aut levis in ista horror, aut pruritus, aut certe singularis tractabilitas et mollities, cum pulsu molliori ac undoso, praecedunt: quae singula sat clare manifestant, hanc partem corporis tam late expansam, tam sensilem, totque vasis ornatam, non servile ut colon, sed frequenter vi propria, humorum nunc undas repellere, ac vaporem, sudores arcere; nunc aperto illos sinu suscipere, ac in corporis vel beneficium, vel certam perniciem, hos ipsos uberius profundere.

§. CDLXXIII. *Causae.*

Sed ipsa causarum, quae cutis secretionem adaugent, vel immutant, natura, haec (§. CDLXXII.) ulterius illustrat. Ac *primo* quidem, quaecunque vel in sanguinem delata, vel irritationis localis imperio, cordis vasorumque in fluida contenta impetum adaugent, nisi majori, quam par est, stimulo agitentur, aut in extremis vasculorum ostiis obstaculum resistat; ea, secretiones in genere, — atque, nisi frigus externum, quod ubique non facit, hoc impediat, sed tepor gratus ad recipiendas cruoris undas vasa cutis disponat, atque vel siccus vasculorum extremitates exstimulat, vel humidus relaxat, sudoris illam promovere pernosci-

mus. *Secundo*, quae corpus humore tenui aquoso locupletant, quin hic ipse, vel ob cutis a frigore, a densitate majori resistentiam, vel ob salinam forte liquidi naturam, ad renes, quibus haec magis favet, potissimum dirigatur, aut in tela cellulari subcutanea, anasarcae sub specie, restagnet: ea, sub conditione corporis ac atmosphaerae vix exposita, ac inprimis sub urinae alvique excretionibus moderatis, aut tardis, transpirationis sudorisque augmentum producunt. Quae *tertio*, principia in sanguinem deducta, vel ob *volatilem*, qua pollent, naturam, vel ob indolem incognitam, sub eodem rerum statu, aut majorem cum pelle affinitatem alunt, aut vasorum exhalantium extrema potissimum afficiunt: ea, licet glandulae sudoris non praesint secretioni, istius tamen, cum nihil est quod obsit, incremento prae aliis favere videntur. *Quarto* vero, quae res internae vel proprio contactu, vel actione longinqua, contextum cutis relaxant, aut nervorum in istam imperium refringunt: illa non minus, ac ea, quae exterius admota hunc ad finem conspirant, cutis rivulos aperiunt, aut potius vitali, qua in sano homine clauduntur, custodia privant. Hinc vel solus musculorum motus, cutis frictio, irritantia quaecunque, vel excitans animum viresque cordis pathema, vel febris, vel auctus atmosphaerae calor, transpirationem, et cum singula conspirent, sudores accelerant. Hinc vel solus jam potus copiosus, vel caloris insimul principio suffultus, tam facile per cutem, nisi frigore vel aliter contractam, nunc vaporum sub forma, nunc in guttulas collectus, mox diffluit. Hinc superaddito huic potulento volatilis, aromaticae naturae medicamento, eo certius, si modo atmosphaerae non reluctetur conditio, sudores proliciuntur. In genere, contagia non pauca, variolosum inprimis (§. CCCXXXI.), prae aliis morborum causis, aut cutem ipsam invadunt, aut in illam ex longinquo dominantur: ac non raro, quin illorum aut in vasa impetus, aut deprimens in nervos actio id ipsum ubique efficere videatur, sudores expellunt. Hinc demum ipsa fluidorum a vasculis cutaneis, ob calorem externum, ob laxitatem, ob circuli sanguinei ad viscera impedimenta, vel ob spasmos internos, receptorum multitudo, ac eorundem a

potu copiosius assumpto tenuitas, — aut iterum illorum a contagioso, vel et purulento principio mutata conditio, — vel arcte circumfluens aut partis, aut corporis totius vapor atmosphaericus, aut proprius, — vel congestus in primis viis, ac abdominales in nervos agens saburrarum putridarum fomes, — vel inhaerens vento meridionali incognita nervisque inimica potestas, — vel febris *elodes* (§. LXXXV.), *diaphoreticae* intermittentis (§. XXXV.) causa, — vel demum nervorum, ut ad partes modo quasdam, vel ut in convalescentibus, in debilioribus, somnoque meridiano, nocturno detentis, aut scorbuticis hominibus, sub terrore, doloribus, anxietate, lipothymia, vel agonia, suspensum, aut vix non prorsus ablatum in cutem imperium, — frequentem, atque saepe nimis in febribus nervosis, contagiosis funestam, sudorum sistunt scaturiginem; ac loco blandi tenuisque liquidi, humorem alienis principiis, atque ipso interdum sanguine, inquinatum ex pelle profluere cogunt. An sub *colliquativo*, ut appellant, viscidiori plerumque, sudore, cujus a fluxu mox corpus contabescit, ut in urina illorum, quos *diabetes* (§. CDLXXX.) exhaurit, *saccharinum*, aut nutriens principium per cutem quotidie difflatur?... certe chylus aut humor lacteus per vasa cutis cum sanguine circumactus *sudoris acidi* in multis rationem offerre, ac sudoris, licet rarioribus exemplis, nunc *lactei*, nunc *mellei*, nunc *oleaginosi*, *crystallini*, observatio, id indicare videntur; atque primam, quae dabitur, haec experiundi nanciscemur occasionem.

§. CDLXXIV. *Prognosis.*

Quod sudoris febrilis, symptomatici aut critici, ad *prognosin* attinet, hanc alibi jam satis exposuimus. Nec sermo hîc esse potest de aliorum morborum sudoribus: ut quorum significatio ex illorum natura potissimum desumitur. In genere sudores, sine febris aut stimuli alterius ratione, vel in parte, vel ad omnem superficiem facilius, quam par est, prodeuntes, istarum debilitatem, vim nervosam infractam, vel obstacula circulationis, secretionum, excretionum aliarum, interna portendunt: et quo profusius per cutem distillant, aut quo magis a naturali tenuitate, colore, odore, sapore rece-

dunt: eo majus vel de solidorum fluidorumque turbis, vel de secretionis cutaneae vitio, atque de humorum utilium jactura, testimonium largiuntur. Qui interim ad pedes, axillas, in multis sudor prorumpit; hic, licet foetidus ac ingratus, sanitatem non ita, ut incaute suppressus, offendit. Qui sub tabe purulenta, vel alia, profusus ex cute sudor ruit; hic citum vitae miserandae terminum imponit; aut per frigus externum retentus, diarrhoeam colliquativam inducit.

§. CDLXXV. *Cura.*

Sudori febrili, tum symptomatico, tum critico, medendi rationem exposuimus (Lib. I. II. III.). Aliorum, qui morbos quoscunque ut symptoma comitantur, medela vel ex tradita istorum, et causarum, e quibus oriuntur, doctrina elucet; vel ex iis, quae alibi dicenda supersunt, patebit. Qui ex contracta cum hac pellis excretione consuetudine sudores nascuntur; hos per artem arcere, jam dicta pericula vetant. Qui interno sine morbo facilius, quam par est, sudores prosiliunt; hos, illa, quae sudoris habitudinem inducunt, fugiendo, sepositis potu balneoque tepidis, diaphoreticis, ac nimiis, quibus cutis mollities augetur, vestimentis, debilitate per corporis exercitia, frictiones, balneorum frigidorum, aut simplicium, maritimorum, aut corticis peruviani, vel salicis albae decocto junctorum auxilio, correcta, vel unguentis oleosis dissipari licebit. Illorum, qui ex morbis gravioribus resurgunt, sudores, per victum nutrientem, vini haustum generosi, per elixir vitrioli, ac quotidianam in aëre liberiori et puro equitationem, vel per navigationem frenantur. Infusum salviae, cinnamomi, cum vino paratum, quam optime huic fini respondet. Nimios sub aestatis calore sudores superaddita potulentis spirituosi portio liquoris, et quies moderantur. Plures vero, sub coelo calido, ob sudorum impatientiam, gravissimis ab illorum supressione morbis occasionem dederunt.

ORDO I. GENUS II.

DIABETES

§. CDLXXVI. *Secretionis urinae vitia.*

Quod *renes* secernunt, ac vesica per urethram dato tempore expellit liquidum, pro hominis aut sani aut morbosi aetate, sexu, temperamento, — pro potus, cibi, medicamenti ingesti, — pro coeli, atmosphaerae, — pro cutaneae, alvinae excretionis, — pro corporis, quin pro animi ipsius aut quieti, aut stimulis agitati, — ac demum pro temporis, quo suis in alveis retinetur ac stagnat, conditione, tam copia, quam indole diversum: hoc, vel abundantia, parcitate, principiis vitiatum, vel a naturali non tam alienum, aut citius quam par est, aut praeter voluntatis imperium, aut tardius et cum labore excretum, vel protinus suspensum, plurimorum nunc signum ac effectus, nunc causam morborum constituit. Ex istis modo illi, qui ex lotio, vel copia insigniter adaucto, vel, naturae praeter leges, principio nutriente onusto, vel aegroto nolente ac inscie excreto, nascuntur, *profluviorum* ad classem spectantes, *diabetis*, ac *enuresis* sub titulo, attentionem sibi nostram exposcunt.

§. CDLXXVII. *Diabetis infrequentia.*

Rarissimam aegritudinem dixerunt esse *Diabeten* sive *Dipsacum*: ac nos ipsi, *viginti* per annos in *Patria Germana*, diversas inter gentes, medicinam exercentes, modo *tria*, quae multis nec unquam se offerunt, hujus morbi conspeximus exempla. In *Italiam* transvectis interim, *diabetes* nobis, vel brevi *octo* annorum

curriculo, jam *septies* oblatus est; nec dubium nunc quidem alimus. Hunc morbum frequentius, quam cum aliis non ita pridem nos ipsi credebamus, ubique locorum occurrere, et a medicis, in urinae *quantitatem*, aut *soporem* haud satis attentis, non semel non adverti.

§. CDLXXVIII. *Definitio.*

Est autem *Diabetes* vera corporis per urinam colliquatio, aut lotii profluvium, vel copia potum longe superante, utplurimum vel *principii saccharini* admistione excedens, cum siti inexplebili, cute arida squamosa, et macie extrema sine febre in longum plerumque incedens.

§. CDLXXIX. *Divisio.*

Vario sub aspectu hic morbus incedit, ac in plures hinc species distinctus fuit. Nunc etenim *insipida*, aquosa, nunc quasi a melle admisto *dulcis*, quae excernitur, urina est. Quem *lacteum* (chyluriam, *coeliacam urinalem*) dixerunt: hunc, si ab urina *subalbida*, quae, suscepta, largas post epulas, sat valida deambulatione, a sanis hominibus subinde sine damno excernitur, recedamus, nos ipsi nunquam conspeximus diabeten; atque multis *purulentam*, cum urinis certe non raro copiose remistam, pro *chylo* imposuisse suspicamur materiam. Non interim *lacteum* colore diabeten, viri scilicet septuagenarii hoc in *Ticinensi* nosocomio degentis observatione freti, existere prorsus negabimus. Hic scilicet, ob insigne humeris sat longo tempore impositum pondus, post octo demum a nixu dies, ab insigni ad ultimas lumborum vertebras dolore, tandem a febricula hinc inde, ad noctem crescente, correptus, insigniter sitire, et urinas *quasi lacteas* atque adeo copiosas excernere coepit: ut plures per menses quotidie, nunc sexdecim, nunc viginti hujus liquidi subdulcis libras, potum, licet plurimum ingereret, non parum superantes, per urethram expelleret. Sitis ingens, fames aucta, et macies torosi prius hominis extrema, cum tanta urinae copia collata, hoc in casu vix adeo *purulentam*, quam illam, quae diabeten comitatur, tabem latuisse, indicare vi-

dentur. Nec desunt similia, apud alios, *chylosi diabetis*, quae difficulter a purulenta materia repetamus, exempla. Quem *lienteriam urinalem* compellant, in qua, celerrima et copiosissima potus assumpti, *nec mutati*, per renes et vesicam evacuatio contingat, conspeximus nunquam. Nec *mucosam* hoc in morbo urinarum naturam, nisi *mucum*, qui tenui pallidoque liquori dulcedinem conciliat, appellent, observare potuimus. Qui diabeten *idiopathicum* a *symptomatico* distinguunt: hi forsitan sat recte id faciunt; sed ultra, quam nobis quidem de hujus mali origine constet, sapere videntur; aut *spurium*, hystericum, febrilem, rheumaticum, qui sine tabe ac siti tam intensa incedit, cum *vero* diabete confundunt. Sed quamvis per longum tempus decurrere hic morbus consuescat; non desunt ideo, *acuti*, brevi tempore lethalis, quin *periodici*, *intermittentis*, et *critici*, nisi *spurius* hic fuerit, diabetis exempla: et ipse, quem in *clinico instituto* curavimus, aegrotus, cum sub calore aestivo, ac coelo sereno, parum in urinis excederet, autumnali ac hiemali sub frigore, vel cum pluviae instarent, quamplurimas mingebat. *Congenitum* diabeten, nisi majorem illam vel sanos apud homines, qui forte parcius transpirant, urinarum copiam pro tali declarent, non vidimus. Duos unius ejusdemque familiae homines ex diabete periisse, compertum habemus; ac duorum, qui ambo hoc morbo laborarunt, fratrum, alibi exemplum narratur. *Complicatum* eum *urinae incontinentia* diabeten non ita pridem in sene, — *pleuriticos dolores* duobus in viris, atque in uno ex istis *diarrhoeam* simul cum diabete *insipido*, lethali, — tum in hoc vero, tum in aliis quibusdam, leucophlegmatiam, hydropem simul *asciten*, qui saepius dispersus, mox iterum redibat, observavimus. Rarissima complicationis hoc in morbo est species, quae *retentionem urinae* quamplurimae, quamvis copia parva potus assumeretur, diabeten comitata esse refertur. Hinc licet hoc in morbo urina plerumque sine quovis dolore, atque sub coactae quidem, sed non deletae voluntatis imperio mingatur; est tamen ubi non tam facilis ejusdem a *dysuria*, ab *enuresi*, distinctio habeatur; nisi vel ad *copiam* urinarum, potulentis ciboque fluido ingestis longe

uberiorem, vel ad *melleum* earundem saporem, ad *sitim* intensissimam, et ad *maciem* aegrotantis extremam simul respiciamus. Vel *paucam* urinam, sed *dulcem*, et tabis, ut in morbo communi, causam, sistit *diabetes decipiens.*

§. CDLXXX. *Symptomata.* — *Urinae copia.* — *Urinae dulcedo.* — *Diabetes decipiens.* — *Diabetes spurius.*

Prima, quae in diabeticis, quos vidimus, occurrebant, et *ex improviso* plerumque hominem prehendebant, symptomata, *oris siccitas subitanea*, ac *sitis* vix poculo a labris remoto recurrens, nec verbis describenda, fuerunt: et urinae non prius, ac a potu copiosius ingesto, augmentum habuere. Interdum morbus a siti, ac urinae profluvio *simul incepisse* refertur; sed et sanos apud homines vix ab aquis affatim epotis mox lotium excerni, tam rarum non est: ac urinae sub diabete non minus copiam, quam nutrientis, quae cum ista secedit, materiae jacturam, ab ipso potu tam exuberante repetere liceret; nisi major longe, quam per fauces ingeratur, liquidorum ex vesica quantitas prorumperet.

Haec ipsa vero tanta hoc in morbo esse solet: ut, cum puella non nisi *septem* tum solidi alimenti, tum potus *libras* assumpsisset, *triginta sex* tamen *pintas* urinae dimitteret. In viro paucos ante annos a nobis ad *Clinicum Institutum* suscepto, urinae quotidie ad *libras quadraginta*, vel et, semel, *quinquaginta cum duabus* ascendebant. Majorem urinae quantitatem hoc in morbo excerni, alii viderunt. Vix mitior nobis casus oblatus est, in quo non lotium ad dimidium, vel duas tertias ad partes, *ingesta*, — et excreti liquoris *pondus*, jam paucas post dies, illud *corporis totius* quam maxime superaret.

Atque sub tali aegrotantis positione, saepe frigoris, aut frigescentis quasi liquidi ex lumbis in vesicam descendentis sensatio, ardor stomachi, et calor viscerum mordax, — interdum dolor ad suras, aut pedem, insignis ubique virium prostratio, cutis arida, plerumque squamosa, porrigo, hunc morbum comitantur. *Anorexiam*, quam aliqui diabeticis attribuunt, vel *aquae horrorem*, quem fidi auctores hoc in morbo se

vidisse testantur, haud unquam observavimus. In unico aegrotante febris, mox morbi ab initio, jam aderat, ac intermittentis tertianae quasi typum imitare videbatur; alias, plerumque febre, donec morbus adolescat, carere videntur. Vix non apud omnes, vel sub ipso *sitis incipientis* momento, vel paulo tardius, magna, nec a consueto convalescentibus cibo, apud nos sat copioso, mitiganda *fames* in conspectum prodibat, crescente morbo quamplurimum, donec febris sat conspicua se adderet, adaucta: quo tempore et arteriae debiliores, mollissimae, et tandem crebriores sentiuntur; debilitas quotidie increscit, atque calor, ut singula symptomata, ad noctem exacerbari observatur. *Noctis* tempore praesertim, inter diabetis principia, urinae copiam majorem fluxisse, apud alios notatur. Potens quondam Veneris in castris miles, hoc a morbo vix correptus, non modo omnem cum uxore coëundi potentiam, sed, ut nobis referebat, seminalis vestigia liquoris, in totum amisit. Interea plerisque oris labia cum lingua et faucibus insigniter siccescunt, et vox debilis, fere rauca, cum tenaci ad gulam pituita et spumosa saliva, persaepe observantur. In alio dolorem ad fauces sine phlogosi constantem, vehementem, ac pustulas ad linguam ac labia exortas conspeximus. Sed sub linguae vel naturali, vel, a potu tam copiose assumpto, artificiali madore, non minor sitis in aegrotis quibusdam, ut vidimus, ardebat: ut quae certe apud omnes magis impetuosa est, quam sub febre quavis ardentissima. et sub majori faucium, ac in *diabete*, siccitate, vel unquam alibi potus desiderium viderimus flagrasse.

Sed ipsa urinarum natura, quae res Veteres omnino latebat, hoc in morbo mutata est. Quamvis enim et ab aliis, et a nobis ipsis *insipidam* vel expertem dulcedinis urinam aliquando observari licuerit; plerumque tamen in ista, licet pallida, serosa, limpidissima, *sapor melleus*, vel succo *alni betulae*, verno tempore perforato e trunco profluenti, persimilis dulcedo se prodit. Hoc lotium ad ignem vapores suaveolentes exhalat, atque ad certam spissitudinem redactum, melliformem, bruneam, vel saccharinam, — atque ulteriori solutione, inspissatione, facile depurau-

dam, et ad sacchari communis puritatem, saporem, colorem reducendam largitur materiam; vel sibi ipsi commissum, fermentationem tum vinosam, tum acidam subire observatur. Pulcherrimas *acidi saccharini crystallos*, *alcohol*, et *acetum* hoc animali ex liquido parata, in *pathologico* hujus Regiae Academiae *museo* conservamus; atque ex quatuor et viginti urinae libris, viginti sex materiae saccharinae uncias obtinuimus; nec desunt, qui majorem istius quantitatem diabeticorum ex lotio deduxerint.

Quod interim ex *unica* hucusque alterius observatione non ita pridem innotuit, est saccharini principii in urinis aegrotantis, tabe lenta consumpti, *licet ultra, quam sanus consueverat*, aut quam ingesta exigerent, *non mingeret*, quantitas tam insignis; ut ex duabus urinae libris saccharinae non minus, quam sex unciae prodirent substantiae: quo tempore caetera diabetis symptomata, sitis indelebilis, lingua sicca, cutis arida et squamosa aegrotantem vexabant; donec morbo sub deliriis, convulsionibus, ad mortem properante, illud ipsum in urinis principium ad quartam sui partem decresceret.

In genere hic morbus *lentissime* decurrit, atque per annos non raro protrahitur. *Acutioris*, ut diximus, pauciora, nec visa nobis, exempla diabetis habentur. Nec rarum est sub tam diuturno morbi decursu, urinas ad *sanas* interdum paulisper accedere, ac odorem non tam suavem, sed quidquam foetentem, ut sanae faciunt, spargere; atque sales, sub evaporatione, diversos ad majorem quantitatem largiri; sed mox vel quoad vis, tam vegetabili, quam *animali* sub victu, ad pristinam dulcedinem urinae recedunt. Nocturno sub tempore majorem aegroti nobis copiam urinae, ac interdiu, *continuo* dederunt; et ob crudelem, mox a poculis ab ore remotis, istius siccitatem, vel, etsi hoc satis maderet, ob sempiternam tum bibendi, tum mingendi necessitatem, vix palpebrae a miseris clauduntur. Hinc major indies debilitas, cutis siccitas pergamena, ac macies, quam ultimam tamen aliqui defuisse viderunt, sequuntur: et sub tam insigni licet aquarum profluvio, ad pedes tamen, ad lumbos oedema, et ad ventrem ascites, nascuntur; vel hydropi diabeten,

huic vero hydropem vicissim successisse, alii testantur; vel, ut in diabete *insipido* conspeximus, et alii notarunt, *diarrhoea*, quae paucos juvisse dicitur, miserias adauget. Hoc tandem rerum sub statu, calores vespertini, pulsus debilissimi, frequentes, anorexia, anxietates, tremores, stupor, lipothymiae, vox rauca, deleta, urinarum profluvio se adjungunt, atque optatum aegritudini tam dirae, ac vitae ipsi finem imponunt.

Vel ipsum sanguinis hoc in morbo a quibusdam educti *serum* aliquando, non ubique, *dulcedinem*, — cruor ipse, *crustam* nunc aliquam, nunc vero nullam exhibuit. *Salivationis* ac *diabetis*, quae vicissim incesserint, exemplum narratur; sed an *dulcis* tunc *saliva* effluxerit (§. CDXCI.), observationi, quod plurimum lucis accendisset, non additur.

Quam longe a *spurio*, ut vocant, *diabete* haec distant; et quam parum hunc inter et *verum* affinitatis intercedit! Sunt scilicet, qui a prima juventute copiosas, sed non diversas a statu naturali urinas excernant; sunt, qui sub spasmis hystericis, hypochondriacis, dentitionis sub opere, in rheumaticis affectibus, sub crisi morborum, sub hydrope, ab epoto diuretico medicamine, copiosas pallidasque profundant urinas; sed vel sitis vix urget; vel potum ingestum non superat excretio; vel parum haec ipsa in longum extenditur; nec adeo mutata est urinarum a sanis conditio; nec macies, debilitas extrema, *symptomaticos* hos fluxus comitantur.

Viros saepius, quam feminas, a *vero* diabete consumi, ex nostris saltem, quae hujus morbi in istis exemplum haud suggerunt, et ex non multis, quae apud alios occurrunt, observationibus conjicere licebit. Caeterum et juvenem, octavum cum decimo vix annum superantem, et mediae aetatis viros, et septuagenarium jam, sed floridum adhuc robustumque senem, hoc a fluxu correptos conspeximus.

§. CDLXXXI. *Causae. — Opinio propria.*

Obscurissima causarum hoc in morbo est ratio: et ex illis, quas caeteris profluviis subesse videmus, vix ulla diabetis satis explicat phaenomena. Qui *locali* pro affectu eundem considerant, hi *renalium vasorum la-*

xitatem, *debilitatem*, aut *paresin* subesse opinantur; ac renum, diabeticorum a morte, pallidorum, molliorum, acidumque odorem spirantium, nec ignota nobis, exempla adducunt. Quos viri ex diabete defuncti, junioris, renes *injectione* anatomica praeparari curabamus: hi, sub impetu moderato, *lacerationem* vasorum sunt passi. Sed forsitan ob longiorem, a morte istorum in tepida macerationem hoc ita successit; ac certe frequentius haec renum ac tubulorum secernentium debilitas, dilatatio morbosa, post inflammationes hujus visceris, post diuturnas urinae suppressiones, post mictum sanguinis cruentum, purulentum, quin diabetes sequatur, -- ac morbi magis effectu, quam ut causa, subesse, — nec sola partis secernentis major debilitas, secretionis in illa augmentum, — ac majorem longe urinarum, quam liquidi ingesti copiam, explicare videntur. Qui *spasmodicos* inter affectus hunc morbum collocandum esse contendunt: hi, validioribus innixi argumentis, *spurium* diabeten sub spasmis hystericis, ab animi pathemate, a dulcibus ingestis, dentitionis a stimulo, frequentem pro exemplo adducunt. Interim vel ipsae, quae a *spurio* tam frequenter *diabete* tenentur, exempla *veri* vix offerunt *hystericae*; ac sub tam quotidiana morborum spasmodicorum frequentia, diabetes rarissimos inter morbos censetur, et vel ipsi *nephralgiae* vix unquam accedit. Renali sub *calculo* diabetis hinc inde exempla narrantur: sed praeterquod sub tam frequenti calculorum praesentia hic morbus rarissime occurrat; copiosior hunc necdum urina constituit, et certe *cum calculo* diabetes incedere, quin *ex hoc ipso* oriatur, potest. Ex *renali abscessu* diabetis originem petierunt, qui, *lactescentis* urinae aspectu decepti, *puris* in lotio solutionem pro fluxu *chyloso*, — et hunc ipsum pro *diabete* habuerunt. In *hepar* alii obstructum, scirrhosum, ac in bilem vitiatam, vel saponis adinstar humores solventem, vel, si prorsus deesset, non satis aquam cum cruore miscentem, diabetis causam collocarunt: ast vero tam plurima, sine hepatis, aut visceris alterius obstructione, hujus morbi exempla habentur; quam ipso sub *ictero* diabetes vix sequitur: ac rarior foret, pro causa tam communi, effectus, quam ut aliquam

haec opinio auctoritatem tueatur. Sunt, qui potius in *ventriculum*, *intestina*, et in *assimilationis ex debilitate istorum pendentem defectum*, quam praedictas, aut alias in causas, hujus culpam aegritudinis conjiciant: sed cum plurimorum, qui diabete laborant, *famem*, et symptomatum, quae *stomachi inertiam* nobis indicent, absentiam consideremus; nec haec quidem fundamento fulciri sat firmo videtur opinio. Cum vero tam siccam, ac saepe squamosam in diabete *cutem* observarent, et simul ad urinae copiam, ingesta quaevis quamplurimum superantem, respicerent: non pauci illo ipso in organo hujus morbi, tam in arteriarum *exhalantium* obturatione, quam in aucta vasorum *inhalantium* in cute actione, et in aqua copiosius atmosphaerae ex penu ab iisdem resorpta, originem eo magis derivarunt; quod constrictis vel hiemali sub frigore, vel a terrore, aut spasmo, vel abdominali a stimulo, cutis spiraculis, urinarum mox quantitas et pallor augerentur. Interim, praeterquod eam ipsam, quae ad cutem sese prodit, *siccitatem*, non minori argumento pro *effectu*, quam pro *causa* aegritudinis declarare queamus; cur tanta hîc *sitis*, ac tanta *urinarum* in diabete *dulcedo* observentur, haec *sola* quidem ratio explicare non potest. Qui *sanguinis* hoc in morbo *resolutionem* in auxilium vocarunt: his, cruoris in illo, nunc *corium*, nunc naturalem consistentiam, — chronicam diabetis extensionem, ac aliarum sub eodem integritatem functionum, consideranda offerimus.

Tam facile aliorum, de causis diabetis, subvertere opiniones, — ac tam difficile est, his ipsis *meliorem* substituere! Sed propriae melius esse censemus fateri paupertatem scientiae, quam fuco fucum, humani cum sanguinis discrimine, superaddere.

Quod si tamen, quae causarum sub rigorosiore examine se nobis obtulerit, opinionem, aliorum submittere judicio hîc recusare nequeamus; fateamur oportet: nos, sicut in *rabie canina* ex *animali veneno*, aut homini cum infecta saliva inserto, aut sponte ejusdem in corpore evoluto, ac faucium in nervos praecipue furiente, *horrorem ab aqua* singularem derivamus; — ita *violentum liquidorum desiderium*, ut potissimum diabetis symptoma, ex contrario eosdem in nervos sti-

mulo, ac inprimis *ex systematis lymphatici actione praeter modum incitata*, repetendum esse, ob rationes non paucas, suspicari. Certe, si *dipsadis* serpentis (§. CDLXXX.) *virus*, quod medici ex veteribus praecipue, ad unum omnes, confirmant, *diabeten* per morsum induxisse, ut credimus, ad fabulas haud spectat; jam summum opinionis expositae argumentum se vel nolentibus obtrudit. Sed ejusdem naturae virus posse, sub rariori vitae positione, vel et interdum sub febribus, tam acutis, quam intermittentibus, in corpore humano praeparari; ex adducto *hydrophobiae spontaneae* exemplo, et ex tribus aliis, in quibus sub ipso diabete *horror aquae* comparuit, ni fallimur, sat satis apparet. Hoc ab acri, suo modo, ac per nervos in *systema lymphaticum* agente, mox resorbentium vasorum ad quascunque superficies, internas, externas, ad oris, stomachique cavum, ad cutem ipsam, intenditur ac morbose increscit officium. Hinc primum diabetis symptoma, intensa *sitis* est, et extrema vasculorum inhalantium oscula, quod roris animalis ac muci in ore ac faucibus exstillat, hoc omne promptissime ingurgitant, ac vel perpetuam siccitatem, vel sensationem in sitis organo perversam, ac inexhaustam bibendi necessitatem his in locis inducunt. Similia in ventriculo, intestinis contingunt: ac non modo *fames morbosa*, ardoris in ventriculo, vel et syncopis sensus, sed citissimus *chyli*, non adeo ob *stomachi debilitatem*, quam ob celeriorem resorptionem, *vix satis* in abdomine *subacti*, crudioris, secundas ad vias transitus promovetur. *Vasa cutis resorbentia* non minus actionem in ambientem *atmosphaeram*, insolitam exercent, ac *universo quasi corpori sitienti* copiosum, quod ex illa offertur, humidum praecipitanter advehunt. A tanto liquidorum undecunque resorptorum torrente, continuo cum potulentis, tam avide ingurgitatis, ad renes directo, secretio cutanea languescit, pellis aspera, quasi corium, exuritur; cum interim materia urinae, quae non modo *liquidi ingesti*, sed, brevi temporis intervallo, *totius aegroti pondus longe superat*, abundanter suggeritur; principium nutriens, tum illud, quod ex alimentis quotidie novum hauritur, atque, minus subactum, potissimum

saccharinae substantiae elementum constituit, — tum alterum, quod in animalem humorem jam conversum est, omne per renes dissipetur, ac *tabes*, ut vocant, *ad matulam*, quae cum illa, quae in sexu sequiori ex *lactatione* diuturna vel *galactirrhoea* (§. DLII.) contingit, quamplurimum conspirare videtur, continuo increscat.

Hanc morbi tam obscuri originem confirmare videntur tum inexspectatus ac celerior plerumque diabetis ingressus tum ordo ac natura symptomatum non minus, quam latissima illius ad sexum, aetatem, temperamenta quaecunque, ac ad debiles aeque, ac robustos ad homines, extensio. Diabetis, quem *ossium emollitio* praecesserat, conservatum in fastis medicis exemplum non minus huc spectat, atque stimuli, vasorum lymphaticorum actionem nunc in solida (§. CCCXCIX,), nunc in fluida augentis ideam nobis excitat. Nec alterum, quod nobis in viro oblatum est, cui *diabetes*, dum pustulae summopere ardentes, dolentes, ad coxas prodirent, illico (licet iterum sat longam post moram rediturus) disparuit parvi faciendum esse putamus, confirmatum simili aliorum observatione, exemplum. Quod si vel *insipidus*, vel *decipiens*, ut vocavimus, *diabetes* difficultates hîc pariant: hae forsitan, si *primum*, ex *chylo* in sanguinem suscepto *pauciori*, aut priusquam hic per urinas secedat, in animalem naturam jam magis, ac in diabete *mellito* locus est, converso, — *alterum*, si ex succo chyloso secundas ad vias copiosius citiusque resorpto, per potum tam copiose non haustum, minus diluto, derivemus, non improbabili conjectura solvuntur.

Quod si illorum, quae hoc in morbo prae aliis auxilio fuerunt (§. CDLXXXIII.), licet admodum inter se diversorum, agendi rationem diligentius rimemur; haec omnis in eo consistere videtur: quod stimulo, illi, quem morbi causa exercet, opposito, abdominales praecipue in nervos agendo, *sensationis* in istis et in faucibus *perversae* conditionem immutando, ac in universum, hoc ex loco, nervosum systema operando, lymphaticorum vasorum resorptionis in opere intemperantiam frenaverint. Hoc scilicet modo, licet minus intellecto, sicut illa, quae resorben-

tium vasorum actionem intendunt, *hydropem* longinquum nunc alvo, nunc renibus expellunt; ita laudata in *diabete* medicamina, moderato *violentae suctionis* hoc in systemate impetu, tum *sitim* intensam exstinguunt, tum necessariam *chylo*, quo rectius in primis viis subigatur, moram concedunt; tum denique cutaneae *inhalationi* praescriptos a natura limites assignant. Qui *sitis* rationem in morbis intellexerit: hunc latere non potest, a pauca interdum bile corrupta, circa stomachum collecta, a cibo putrido vel acri, ac sale condito, a minima ingesti veneni portione, quin solo a spasmo, ac dolore abdominis violento, insigne mox potus desiderium accendi. Nec ignota esse possunt, quae a vermium in ventriculo, intestinis, reptatu, in faucibus ac vocis in organo contingant; et ab ascaride per ductum choledochum ad *hepar* delato, vel ipsius *hydrophobiae* comparuisse symptomata. Hinc mirum non erit, si et *vermes* interdum *diabetis* ad causas in pueris a quibusdam revocentur: cum istorum, hoc a stimulo, urinae non raro tum quantitas augeri, tum lotium, seri lactis adinstar, subalbescere videatur; et cum in uno ex nostris aegrotantibus incredibilis *ascaridum vermicularium* in ano *diabeten* tam praecesserit, quam perpetuo comitata sit, copia. Sed, nec ad sola *animalia*, nec solos ad *renes*, limitari videntur principii nutrientis, saccharini, morbosa secretio, excretio. Vel ipsa *plantarum* ad *folia* et *cortices* non raro gummosi, dulcesque liquores, ad stirpis ipsius *tabem* usque, transudant, et insecta, *aphes* innumeros, ut totidem parasitas, alliciunt. Ad cutem hominis *sudor*, *mellea dulcedine* instructus, non semel comparuit; ac talem *sudoris colliquativi* interdum esse indolem, non immerito suspicamur (§. CDLXXI.). *Dulcissimam salivam* in morbis alii non tam raro detexerunt; ac nota est *phthisicorum* plurimorum, sub fine morbi lethalis, insignis et ad nauseam usque molesta *dulcedo sputorum*. Vel ipsum *aurium cerumen*, in sanis tam amarum, *dulcem* aliquando manifestavit saporem; ac forsitan saepius, quam sciamus, saccharini et nutrientis principii per *chronicas diarrhoeas* jactura, tabis, illi, quam *diabetes* inducit, aequalis, potissimam reddere nobis posset rationem.

§. CDLXXXII. *Prognosis.*

Ex dictis (§§. CDLXXX. CDLXXXI.), quam *veri diabetis* infausta plerumque sit *prognosis*, jam satis comparet. Non desunt quidem illius, feliciori sub omine, curati hinc inde, quae spem erigant, exempla: et ex nostris *duos*, salutem recuperasse reminiscimur; sed ut *ex viginti*, quos uno celebrique a medico conspectos fuisse legimus, *nec unus* quidem hoc a morbo liberatus est; sic et qui perfecte apud nos convaluisse videbatur, et optime nutritus per plures jam menses incesserat, ab eodem, ut nobis per literas innotuit, morbo, quo mense pridem incoeperat, prehensus, perivit; alter vero aestivo sub tempore, quo morbus et alias, licet tunc minus, sopiri consueverat, ad suos, ut sanus, dimissus est. Hinc *senes* magis, quam *juvenes*, periculum hoc a morbo incurrere, nisi prognosi eadem ad omnes simul morbos exstensa, vix dicere audemus; nec, an *bibaces* magis homines, quam alii, gravius a diabete plectantur, ut dictum est ab aliis, satis certo pernoscimus. Ubi febris jam lentae symptomata hunc morbum comitantur; tunc citius in pejus ruit, — sed interdum adhuc per annum et ultra vitam protrahit aegrotans. Vix non ubique se hydrops diabeti senescenti adsociat. An et hydrops interdum in *diabeten acutum* convertitur? Aegrotus certe, qui rheumatica pleuritide, diarrhoea simul ac pedum oedemate adfectus erat, ad *Clinicum* depositus, in *asciten*, cum pauco primum lotio hîc incidit. Post vigesimam a morbo diem augentur urinae, venter subsidet; sed sitis ac fames increscunt. Mox potum longe superant urinae *non dulces*, et quotidie, licet alvus copiose semper flueret, ad *quindecim*, aut *decem et octo*, interdum *viginti quatuor ad libras* pallidae secedunt: donec, morbo per dies adhuc sexaginta et septem, eodem tenore, protracto, extrema sub tabe, aegrotus exspiraret. Jam antehac conspeximus hydropicos, quibus aquae, vel sponte ac paucarum intervallo dierum, per urinas impetuose profluxerant: quibus, insignem ad gradum emaciatis, pellis, inanis ut saccus, ab ossibus pendebat; et qui, cum de hydrope tam feliciter devicto laetabantur, post paucas modo

dies exhausti. inopinato et medios inter congratulantes amicos, ut funus, concidebant. Forsitan urinarum, quod in istis neglesimus, examen, non solas modo aquas, sed nutriens principium se per renes cum istis praecipitasse, in talia attentos docuisset. Qui morbi alterius *crisin* constituisset, *verum diabeten* non vidimus.

§. CDLXXXIII. *Cura.*

Sub tanta causarum, quae diabeten inducere creduntur (§. CDLXXXI.), ambiguitate, ac felicioris curationis, quae vel unam, vel alteram ex illis, ut proximam, confirmet, sub defectu, vix aliud hîc a nobis expectari censemus, quam ut ea, quae pluribus profuerint, — atque alia, quae nobis ulterius hoc in morbo rebelli tentanda esse videantur, exponere moliamur. Nullibi plerumque Medicina auxilii tam egena est; quam ubi majores remediorum divitias pro una eademque aegritudine possideri gloriantur theoretici: atque in ipso diabete tam multa, tamque contraria inter se auxilia laudata fuerunt; ut vel ex hac sola rationis medendi inconstantia, plurimorum jam nimis manifestetur inertia.

Pro varia scilicet, quam sibi quisque de causis diabetis formaverat, idea (§. CDLXXXI.), nunc stimulantia, roborantia, adstringentia, nunc anodyna, sedantia, nunc vero calculo adversa, vel et resolventia, et stomachica, et diaphoretica, vel demum antiseptica, in usum vocavit remedia. Hinc alii *alumen* aut in pulvere (N. LIX.), aut sero lactis solutum (N. LX.), bis terve in die, a scrupulo ad drachmam usque dimidiam, aut ferrum, aquas martiales pro potu, vel corticem peruvianum, aut quercinum, rhabarbarum, gummi Kino, quin ipsam cantharidum tincturam (N. LXI.), a guttis quinque ad decem, ac sensim sensimque ad triginta cum aqua, vel et balneum ex frigida, vel renum per fascias compressionem, in usum traxerunt; — alii ad aquam e calce paratam, — hi, ad ea quae obstructiones reserarent, — illi, ad amara ciborumque digestioni faventia medicamina confugerunt; — vel calido alii ex balneo; ex variis diaphoreticis, in primis vero ex pulvere *Doveri* (N. XXXII.),

a granis decem, ad viginti, triginta, quin gradatim ad sexaginta, quotidie ad noctem porrecto, auxilium petierunt; — alii quae sanguinem tenuiorem inspissarent, vel acria in eodem involverent, demulcentia cum lacte porrecta, mucilagines, emulsiones ex gummi arabico, tragacantha, vel, quae putridam solutionem averterent, antiseptica ex cortice, vel et acidis mineralibus, praeferenda esse duxerunt; ac demum alii, ut cutis spiracula, quae aquam atmosphaerae ex sinu nimis avide haurire creduntur, obturarent, pellem integram cum oleo sollicite ungendam esse putarunt.

Ex tam contrariis inter se remediis, tum pulverem *Doveri*, tum cantharidum tincturam, et alumen, frequentius, quam alia, profuisse, apud medicos scriptores, — sed in propriis nequaquam diariis, reperimus. In diabete *insipido*, ab adhibitis modo *decem* tincturae praedictae guttulis, pauciores quidem, sed cum dolore, mingebantur urinae: suspenso medicamine, dysuria disparuit; eoque iterum porrecto, remedium quidem pertulit, sed, vicinus jam morti, auxilium non habuit aegrotans. In alio, ejusdem tincturae dosin gradatim ad drachmam in die adauximus: sed licet urinae hac sub methodo difficulter non prodirent; earum tamen copia vix quidquam imminuta fuit. Feliciori cum successu ex nostris quondam *auditoribus* unus, vesicans emplastrum ossi sacro imposuit, atque *duos* ab hoc morbo aegrotantes restituit. In ipso vero *diabete mellito*, in quo nec alumen, nec tinctura cantharidum, nec pulvis *Doveri* cum camphora, nec corticis peruviani cum simaruba decoctum, nec demum myrrha cum sale martis, auxilii quid praestiterant; ab assae foetidae cum extracto myrrhae aquoso et valeriana, usu, conspicuum urinarum decrementum, — ac tandem a *cupro ammoniacali*, bis in die a grano dimidio ad granum integrum porrecto, perfectam valetudinem, quam lautior simul victus confirmavit, obtinuimus.

In genere, sub tanta principii nutrientis per urinam jactura, atque sub fame tam insigniter in plurimis urgente, alimenta ad eam simul, quae vires in malo tam diuturno sustentet, quantitatem augenda, atque talia, quae succo nutritio abundent, quin eundem vel leviori digestionis sub opera profundant, eligenda sunt.

Quam celerrime hoc opus in plerisque aegrotis absolvitur: hinc istis a cibo leviori et cum nimia facilitate extrahendo, mox novi latratus stomacho et ardores succedunt; vel chymus, vix e ventriculo descendens, a potu tam largo abluitur, et diarrhoeae sub forma, quin emolumento esse possit, expellitur. In aegroto, cui alvus sub *diabete* quamplurimum fluebat, urinam copiosam quidem, sed expertem dulcedinis, observavimus; ac licet alter diarrhoeam cum lotio sat dulci hinc inde pateretur, dulciorem forsitan sub alvo sicciori urinam minxisset. Potulenta hoc in morbo diversa, lac ipsum cum saccharo remistum, sat aequali cum rerum eventu, porreximus. Interrogatus, quem sibi minus officere, atque sitim magis exstinguere sentiret potum, aegrotus, *vinum* esse respondit. An *alcohol* aquae superadditum, ut et sitim in messoribus magis fallit, et liquida, ne cito nimis per cutem aut renes aufugiant, cohibet, in diabete conduceret? . . . Ex acidis mineralibus cum potu remistis utilitatem, quod sciamus, non habuere aegroti. Qui acidum in primis viis praedominans interni ardoris pro causa aspiciunt: hi, aquam ex calce paratam cum lacte commiscent, sed morbum hoc potu non frenant. Melius emulsio ex amygdalis, et cum gummi arabico, quibusdam conduxisse videbatur. *Sudores* in *diabete*, si partis unius madorem excipiamus, a tepido nequidem balneo promoveri conspeximus. Nec *opium* aegrotis, nisi breve, solatium concessit. An *balneum vaporis*, hanc cutis secretionem restituendo, morbosam simul vasorum resorbentium actionem inverteret? Ab *oleo*, quod cuti illinivimus, urinae copiam imminui non vidimus. Cum vero fauces tam insigniter hoc in morbo, nervorum, ut putamus, ex vitio, siccescere observamus; an forsitan *mercurius*, vel excitata cum eodem *salivatio*, conducerent! . . . Qui morbi, de quo agimus, *raritatem* considerat; is talia a nobis *dubia*, non *facta*, proponi, condonabit.

ORDO I. GENUS III.

ENURESIS.



§. CDLXXXIV. *Natura morbi.*

Quem pro urinis, ne, perpetuo foetore molestae, indecore aufugerent, in pelvi natura recondidit, alveus: hic in sano animali per horas sat multas transmissum sibi a renibus lixivium, quin stimulum persentiat, conservat; donec et mole, et pondere, et acredine impuri liquoris adauctis, pro potus, ciborum, transpirationis cutaneae, ac propriae capacitatis, sensibilitatis, consuetudinis ratione, admonitus, non sine pleno voluntatis arbitrio, vi sua, vel abdominalium musculorum, diaphragmatis auxilio suffultus, contenta vel placide, vel cum impetu expellat; aut, si aliter modestia, occupatio intensa disponant, diutius coërceat. Hanc lotii, vel medio sub flumine, *retinendi* potentiam oeconomia animalis non proprio, qui deest, sphincteri, sed fibris a musculo, quem *ani levatorem* appellant, in subsidium vocatis concessit: ut quo *pseudosphinctere*, sub alvo fluente, laxato, urina nullum, quam comprimentis, aut compressae vesicae imperium agnoscit, ac nolenti animali subtrahitur. Diversis autem in morbis, quid quod apud pueros profundo sub somno, ac in sexu sequiori, cui debilior ad vesicam est custodia, sub variis positionibus, similia interdum contingunt: ac lotium, vel minori quantitate collectum, evacuationem, frequentia, non dolore, incommodam exposcit; aut antequam se homo ad mictionem componat, vel nolentis praecipitatur ex urethra, — aut somno detentis

in lectulos aufugit, — aut insciis, delirantibus aegrotis per vias naturales, vel et alias, morbosas, quod *enuresin*, vel *urinae incontinentiam* vocamus, effunditur.

§. CDLXXXV. *Definitio.*

Enuresis hinc est lotii, vel sani, vel morbosi, succedens praeter arbitrium ac indolens ex vesica per urethram, aut per vias non suas, stillicidium, profluvium; vel potentiae urinam coërcentis sublatum aequilibrium, debilitas, aut perfecta abolitio.

§. CDLXXXVI. *Differentiae.*

Diversa foedi hujus morbi (§. CDLXXXV.) natura est: atque nunc prorsus nolentibus, aut insciis hominibus urina profunditur, et *completa* est *enuresis*; nunc vix admonitis de nova collectione, priusquam ad mingendum se accingere quis possit, praecipitatur (*enuresis incompleta*), — aut sub somni, vel animi delirantis ludibriis (*enuresis nocturna*, *delirosa*) subdole aufugit hoc lixivium; — atque talia, vel ipsius vesicae ob morbum (*enuresis idiopathica*), vel ob causas, quae in ista non resident (*enuresis symptomatica*), vel rarius (*enuresis accidentalis*), vel, consuetudine contracta, frequenter et longos per annos (*enuresis habitualis*) contingunt. A *diabete* (§. CDLXXVIII.) distinguitur *enuresis*, quod lotium in ista, neque copia, neque sapore, cum illius urina conveniat; quod sitis tam intensa non urgeat, nec tabes aegrotantem emaciet. Interim, quod in superioribus jam dictum est (§. CDLXXIX.), *cum diabete enuresis interdum complicatur*, atque diagnosis difficultatem, nisi attento in singula animo, non parvam opponit. A *dysuria*, *enuresis* differentia, ob dolorem, ardorem, qui illam comitantur, sat facile eruitur; sed et has affectiones subinde *conjunctas* incedere non implicat: ac sicut ipsam *urinae*, imperfectam licet, *suppressionem* simul cum *enuresi* incessisse haud raro conspeximus; ita, ex non absimili ratione, urinam subinde et cum dolore, praeter voluntatem, in illis, qui abscessum aut ulcera vesicae ad collum, vel ad prostratam patiuntur, emitti videmus.

§. CDLXXXVII. *Symptomata.*

Vix alia, quam recensita hucusque (§§. CDLXXXIV. — CDLXXXVI.) symptomata, vel illa, quae proprio vesicae, vel alii hoc in viscus agenti morbo conveniant, in *enuresi* occurrunt. Interim et foetor insignis, qui continuum urinae profluvium comitatur, atque a quavis societate humana aegrotantes excludit, et facilis genitalium, perinaei a tam acri liquore erosio, *intertrigo* (§. CCCXCVII.), huc spectant. *Puerorum* in primis, ac *senum*, enuresis est morbus; sed et *feminae* jam partum expertae non raro huic subjacent; et in genere hic sexus, ob dictas rationes (§. CDLXXXIV.), sub impetu, sub violentis vel tussi, vel cachinno, urinae portionem non raro invitus dimittit.

§. CDLXXXVIII. *Debilitas. — Paralysis. — Sensibilitatis augmentum. — Vitium organicum.*

Quod in aliis animalibus, — hoc et in homine, non ad vitae socialis urbanitatem ac modestiam, sed a sola natura ad turpitudinem educato, contingere videtur: ut, quo loco ac tempore ab urina vesicam stimulari persentiat, hoc statim ac sine pudore hunc alveum exoneret. An caeterorum *pulli* animalium, humana ut proles, *sub somno* urinam deponant, nos quidem nescimus; sed certe nulli tam longa et incommoda, quam homini, est infantia animali; nec primis adhuc plumis destituta avicula nidum, ut puer, conspurcat.

Pseudosphincteris debilitatem, *relaxationem*, apud multos ut causam enuresis cum aliis admittimus: sed qui talem apud infantes aut pueros in se ipsos sub somno mingentes ubique supponunt; hi aut vesicae *sensibilitatis* majoris, aut propriae huic aetati incuriae, aut insomnii, ac pravae consuetudinis effectus cum vera debilitate confundunt. Non infrequens est interim *incontinentiae* haec ratio: et vel a casu, contusione ac vulnere perinaei, vel ab ani, vaginae, uteri, prolapsu, ab hernia vesicae, a calculo, collo istius diutius inhaerente, vel ruditer extracto, a partu difficili ac longo, a nixu sub tussi ferina, vel ad alvum reserandam violento, ab inflammatione colli vesicae

praegressa, a spasmo hujus visceris frequente, a Veneris abusu, carneus hujus partis custos non raro debilitatur, relaxatur, distenditur, distrahitur, et a sphincteris officio removetur. An corporis totius debilitas, sine vitio locali, enuresin apud infantes senesque producat, dubitamus.

Frequens, neque cum sola *debilitate* confundenda, incontinentiae urinae causa est *paralysis*: cujus origo nunc ipsum ad cerebrum, — plerumque lumbalium vertebrarum in antro, — interdum ad nervos colli vesicae ac pseudosphincteris, delitescit. Ipsius quidem vesicae totius resolutio frequentius, quam colli aut sphincteris solius paralysis, his a causis descendit, ac vitium *enuresi* oppositum, *retentio urinae*, si viscus ipsum resolvatur, inducitur: sed praeterquod utrumque hoc mali genus non raro conjunctim et eadem ex causa procedat; interdum ad sola nervorum, qui pseudosphincteri concessi sunt, principia vel decursum, licet pathologicae sectiones id ubique non indicent, morbi causa haerere videtur. In febribus acutis, nervosis, aegroti frequenter, quod et ebriis hominibus contingit, urinam per stragula vel inscii, vel delirantes effundunt: ac primum vesicae, mox et ani sphincteres officio praeesse recusant. In multis affectus soporosi, paraplegia, hemiplegia, hydrocephalus internus, ventriculorum cerebri hydrops, cyphosis, contusio, concussio, luxatio, fractura, caries, exostosis vertebrarum, hydrorachitis, aut hydrops in ossea hac specu, a nobis, vel adultos apud homines, aliquoties conspectus, depositio rheumatica, vel alia, inflammatio, abscessus, enuresin, plerumque cum urinae retentione complicatam, aut saepius hanc solam, producunt. In aliis, calculi, aut fistulae ad anum suscepta sectio, aut longa in balneo frigido remora paralysin sphincteris pro effectu habuerunt. Hoc igitur vitalitatis ad inferius vesicae segmentum infractae, vel abolitae sub statu, urina vix ureterum ex ostiis in hunc alveum delata est: cum hunc ipsum decliviores per vias mox deserit, ac *sine sensu*, *continuò* per urethram obscoene distillat.

Sed vel contrario ex vitio, *sensibilitatis*, *irritabilitatis* ad superficiem vesicae internam *intemperantia*, vel

nativa, vel per ipsam consuetudinem inducta, vel ex stimulo quocunque oriunda, urinae frequentius, quam par est, aut et praeter voluntatem redduntur. Sunt certe, qui lotium sat diu, — sunt, qui per paucas modo horas, irritationis sine sensu, hoc liquidum retineant: quae diversitas non a sola hujus alvei capacitate minori, majori, — sed *propriae sensibilitatis* a gradu, vel a contracta urinas aut frequentius aut rarius mittendi *consuetudine*, dependent. Quae, ab urinis soluta, forte solito vel parum acriora, vesicam alluunt: haec, licet ardorem necdum, vel dysuriam inducant, mejendi necessitatem in pluribus mox augent. *Infantum* his a causis frequenter proficiscitur enuresis: ac interdum unius ejusdemque familiae proles ad unam omnes hoc vitio, non semper sine labis congenitae, scrophulosae, arthriticae dispositionis suspicione, laborant. Sic omnes parentum a podagra vexatorum filios, ad pubertatis usque tempus, *enuresi nocturna*, quaecunque demum subministrarentur subsidia, pertinaciter afflictos fuisse novimus. Vix menstrua filiae proruperant; cum sponte ac praeter opinionem hic morbus dispareret: sed brevem post moram, haec ipsa *spasmodicum* in *asthma*, licet corporis eleganti firmoque habitu gauderet, conjecta, et *herpetibus* hinc inde ad cutem notata est. Quibus aut renes a calculo, aut urethra ex blennorrhoea irritantur: his et vesica redditur sensibilior; et hac ultima jamjam dispersa, hoc receptaculum a minori, quam pridem solebat, urinae quantitate ad istius excretionem sat diu sollicitatur. A rheumatico, catarrhali vesicae affectu, a chronica hujus visceris phlogosi, a sanguinis menstrui, haemorrhoidalis, has ad partes congestione, quin dolor ubique se prodat, — et interdum, ut diximus, a solo cum partibus aliis consensu, hujus alvei sensibilitas et mictionis frequentioris necessitas non raro increscunt. A spasmo vesicae, vel abdominalium musculorum violento, urinas cum impetu expelli, epilepticorum exemplo comprobatur. An et *vermes* subinde vesicam humanam exstimulant? . . . *hydatides* cum urinis excretae, et qui *canum* in *renibus*, ac, prout nos ipsi conspeximus, in ejusdem animalis *vesica*, reperti sunt vermes ascarides, a polyposis concretionibus, his in

locis interdum reperiundis, ob organicam structuram diversi, vermium in vesica repertorum exempla de hominibus, a variis scriptoribus adducta, confirmare videntur. Ex recto intestino per ulcus in vesicam intrasse, de quibusdam, — sed, quod canis exemplum sani nos docuit, non de omnibus dicendum est.

Quaecunque vesicae cavitatem imminuunt: ut ejusdem, ab utero scirrhoso, cancroso, hydropico, vel steatomate praemagno, vel et *ossea* substantia, quae in museo pathologico possidemus, vel polypis repleto, vel gravido, — a foetus capite, aut clunibus, a scirrho intestini, mesocoli, vesicularum seminalium, angustatio, compressio, — membranarum, quae vesicam componunt, vel universalis, vel circa collum, ab ulceribus, a calculo inducta crassities, callositas, — excrescentiae fungosae, polyposae, iterumque calculus, tumores purulenti, scirrhosi, quae vesicae portionem inferiorem occupando, urinam ab eadem excludunt, contractionem aequalem, aut pseudosphincteris actionem impediunt, vel mingendi necessitatem perpetuant; — haec singula mox *enuresin*, mox vitium huic oppositum, mox illam cum isto conjunctam, constituunt.

Huc spectat urinae, vitio aut congenito, aut a praegressa inflammatione, exulceratione vesicae derivando, per vias haud naturales, atque voluntatis imperio nequidquam subjectas, ex hypogastrio, umbilico, perinaeo, intestinis, contingens egestio. Sic vesicam sub abdominis integumentis ad pubem prolapsam, ac duplici externoque ostiolo obscoenum liquorem perpetuo exstillantem *Bruchsaliensi* in juvene, ac in tenero infante conspeximus; post longas ischurias urinam per urachum sibi vias aperuisse, experientia testatur; a mesocoli carcinomate cum vesica cohaerente atque corroso, istius, et intestini communicationem, — atque similem in *rectum* intestinum vesicae aperturam in viro a dysenteria, — et in altero, ab haemorrhoidali inflammatione correptis, observavimus: ex prostatae suppuratione, ulcere venereo, aut ex calculi sectione, frequentes ad perinaeum urinales nascuntur fistulae; ac mulieribus non paucis a partu difficili, artificiali, ex inductis colli vesicae, ac

urethrae inflammatione, concretione, ac subsequente laceratione vel ulcere, urina foedo per vaginam aut alvum spectaculo decurrit; atque tribus in viris, in exemplum hîc adductis, nunc flatus, nunc faeces per urethram exivisse deteximus.

§. CDLXXXIX. *Prognosis.*

Cuivis ex enumeratis (§. CDLXXXVIII.) incontinentiae urinae speciebus, sua et propria est prognosis. Quae solam *debilitatem* pro causa agnoscit, nec diu continuaverit, — quae modo sub somno profundo, longiori contingit: ea remediis, opportuna vivendi ratione, adhibitis, vel sponte, crescentibus annis, disparet. Quam herniae, prolapsus inducunt; hanc repositio sat cito suscepta dispellit. Quae ex *paralysi* descendit, incontinentia, ea, nisi causa illius mox ab initio sublata, perraro, — ac si talem auferri non liceat, nullo tempore sanatur. In morbis acutis enuresis, cum simul alvi excretio praeter arbitrium accedat, frequenter, non tamen ubique mortem praenunciat. Quae ex *morbosa* vesicae *sensibilitate* proficiscitur; ea, si causam istius dissipare valeamus, vel tractu temporis et sponte cessabit. Ex pessimis est enuresis, quam *vitium* vesicae, aut partis vicinae, *organicum* induxit; atque sic mali, de quo agimus, ex causarum, quibus debetur, consideratione potissimum eruenda est prognosis.

§. CDXC. *Cura enuresis ex debilitate, — enuresis ex paralysi, — enuresis ex sensibilitatis excessu, — enuresis ex vitio organico.*

Ut quovis alio in morbo, sic et in *enuresi*, praecipuum curationis momentum in causis removendis consistit: quod, cum frequenter obtineri non queat, imperfectam, aut nullam hoc in casu medelam aegritudo admittit.

Nascentem ex debilitate incontinentiam, nisi provectam nimis, corroborantia, excitantia, ipsi loco adfecto admota, feliciter dispellunt. Hinc repetita partium vicinarum in frigidam immersio, frigida, vel spirituosa, aromatica fomentatio, linimentum volatile cum oleo nucistae expresso, *perinaeo* apposita, clyster

frequens cum camphora ex corticis decocto, quod ultimum et interne cum rhabarbari aequa portione adhibendum est, praecipue indicantur. Interdum tinctura cantharidum a quinque guttis ad quindecim, viginti, cum debita cautela, bis in die, ex aqua porrecta auxilium concessit.

Non multum diversa, sed longe difficilior, ac plerumque infausta est enuresis ex *paralysi* medela. Praeter ea igitur, quae morbum primarium, aut praegressam apoplexiam, paraplegiam etc. concernunt; tum dicta jam remedia in opem trahenda sunt, tum vesicans ossi sacro imponendum, regio lumbalis linimento volatili cum camphora ungenda, viresque electricitatis, ab ossis sacri confiniis ad perinaeum, dirigendae sunt. Injectiones ex cortice peruviano paratae, hoc vesicae sub statu, per urethram mox refluunt, atque in illius universali paralysi nobis, licet retentae, perparum praestiterunt.

Quibus urinae ex nimia vesicae *irritabilitate, sensibilitate*, vel citius, frequentius, quam par est, vel praeter voluntatem se praecipitant; his, suppressa primum, aut saltem moderata morbosae dispositionis origine, remedia ex causae ipsius cognitione petenda, atque hinc alia aliaque conducunt. Sic, ubi suppressio menstruorum, haemorrhoidum, plenitudini vasorum circa vesicam, atque tensioni, nimiaeque mobilitati occasionem praebuerint; hanc tollunt appositae vel pudendis, vel ano, perinaeo, hirudines, enema, fomentatio ex frigida cum aceto. Si ab acri rheumatico, vel alio, sensibilitatem perversam contraxerit vesica; remedia huic acri corrigendo, ab hoc viscere avertendo, idonea indicantur. Quam calculus hoc in receptaculo contentus irritationem inducit; hanc sectio illius avertit: vel, si ab instituta operatione, vel post blennorrhoeas jam abactas, vel post alios spasmodicos affectus, vesica morbosam sensibilitatem diutius manifestat; *opium* sat larga dosi per clysteres intestino injectum conducet. Infantes sub nocturnis insomniis in se ipsos mingentes, ad coenam tum potu copioso, tum cibis, qui urinae copiam adaugent, abstineant; ut lotium, quo lectulum petunt tempore, deponant, adertantur; ac hora nunc ista, nunc illa, ex somno longiori, ut vesicam exone-

rent, evigilentur. Nec minae, nec verbera, nisi ratio et pudor, aut aetas major id faciant, habituali huic vitio medentur. Si forsitan universalis debilitas cum nimia vesicae sensibilitate conjuncta videatur; tunc chinae decoctum, ac caetera roborantia, — atque si per consensum vesica stimulari videatur, nunc opium; nunc illa, quae longinquae irritationis causam debellent, in usum trahenda sunt.

Orientem *ex vitio organico* enuresin vix unquam medicina dispellit. Interim, si urethra mulieris ex partu difficili in vaginam aperiatur, cathetere flexili ad vesicam conducto, ac lotio per illum, tempore sat longo, sollicite evacuato, raro quidem, sed interdum urinae per vaginam defluxus avertitur. Vix unquam tam felices esse licebit, si vel ipsa vesica lacerata incontinentiam producat; interim *genuensis* nobis exemplum juvenis notum est, cui vesicae abscessus cum recto intestino sat aperte communicans, vel solius auxilio naturae sanatus est. Quam caput foetus, vel uterus gravidus in vesicam exercet, haec saepe facili negotio aufertur compressio. Vesicae scirrhus, callositas, excrescentiae, nullum ab arte humana auxilium admittunt.

Quo igitur in casu enuresin auferri non licet; urina saltem, ne foedo spectaculo nolentibus effluat, ac partes subjectas erodat, instrumentis, quae *Chirurgia* pro sexu quovis suppeditat, colligenda est.

ORDO I. GENUS IV.

PTYALISMUS.

§. CDXCI. *Ptyalismus.*

Fons triplex *saporis* atrium irrorat. atque subtilem, penetrantem ille vaporem ubicumque exhalat; hic blandam, lubricantem lente eructat pituitam; tertius insipidam limpidissimamque undam nunc placide scaturit, nunc rapidam ac divitem cum impetu expellit. Insignis hanc ultimam, pro cavo non magno, glandularum congeries, vel sponte, vel nervorum imperio, irritatione quacunque, pressione coacta, profundit: nec febris hanc perennem scaturiginem, ut illam muci, aut vaporis in ore penitus exsiccat. Ex cognita hueusque salivae humanae analysi, vix tanta, ut vel ab aqua puriori suppleri non posset, nobilitas resplendet; et animalis naturae, praeter suam originem, hic liquor vix multum ostendit: sed aliter nos docent digestionis ciborum sub nimia ejusdem jactura languentis effectus, — aliter observatio, aperto scilicet, sub artificiali salivatione, hoc fonte, principium vitale has per vias, quasi in ipso diabete per renes, ruisse, — saporem hujus liquidi, cum sano in homine nullus esse consuevit, conspicuam in aliis *salsedinem*, in aliis *dulcedinem* insignem ac melleam prodidisse, — febres malignas, nervosas non modo praecipuam depositionum circa glandulas salivales sibi sedem eligere; sed per abundantem salivae fluxum, quem aphthae non producant, non raro dispergi (§. XCI.); — hunc ipsum liquorem potissimum *hydrophobiae* vehiculum, cujus unica jam guttula hunc morbum in sanos propaget, constituere; — ex omnibus humani animalis secretio-

nibus nullam a solo nervorum imperio tam celeriter, quam istam intendi; — insigne glandulas salivales inter et testes, et mammas (§. CLXXIV.) et ventriculum, et ipsa intestina sensationis commercium existere: quae singula salivae dignitatem, tum sano, tum aegrotante in homine, abunde demonstrant.

§. CDXCII. *Definitio.*

Quod si igitur salivalis hic liquor (§. CDXCI.) copiosius, quam naturae ad usus requiratur, secretus, aut continuam atque molestam deglutitionem exposcit, aut ex ore praeter modum ubertim distillat, aut, ob ductus laesionem, se per genas praecipitat; *ptyalismus*, *salivatio* vocatur.

§. CDXCIII. *Differentiae.*

Ptyalismus vel sponte ab ipsa natura promovetur (*ptyalismus spontaneus*); vel ab arte inducitur (*ptyalismus artificialis*); atque ille vel *primarius* est (*ptyalismus idiopathicus*); vel morbi alterius *symptoma* (*ptyalismus secundarius, consensualis*) constituit. In quibusdam saliva non semper, sed *periodice* ex ore distillasse observata est (*ptyalismus periodicus*). *Epidemicam* interdum ptyalismus, *secundarius*, ut credimus, naturam assumpsit (*ptyalismus epidemicus*); et *criticae* salivationis, tum febrilibus, tum aliis in morbis exempla numerosa (*ptyalismus criticus*) habentur. Ptyalismum *traumaticum* vocamus, cum saliva ob ductus proprii laesionem externam, utplurimum copiosius, quam naturales per vias fecisset, delabitur.

§. CDXCIV. *Symptomata.*

Rarior spontaneus ptyalismus est, qui ex propria glandularum salivalium affectione descendat; frequentior ille, qui aliis sub morbis symptomatice propullulat. Quocunque tamen hic modo nascatur, oris antrum continuo limpidissimi liquoris, vel simul muci, affluxu obruitur, et ad continuos screatus urgetur. Spumosam saepe indolem a muco commisto salivae assumunt, atque vel loquente, vel dormiente aegroto, per labia et mentum, nauseoso aspectu, distillant; vel qui clauso forsitan ore obdormiunt: hi suffocationis, ab irruente

per laryngem saliva, metu perculsi, desiderato a somno arcentur. Rarum est, salivam tam copiose secretam non alio simul vitio laborare, quo cavum oris a phlogosi correptum, ab ardore, calore ac pustulis ulcerosis inquinatur. Interdum dolor ac tumor ad glandulas parotides, submaxillares, conspicuus occurrit. Sunt, quibus, ob miram ad partes faciei laxitatem, salivae per flaccida et pendula oris labra continuo derivantur; atque alii, vel sola consuetudine, vel a copia salivae inducti, lacu salivali vicina sibi loca quaecunque inundant. Omnibus vero a quotidiana salutaris liquoris jactura digestio ciborum difficulter absolvitur; et corpus, sub majori illius dispendio, quod salivationis mercurialis exemplo docemur, contabescit. Qui acida, vel pingui et rancida ventriculi, intestinorum saburra laborant; hi, praevia *ustionis*, et quasi *flammae ex stomacho per oesophagum ascendentis* molestissima sensatione, limpidissimi liquoris quantitatem, sine vomitu, sat magnam cum levamine eructant. Hic liquor, licet imo a pectore aut ventriculo ascendere videatur, salivalis protinus naturae est, et quasi metallico sapore instructus, cum maxima oppressione, anxietate rejicitur. Potatores hoc malum, sub horis matutinis, frequenter molestat.

§. CDXCV. *Causae.*

Si majorem nervorum in glandulas faciei conglomeratas potentiam excipiamus, qua, ferculi desiderati odore, aspectu, vel sola percepti quondam saporis recordatione, saliva cum impetu jam prosilit; non aliis ex causis salivae, quam aliorum humorum (§. CDLXVI.) secretio naturalem excedit. Qua demum ratione *mercurius* salivam prae aliis secretionibus, quacunque sub forma porrectus, tam facile ac potenter adaugeat; hoc, sicut ex lege stimulorum generali explicari non potest, ita certam humoris salivalis cum hoc metallo *affinitatem*, licet minus intellectam, supponere videtur. Huic similem quodammodo subtiliora pestilentialium morborum *contagia* (§§. LXXXIII. XCII.), externae *cynanchis causae* (§§. CLXXIV. CLXXVI.), atque criticae salivationis materia incognita, sat evidenter ostendunt; quamvis

quicunque stimulus, oris cavo, vel ipsis glandulis salivalibus admotus, ut a sola jam fumi tabacini suctione apparet, eosdem effectus producat. Sic dentitionis difficilis sub opere, a dente carioso, a dolore, seu trismo, ut vocant, faciei, a gingivarum exulceratione, a linguae, aut faucium inflammatione, mandibulae fractura, vel tetano, convulsione, quin a sola jam oscitatione, glandularum, ductuumve salivalium a musculis compressione, a calculo sub lingua, vel in ductu salivali haerente, copiosam aegroti ex ore salivam profundunt; et ab aphthis deciduis non minor humorum ex buccis excretio succedit. Suppresso ex pedum refrigerio, aliave ex causa, perspirabili vapore, vel renum secretione imminuta, vel menstruis obstructis, vel adeo sub menstrui in teneris virginibus principio, sputorum interdum mox copia augetur. Salivatione praecedente, alvus dura, urina pauca, secretiones omnes parciores observantur; a diarrhoea suborta, vel perspiratione adaucta non raro ptyalismus dissipatur: ac ad salivationem a mercurio praeveniendam, non certius, quam tepor atmosphaerae, et aucta transpiratio, remedium habetur. Sed jam solus ad ventriculum, ad intestina stimulus abundantem mox prolicit salivam. Ex nausea, vomituritione, copiose hîc latex ex ore distillat; a scirrho oesophagi, gastritide, cardialgia, a colico dolore, a vermium reptatu, similia contingunt. Vel a sola conceptione, quanta non a gravidis sputorum rejicitur copia! et quanta non ab hypochondriacis, hystericis, melancholicis, ab illis, qui acidam aut rancidam in ventriculo saburram circumferunt, aut a *pyrosi*, exspuitur saliva (§. CDXCIV.)! In homine ex *pancreate scirrhoso* contabescente, ad decem haec ipsa libras quotidie rejecta est. An oriens a suppressa salivatione diarrhoea, ex aucta ejusdem naturae *pancreatici liquoris* secretione descendit? Abundantem nuper salivationem in viro conspeximus, cui *paralysis ad linguam, intacto saporis officio*, pene omnem hujus particulae, quasi tabe laborantis, *motum* abstulerat. Caeterum, quae a faucium, genarum, pharyngis paralysi subsequitur salivatio; ea plerumque non ex aucta salivae copia, sed ex musculorum, hunc liquorem coër-

centium, inertia, aut ex deglutitione impedita, per mentum delabitur.

§. CDXCVI. *Prognosis.*

Sub tam raro salivae *primario* effluxu, *prognosis* momenta ex historia morborum, quibus ptyalismus ut *symptoma* accedit, repetantur oportet. Qui sub fine morborum sine virium jactura majori contingit; hic salutarem plerumque illorum per has vias solutionem praedicit; atque talem per plures hebdomadas eum evidente beneficio fluisse conspeximus. Qui salivam vel ex mala et indecora consuetudine, vel ex rebus acrioribus, masticatione, suctione tractatis, copiose rejiciunt; his ciborum digestio labefactari, atque aliae secretiones excretionesque imminui observantur. A fortiori, neque critico ptyalismo, ut ab eo, quem pridem ad luis venereae curationem promovebant, non minus ob humoris nobilioris jacturam, quam ob impeditae masticationis, atque ob somni denegati rationem, extrema corporis debilitas ac macies brevi tempore inducuntur.

§. CDXCVII. *Cura.*

Quae ratio medendi *secundario* ptyalismo conveniat; hoc vel aliis hujus operis in locis jam expositum est, vel in sequentibus succincte tradetur. Quae ex propria glandularum affectione descendit, rarissima est salivatio, atque ex stimulo his organis proxime admoto, plerumque, ut videtur, catarrhali, rheumatico, facilius, quam ex sola debilitate, explicatur. Talem nos ipsi *habitualem* in juvene conspeximus, atque alterum ptyalismi, sex jam per annos verno tempore recurrentis, exstat de femina exemplum. Si calculus salivalem ad ductum aut glandulam suo stimulo ptyalismum indueat; peregrino hoc corpore prudenti sectione ablato, importuna simul exsiccatur salivatio. Quam sibi methodum *traumaticus* ptyalismus exposcat, Chirurgia nos docet. Ex quocunque demum stimulo glandulae salivales irritentur; fomentatio nunc sicca ex farina, vel cineribus cum herbis aromaticis atque camphora remistis, nunc humida ex emolliente decocto, cataplasmate, seu calor loci affecti aequalis,

moderatus, plerumque conducunt. Salivationem rebellem vesicans nuchae appositum hinc inde moderatur. In aliis, balneum, et quae pellem ad sudores disponant, evacuatio alvina, profuerunt. A collutoriis vi adstringente instructis, in primario ptyalismo, vix multum exspectamus; atque in genere retinendum est, salivationem, quae morborum ut *crisis* incedit, cum periculo repelli; et vel symptomaticum ptyalismum, ne difficilis diarrhoea insequatur, cum prudentia majori esse pertractandum.

ORDO I. GENUS V.

EPIPHORA.

---

§. CDXCVIII. *De lacrymis.*

Epiphorae, ut *symptomatis*, quod oculorum inflammationem frequentius comitatur, alibi (§. CL.) mentionem jam injecimus: sed, licet profluvii hoc genus rarissime *primarios* ad fluxus pertineat ejusdem nihilominus considerationem, ut medicorum attentione non indignam, pro meliori systematis morborum intelligentia, hîc breviter resumimus. Non paucis quidem animalibus lacrymales glandulas natura distribuit; sed nulli ex istis tam durum ac frequens, quam generi humano, hoc de fonte hauriendi imposuit onus. *Lacrymarum* vero sub nomine tam rorem illum, qui ex oculi et contigua palpebrarum superficie *insipidus*, ut videtur, evaporat, quam commistum huic ipsi *salsum* et ex glandulis sibi propriis distillantem, humorem intelligimus: qui, licet ob separationis solius intemperantiam vix debilitatem inducat, ob organi tamen hunc humorem aut secernentis, aut continentis, aut ab oculo ablegantis vitium, incommodam ac foedam aegritudinem, quam *epiphoram* dixerunt, constituit. Naturam lacrymarum quod attinet; ea, si extremam oculi sensibilitatem consideremus, in propria, nec a longiori stagnatione acquisita, sed recentissimo liquori jam concessa, et ipsius adeo urinae acorem superante *salsedine*, jam primo aspectu non indignum admiratione argumentum nobis offert. Limpidus nempe et inodorus, sed, si modo pauca *dulcescentis* sub oph-

thalmia lacrymae exempla excipiamus, ubique *salsus* hic liquor secernitur: qui, ut recentior Gallorum analysis demonstrat, aquam distillatam pondere modo parum excedit; tincturae heliotropii colorem non immutat, sed maculam in charta, vel a violae, vel a malvae succo coerulea, constanter *viridem* inducit; super igne copiosas et aliqua tenacitate non destitutas bullas mox contrahit; lentius et solo ab aëre exsiccatus, *crystallos* ex pauco sale marino et materia alcalina compositas, — citius vero ab igne inspissatus, reliquias, vix partem *centesimam* et *quartam* constituentes, olei et aquae pauxillum, ac tandem carbonem salina materia onustum subministrantes largitur. Haec liquoris miserorum principia tam calculorum, in caruncula, in sacco lacrymali repertorum, quam crystallorum ex acido amararum, sub ophthalmia ad palpebras observatarum, historiam illustrant. Vel ipsum *sanguinem* non tam raro cum lacrymis se miscuisse, vel *coerulei*, aut *lactei* coloris materiam circa limbum palpebrarum haesisse, exempla testantur.

§. CDXCIX. *Epiphorae definitio.*

Epiphora igitur est lacrymarum, non tam animi dolentis; quam morbosae affectionis imperio inducta, profusio.

§. D. *Differentiae.*

Rarior est, quam *primariam* vocari liceret, epiphora; et lacrymae plerumque ex alio, quam ex proprio has secernentis organi vitio, abundant, aut palpebris aufugiunt. Est interim, ubi glandulae lacrymales, ut de salivalibus jam dictum est, a phlogosi leviori correptae, aut quocunque demum stimulo agitatae, vel uberiori secretioni indulgere, vel secretum humorem citius, quam par est, e propriis canaliculis emittere videntur. Num sola *debilitas* a praeviis ophthalmiis, vel a studiis immodicis inducta sine majoris sensibilitatis ratione, epiphoram *primariam* relinquat, dubitamus.

§. DI. *Natura.*

Evidentior in homine, quam in quovis alio animali,

sub tristi mentis affectu delacrymatio est; atque nil impedit, quin et hunc vitae statum breviores ad morbos referamus. Plerumque oculorum aliquis pruritus, tremula pupillae inundatio, palpebrarum angustatio, nictatio, suspiria, respiratio inaequalis, retractio labiorum, has procellas annunciant. Mox humor oculis circumfusus tam a punctis lacrymalibus suscipitur, atque naribus celerrime advectus, frequentius emungitur; quam guttatim per genas se praecipitat. Quem longa inspiratione pulmones aërem profundius inspirarunt; hunc, a diaphragmate succussi, cum impetu, ac mira vocis inflexione per vices expellunt. Sunt interim, quibus lacrymae sine fletu, ac furtim pallescentes per genas delabantur; atque sub diuturno illarum effluxu, calor, rubor, et quasi phlogosis oculorum, palpebrarum, vix celanda per horas, doloris vestigia relinquunt. Vix autem hae, tam communi hominum sorte expressae ad *epiphoram* revocandae sunt lacrymae; sed vel ex aucta per causas alias in glandula lacrymali secretione, vel ex impedito humoris ad nares defluxu, hic idem, non raro manifesta simul acredine instructus, per genas, quas interdum arrodit, inflammat, devolvitur; atque ingrato non minus aspectu, quam visus obnubilatione manifesta, *oculum* sub animo quieto *lacrymantem* constituit.

§. DII. *Causae.*

Est aliquid in lacrymarum secretione, inprimis apud hominem, quod non satis intelligamus: singulare nempe moeroris, gaudii, tenerae misericordiae in glandulam lacrymalem imperium; ut, si modo salivae in esurientibus celeriorem affluxum excipiamus, nullibi tam subitaneus, tam involuntarius, tamque conspicuus in organum secernens effectus, — eo major, quo sensibilior est homo, apud infantes atque mulieres certe maximus, habeatur. Sunt adeo inter istas, quibus sub ficto protinus dolore, aut tenero affectu, lacrymae, prout occasio ac astuta voluntas id jubeant, copiosae prorumpant. Interdum non ab animi tristitia, vel organi ex vitio, sed ab incognita nervorum affectione, similis in glandulas lacrymales, quam a fortissimo moerore, actio se prodit: ut plurimas, sub fletu involuntario, fere per

horas extenso, lacrymas ab hystericis, hypochondriacis aegrotis, cum nullam sibi fletus causam esse fatentur, effundi videamus. A fortiori tamen animi dolore, lacrymarum secretio impeditur; et, quod mirum est, a fluxu istarum abundante, non exiguum moestitiae solamen obtinetur. Sunt, quibus ob constitutionem peculiarem, ab animi tamen insensibilitate longissime diversam, nec moderatus, nec summus moeror oculos vel unquam humectet. Facillimos in lacrymas et fletum, post apoplexiam, paralyses, aegrotantes deprehendimus; ac in febribus nervosis, sine animi consensu, liquor ille ex palpebris decurrit. Interim ex nervorum irritatione pars maxima lacrymarum scaturit. Sub dentium dolore feroci, aut mechanico nervorum, qui hos ipsos, aut nares adeunt, stimulo, copiosa mox lacryma distillat. A corporibus peregrinis oculo illapsis, a trichiasi, distichiasi (§. CL.), — a quovis acri, tum oculis, tum naribus admoto, ut a fumo, vapore spirituoso, ab allii, caeparum, raphani rusticani odore, masticatione, quin a frigore, vento, a luce vividiori, lectione longa, inprimis nocturna, a contagio morbilloso, varioloso, a phlogosi catarrhali, effectus iidem habentur. Nec minus sanguinis subitanea et impetuosa, sub tussi, risu, sternutatione fortiori, ad caput congestio huc spectat. Similia occurrunt, si vel palpebra inferior praeter modum relaxetur, vulneretur, erodatur; aut, extrorsum conversa (*ectropium*) lacrymas, quod et tumor ad carunculam lacrymalem (*encanthus*) facit, ab oculi cantho interno divertat; vel si puncta lacrymalia, aut continui his saccus, aut ductus, a tumore, ab inflammatione catarrhali, rheumatica, variolosa suppuratione, materia tenaci, a polypo, vel a calculo, vel quovis demum modo, angustentur, exedantur, oblitcrentur, atque superfluum ad oculos humorem ad nares, forte simul a polypo infarctas, obstructas, transmittere recusent.

§. DIII. *Prognosis.*

Nisi partium, quae lacrymas coërcent, abducunt, ex vitio epiphora contingat; haec ipsa, in febribus praesertim, nunc morbillos, interdum et variolas, futura, nunc instantem per nares haemorrhagiam, nunc

deliria, significat. In febribus nervosis, lacrymatio pejoris indicii dicenda est. Frequenter feminarum, quae fluore albo laborabant, oculos quasi lacrymis innatare conspeximus. Quae ex vitio canalium lacrymalium originem trahit, aut a longo jam tempore continuat, ephiphora; ea, pro causae ratione, aut difficilem, aut nullam curationem admittit.

§. DIV. *Cura.*

Cum ex alio magis, quam organi secernentis e vitio, lacrymarum profluvia succedant; medendi methodus, ad morbi causas potissimum dirigenda, aliis hujus operis e locis, atque ex chirurgicis notionibus plerumque eruenda est. Quam nimia oculorum sensibilitas lacrymationem excitaverit; hanc paucis tincturae thebaicae (N. XIX.) guttulis, quotidie in oculum stillatis, corrigimus. Si debilitas organi sensibilitatis intemperantiam aut produxerit, aut comitetur; tunc junctum opio saturni extractum (N. LXII.), — et si ab acri, stimulante materia lacrymarum secretio augeri videatur; vesicans emplastrum temporum regioni appositum, atque illa, quae in ophthalmia his a causis excitata commendavimus (§. CLIV.), indicantur.

ORDO II.

PROFLUVIA MUCOSA.

GENUS I.

CATARRHUS.

---

§. DV. *Introductio generalis.*

Consideratis hucusque (§§. CDLXIX. — DIV.) profluviis, quae tenuiorem atque *serosam* animalium humorum partem dissipando sanitatem offendunt; ad earum nunc, quae *mucosa*, vel simul *lymphatica* sanguinis principia disperdunt, considerationem nos accingimus. Haec quidem, nutritioni potissimum dicata, materia, tum ipso cum sanguine, tum inprimis seroso cum latice tam intime conjuncta incedit; ut apertis, cujuscunque demum generis, vasorum ostiis, vix unum sine altero liquidum aufugiat; sed concessa aliqua mucosis principiis quiete, vel obstaculo naturali, morboso, celeriori humorum cursui opposito, vel mutatis vasorum secernentium, ex inducta laxitate, aut et stimulo majore, officiis, — haec seri, animali cum glutine unio ac affinitas tam intima infringitur; aufugit illud, aut a vasculis resorbentibus abducitur; ac solvente sibi ablato vehiculo, nutrientis materiae junguntur magis, magisque cohaërent principia: in lympham, a qua non aliter, quam sanguis ab ista, perfectae scilicet elaborationis ab organis animalibus necdum ex-

pertae ratione, differunt, non magno intervallo abitura. Hinc ab exigua hujus nobilioris principii continuata in longum jactura, longe major, quam a profluvio *seroso*, nisi forsitan cum lymphatica substantia uberius saturato (§§. CDLXIII. CDLXXX.), insequitur debilitas ac macies; nec paucae, per quas corpus humanum hoc necessario nutritionis adminiculo defraudetur, sunt viae, quas singulas attente a nobis investigari nunc interest.

§. DVI. *Definitio catarrhi.*

Ac primo quidem *catarrhus* considerandus hic venit: qui scilicet in membranae pituitariae, per vias respirationi patentes extensae, affectione, plerumque ex suppressa transpiratione oriunda, frequenter febrili, plus minus inflammatoria, ac molesto vanoque ad partem nunc istam, nunc illam, excretionis molimine, vel primum in serosae, salsae et aeris, — ac tandem in densioris viscidaeque materiae rejectione consistit.

§. DVII. *Species variae.*

Pro tanta vero antrorum, sinuum, anfractuum, canalium, quae aër, respirationis sub opere, continuo allidit ac permeat, amplitudine, extensione, — pro tanta membranae, quae haec spiracula investit, sensibilitate, mollitie, — pro tanto nervorum, vasorum, glandularumque numero, — pro tam insigni inter se ipsa, et longinquis cum partibus, consensu, — pro functione organorum tam diversa, pro corporis dispositione praegressa, vel debili et laxa, vel firma et robusta, — oportet morbum, licet originis et causae agentis ratione prorsus eundem, diversa tum in locis affectis, tum in aliis, vicinis non minus, quam distantibus, et in variis hominibus, symptomata agnoscere: quae interim, quamvis et exitus, et methodi medendi respectu non ubique in omnibus conveniant, uno nihilominus eodemque tractatu absolvi, et, quibus inter se confluant, lege, ac ordine exponi merentur.

Nunc vero, *coryzae* sub nomine, *cava narium*, ut *sinus frontales*, *sphenoidales*, aut *antra maxillaria* catarrhus occupat; nunc *faucibus*, velo pendulo ad-

haeret, ac descriptam jam alibi (§. CLXXII.) *cynanchen catarrhalem*, — vel, ad laryngem extensus, *raucedinem*, seu *branchum*, — atque tam dictum ad locum, quam ad *tracheam*, aut ad *bronchia* defixus, *tussim*, seu *laryngis, tracheae, pulmonum, catarrhum*, constituit. Pro varia origine, ac pro febre, quae morbum eundem, *catarrhalis* sub *febris* denominatione, comitatur, diversa, vel et prorsus absente, aliam aliamque hic ipse naturam assumit: nunc *simplex*, nunc alio eum vitio, venereo, scrophuloso, etc. conjunctus, — nunc sine totius labore, *localis*, — nunc vero, vel *primarius*, cum febre, plerumque *inflammatoria, gastrica* interdum, ac, sub corporum, ob humidiorem atmosphaeram, vel ob vivendi rationem laxiorem, debiliorem, ac magis sensilem habitum, — vel, difficiliori sub rerum decursu, non sine contagii, apud *equos*, in *coryza virulenta*, licet aliter vir eximius contenderit, manifesti, *epidemiae* imperio, vigentis, suspicione, *nervosa*, et in homine cum *exanthemate*, inprimis *miliari*, lubenter incedens; — vel *secundarius*, ab acri morbilloso, varioloso, venereo, aut stimulo, alium per morbum excitato, *symptomatice* inductus. Non paucos *habituali* catarrho vexari, ac plures ex istis, ubi pulmo debilior, sensibilior, hoc ad vitium juniores disponat, ulcerosam ad phthisin properare videmus. Alii, crescente mucosae materiae in bronchiis secretione morbosa, magnam quotidie pituitae puriformis copiam cum tussis rejiciunt, et ex tam longa nutrientis principii jactura, quin ulcus pulmonum, ut causa, subsit, *pituitosam* in *tabem* labuntur. Aetatem senilem, sub habitu corporis laxiori, catarrhi pulmonum frequentes, ac vix non perpetui, seu *chronici*, sine tanto discrimine divexant. Nec *periodice* incedentis, plerumque *symptomatici*, exemplis destituimur catarrhi. Varius autem est muci, quem partes catarrho affectae excernunt, color; consistentia, natura et copia sunt variae: quae singula, ex tradenda nunc generum historia, adamussim patebunt.

§. DVIII. *Coryza. — Catarrhus narium. — Catarrhus sinus frontalis. — Catarrhus antri maxillaris.*

Narium catarrhus, *coryza, gravedo*, vocatur (§. DVI.);

quae, pro magna specus nasalis extensione, nunc istius modo partem, nunc omnem superficiem prehendit, ac diversa, nunc levia, nunc vero sat gravia symptomata inducit. *Gravedinem*, ut scholae quondam jusserunt, a *coryza*, quod in illa, tenax pituita sub dolore, ut vocant, *gravativo*, — in hac vero, serosa, tenuis, aerisve materies effluere dicatur, cum modo gradu et tempore hae differant, distingui nil interest; sed juvat, singula, quae simpliciori hoc morbo, quasi sub oculis aguntur, non contemni, sed ut fidelem eorum, quae in trachea, et in bronchiis, graviora in aliis, contingunt, imaginem attente contemplari.

Sub *narium* ipsarum *catarrho*, siccitatis ingratae, plenitudinis, tensionis sensatio, aquae oculis subturbidis, languidis, rubellis, suffusae, vox obtusa, nasalis, ut vocant, odorum, et adeo saporis, perceptio imminuta, cum cutis universae ad frigus sensibilitate majori, aurium susurrus, emungendi continua necessitas, sternutatio frequens ac molesta, praecedunt. Haec sequitur indecora liquidi serosi, calentis, subsalsi, lacrymae non absimilis, et acris, copiosissima interdum distillatio: qua narium pars ima, per labrum, rubescit, et ardet. Interea mucosa illarum, ac ductuum, saccorumque lacrymalium interna membrana turget, et aëri non minus ad nares ingressum, quam lacrymarum ad illas descensum praecludit. Hinc istas ad oculum morari, vel calentes, per genas devolvi, ac spiritum, cum edimus, dormimus, nisi ore aperto, quod teneris infantibus, his needum assuetis, permolestum est, somnumque arcet, difficulter hauriri oportet. Accedunt capitis obnubilatio, gravitas, aut dolor frontis sat molestus, horripilationis, caloris vagi, ad noctem crescentis, sensatio, ac ipsa demum febris, ac phlogosis per nares extensae, graviori sub affectu, non desunt indicia. Per plures haec dies, non aequali tamen semper vigore, — interdum per multas, continuant; dolorque obtusus, internus, per velum palatinum, posterius, ad fauces expanditur: quo loco, mucus ab aëre inspirato, sub somno, in lemas aut crustas exsiccatus, irritationem adauget, ac levem simul, deglutitionis sub opere, dolorem inducit. Tandem, nunc citius,

nunc tardius, loco seri pellucidi, liquidum paulo crassius, mucosum, ac sensim sensimque, eum facilitate majori, glutinosa, vel alba, vel flava, interdum subviridis, vel striis ex sanguine remistis, sat foetidi subinde odoris, pituita, copiose, ac plures per dies emungitur, ac pristina odoris, saporis, spiritusque integritas, non sine magnae levitatis ac promptioris ingenii sensatione restituitur.

Vel eodem, quo nares a catarrho tenentur, tempore, vel hac parte vix adeo affecta, similia *sphenoidales* ac *frontales* ad *sinus*, ad *antrum maxillare*, vel uno vel utroque ex latere, contingunt. Sed praecipuam attentionem sibi cava in ossibus frontis et maxillae superioris exsculpta merentur: quae caeteris capacitate majora, causisque laedentibus magis exposita, non raro difficiles obscurosque catarrhos patiuntur.

Nunc etenim tensionis, plenitudinis, caloris interni, et vel obtusi, vel satis acuti, lancinantis, profundi tamen, doloris, a nasi radice, per unius, vel utriusque supercilii regionem extensi, sensatio, cum hemicrania, cephalalgia, oculorum lacrymatione, rubore, de *sinus frontalis* catarrho testatur.

Nunc ad maxillam supernam, loco dentibus oculoque intermedio, haec dicta, et communia catarrhis, signa premunt, nasique cavum vicinum siccescit, aut emunctionis sub opere, cum doloris incremento, nil muci excernit; aut gena pallide hîc tumet, calet, aut rubore suffusa est; vel dentes, inprimis sub attactu, manducatione ciborum, affecto in latere obtuse dolere videntur; gingivae calent rubentque, nec palati ad fornicem ubique pressionis desunt, aut ponderis, tensionis molestae symptomata. His vero amplioribus in cavis, a phlogosi, aut et violenta inflammatione, occupatis, non minus, ac ad alia (§. CXXVI.), *hydropes acuti* hinc inde nascuntur; ac serum copiosum, nunc purum, nunc puriformi liquore inquinatum, colligitur: quod, vel remoto ad ostia, cum narium cavitate communicantia, obstaculo, vel sub capitis in partem aegrotanti adversam decubitu, interdum copiose, cum impetu prorumpit; aut propria vesicula, seu cystide inclusum, abunde distillat.

Sed, quod jam de narium ipsarum catarrho, in

optatam resolutionem abeunte, monuimus, elapsis aliquot, aut pluribus, a primo hujus morbi insultu diebus, tenuis loco seri, aut siccitatis molestae, pituita viscida, glutinosa, nunc alba, flava, subviridis, nunc puriformis, ac striis sanguineis notata, interdum sat foetida, interdum, ut vidimus, densissima, fere cerea, vel, capite ad anteriora reclinato, ex *sinu frontali*, — vel, illo in latus sanum converso, ex *sinu maxillari* affecto, emungitur copiosa, et morbus dissipatur in integrum.

§. DIX. *Abscessus ozaena. — Ozaena sinus frontalis. — Ozaena antri maxillaris.*

Non vero tam felix erit morbi has ad partes haerentis, et vel inflammatione violenta stipati, vel ab acri virulento, vel quocunque a stimulo, qui auferri sat cito non possit, inducti, exitus. Non rarum est scilicet, a causis catarrhi, aliisque non paucis (§.DXIII.), tum ipsas ad nares, tum ad sinus, praecipue *frontales*, vel et *antra maxillaria*, *abscessus*, nunc satis manifestos, nunc maxime obscuros, clandestinos, generari: qui, praeter communia internae suppurationis phaenomena (§§. CXXVI. CXXVIII.), odoratus majorem, minoremque laesionem, spongiosas ac tenues hujus osseae compagis lamellas vel comprimunt, vel situ naturali expellunt, vel maxime distendunt, extenuant, ac plurima, chirurgis non ignota, incommoda parturiunt. In *ulcus* sordidum ad nares, vel dictas ad partes, mutato abscessu, *ozaena* subsequitur, nunc *simplex* atque satis *benigna*, nunc vero, ob cariem ad partes vicinas extensam, ob foetorem insignem, vel ipsis aegrotis non minus, ac aliis, intolerabilis, ob causae virulentae, specificae actionem, ob fistulas, excrescentias fungosas, polyposas, steatomatosas, scirrhosas, cancerosas, *complicata*, vel summopere *maligna*, vel curatu difficillima.

Ad *sinum* scilicet *frontalem*, vel unum, vel alterum, *abscessus*, *ozaena*, — sub dolore in aliis obtuso, in aliis pulsante, acutissimo, — sub febre in his magna, in illis pauca, vel nulla, — nisi acerrimo ichori exitus ad nares paretur, ossis, in quo hic stagnat, substantiam, exeso periostio, emolliunt, disten-

dunt, erodunt; ac, vel ablato, quod sinus frontales bipartit, sepimento, in lacum communem hos efformant; vel, lamina sinus interna ad cerebrum protrusa, soporem, stuporem, ac, rupto repagulo, mortem aegroto apoplecticam inducunt; vel carie superiorem in palpebram patente, hanc ipsam sanie rodente suffundunt; vel demum aliam, per orbitam erosam, viam sibi pandunt, ac unum subinde cum naribus et antro maxillari cavum constituunt. Nares in totum, cum ossibus palati, velo pendulo, ab *ozaena venerea* excsas, atque ut *unam* cum antris maxillaribus specum, aspectu horrendam, formarent, consumptas, in viro, tandem a phthisi pulmonum perempto, et a nobis *Bruchsaliae* dissecto, conspeximus. Similes tumorem hoc in sinu luxuriantem, spongiosum, scirrhosum, tam a pressione, quam a maligna cancrosa suppuratione, calamitates exspectant.

Nec multum ab istis distant, quas *antri maxillaris ozaena*, exscrescentiae fungosae, cancrosae, exostoses, inducunt, miseriae. Non quidem simplex puriformis, vel et foetidi liquoris, hoc ex sinu defluxus, latentem in antro *suppurationem* sat valide confirmat: ast vero, cum inflammationis hac in specu diutius vigentis exposita jam phaenomena praciverint; — cum puris jam facti signa (§. CXXVIII.) sequantur, ac doloris pulsantis, lancinantis, sub decubitu in partem affectam, et sub emunctione aucti, sensus succedat; — si gena rubeat, tumeatque, aut maxillae, vel exterius, vel palati ad fornicem, prominentiam sub digitis cedentem, fragoris non ubique expertem, exhibeat; — si, capite in partem sanam converso, ichor brunei aut atri coloris, foetidusque distillet; — maxime vero si fistula vel caries ad malam, vel ad orbitam, gingivam, alveolos, palatum existat, ac si dentes hoc loco vacillent, longiores videantur, aut cariem ostendant; tunc de latente hoc in antro ulcere carioso, vel ozaena, aut altem de fungosa, hîc loci luxuriante, excrescentia, vix dubium relinquitur.

§. DX. *Raucedo. — Aphonia. — Alalia.*

Non raro faucium, laryngis membrana mucosa eodem, quo narium illa (§. DVIII.), modo afficitur; atque

cynanchen illinc *catarrhalem* (§. CLXXII.), hîc vero *branchum*, ut diximus, — interdum utrumque simul vitium, constituit. Saepe fauces titillatione ingrata correptae, ad noctem inprimis, siccescunt et ardent; subsequitur vox aspera, obscura, imminuta, vel *raucedo*; nec cibi tam facile per pharyngem, nec aër tam expedite per laryngem, iter absolvunt; sed tussis sicca, vel saltem screatio materiae aquosae, salsae, levis horripilatio, vagusque calor, sitis, lassitudo, inappetentia, hominem, vix lectulo adstrictum, tenent. Post aliquot dies, praevia subinde nausea, horis matutinis, ejicitur mucus sensim sensimque copiosior, crassior, tenax, albescens, nec tamen e pectore, sed solis e faucibus, larynge, eductus: vox redit sonora, expectorationis imminuitur necessitas, ac pristina spirandi, deglutiendi facilitas restituitur. Sunt, qui, praecipue ex senibus, quotidie praemagnam a somno pituitae ex faucibus copiam eructent, atque *chronico pharyngis catarrho*, sine magna molestia, in perpetuum, aut tempore hiberno, humidoque praesertim, laborent. Sunt alii, quibus, sine tanto muci apparatu, vox plurimum *rauce cat*, aut etiam *deleatur* in totum. Multiplex hujus mali, non raro pertinacis, ac interdum *periodici*, natura est. Ipsum quidem *vocis*, cujus instrumentum larynx est, *abolitionem*, *aphoniam*, — *loquelae* vero, quae oris perficitur organo, jacturam, *alaliam* dixerunt. Utrumque mali genus, nunc ex causa ad ipsa vocis. loquelae instrumenta residente, *primarium*, oritur; nunc morbi alterius symptoma, *secundarium*, constituit; atque non raro ex viscerum eum larynge *consensu*, prout alibi docuimus, ac loco opportuno uberius referemus, descendit. Quae *branchi acuti*, facileque lethalis referuntur, — ea vel ad *cynanchen laryngeam* (§. CLXXIII.), vel ad convulsivos hujus fistulae affectus, reducenda sunt exempla.

§. DXI. *Catarrhus trachealis et bronchialis.*

Non aliena ab istis (§§. DIX. DX.) in *trachea*, et in *bronchiis* contingunt: quae, cum *tussim*, ut princeps symptoma, inducant; ab hac ipsa, non satis aptam, ac morbis aliis, indole quamplurimum diversis, non minus concessam, denominationem habuerunt. Qui

vero catarrhus haec loca paulo fortius prehendit; is, affinia descriptis (§§. CLXXIII. CLXXXVI. CLXXXVIII.), aut facile in *tracheitidem peripneumoniam*, tum *veram*, tum *notham*, abitura, symptomata excitare consuevit. Nunc etenim *febris* manifesta catarrhum tracheae, bronchiorum, comitatur: quae ipsa indolem frequentius *inflammatoriam*, — hinc inde vel *gastricam*, vel et *nervosam*, ab annua constitutione, aegroti habitu, vel causae praegressae ratione, assumit; nunc *febris nulla*, aut certe pauca, hoc, locale quasi, vitium distinguit; ac mitiora sunt catarrhi trachealis, pulmonalis phaenomena. Non rarum est, coryzae, raucedinis symptomata cum istis conjungi; sed in multis modo aspera arteria, aut bronchia affecta sunt: ut in quibus, sub eadem licet membranae mucosae, quam ad nares aut fauces aegrotantes, conditione, diversa tamen symptomata succedunt. Praeter communes scilicet catarrhos vespertinos, levesque horrores, calores fugaces, dolores tum dorsi, tum artuum tensivos, pungentes, lassitudinem, quae sub noctis ingressu cum febre, si haec simul adfuerit, augentur, tempore matutino remittunt, — siccitatis, titillationis ingratae, ardoris, vel tracheae ad tractum, vel in pectoris profundo, sensatio, spiratio plus minus difficilis, ac tussis continua, ab initio maxime, ob siccitatem, molesta inprimis a loquela, forteque ac profunda inspiratione mox augenda, insurgunt. Si quid primis hujus morbi diebus ex trachea expellitur: aquosum, salsum spumosumque humorem hoc offert, sub impetu tussis majori, striis hinc inde cruentis remistum. Tam vehementer interdum haec tussis urget, ut vomitus vel in illis, quibus alia caeteroquin ad hunc causa non est, nunc simplex aquosus, nunc bile, alimentis remistus, frequenter moveantur; in gravidis, non raro abortus, in aliis prolapsus vaginae, aut herniae, vertigines apoplecticae, lacrymationes involuntariae, haemorrhagiae per nares, pulmones, hos motus thoracis feroces, convulsivos, ac vix non soffocantes, sequuntur. Post aliquot, nec certos tamen numero, dies, matutinas inprimis ad horas, jam spissior quodammodo, sed pauca adhucdum, materia, sub tussi minus violenta, facilius educitur. Quod si rectam vivendi rationem observet aegrotus;

res in dies in melius convertitur; ac sputa gradatim copiosioria, tenaciora, albescentia, cum magno pectoris emolumento plures per dies, donec iterum decrescant, facillime secedunt; transpiratio aequalis, vaporosa matutinas ad horas subintrat. urinae sedimentum lateritium deponunt, ac pristina valetudo restituitur. Neglectis vero morbi initiis, vel catarrho stimulantibus, ac methodo calefaciente tractato, vel demum frigore incaute, ad pulmones inprimis, admisso, difficultas spirandi, tussis violentia, pectoris ardor internus, ac febris augentur: nec raro, sub fallacissimo catarrhi innocentis aspectu, in plenam discrimine peripneumoniam aegritudo convertitur; ac saepe nimis pulmonis suppuratio, ac phthisis ulcerosa, inprimis apud illos, qui hunc in morbum inclinant, aut praevia in pulmonibus tubercula tulerunt, succedunt.

§. DXII. *Catarrhi epidemici influentia.*

Tum vere, autumno, catarrhi inter infantes, pueros, senes, laxaeque structurae homines, ob tempestatis vicissitudines, quam maxime regnant; sed nullo non tempore, ac inprimis sub atmosphaerae ex calida in frigidam humidamque transitu subitaneo, populares redduntur. Interim, quin tam evidens ubique in ambiente nos aëre mutatio praecesserit, interdum catarrhi febriles per provincias divagantur; ex una in alteram serpendo, per integrum vix non orbem, passu lento vel celeri, sed ad certam itineris morbosi directionem suscepto, non sine magna latentis contagii suspicione feruntur; ac omnes fere incolas, sine habito aetatis, sexus, conditionis, vitae generis discrimine, infestant. Symptomata *epidemici* hujus catarrhi, cum descriptis in genere conveniunt; ac simul omnem membranam mucosam, qua late partes respirationi apertas investit, plus minus affectam testantur; sed celerior, vehementior est febris, ac interdum ipsius catarrhi, decursus, — evidentior per crises cutaneas solutio est. Confestim, ac die vix non eodem, fere omnes habitantes invadunt torpor artuum, dorsi lassitudo, debilitas universalis, vertiginosa capitis obnubilatio; horripilatio vaga, mox horror, plerunque sat validus; calor vehemens, insomnia, in quibusdam deliria; cephalaea,

in multis nausea, amaror oris, vomituritio, vomitus, sitis vel ingens, vel pauca; coryza, vehemens sternutatio, lacrymatio, ac rubor oculorum; raucitas dolorque faucium, tussis sicca, in quibusdam sputa sanguini commista, cum pectoris oppressione, dolore hinc inde quasi pleuritico; pulsus frequens, in aliis mollis, ac parvus, in aliis magnus et durus; sanguis eductus, nunc corio obtectus. nunc eodem privatus; urina sub initio fere cruda, aquosa. Quibus sudor copiosus vel sponte, post primam mox diem, prorumpit; hi facile a morbo liberantur: in aliis, remittentibus matutinas ad horas symptomatis, ad noctem similia ac pridie contingunt, ac saepe tertia, quarta, quintave die, post vehementem horrorem, calorem ardentem, deliria, sudor copiosus, odoris acidi, viscosus excutitur; aut ad labra pustulae efflorescunt; urinae sedimentum lateritium deponunt, ac febris profligatur vix non omnis. Non sic tussis in omnibus cum febre sedatur; sed in pluribus per multas adhuc dies continuat; ac sputa tenacia, glutinosa copiose secedunt. Haec interim non in singulis eodem se modo manifestant; sed levior, ac prorsus sine febre, in istis — gravior in illis, aegritudo occurrit; nec non pro varia vivendi, medendique ratione, nunc paucis a diebus haec dispellitur; nunc plures per hebdomadas, neglecta, decurrit. Pro tanta vero symptomatum gravitate, modo pauca morbi lethalitas, sub ipso quidem epidemiae decursu, apparet; sed plures post menses sat multi, ut vidimus, pulmone suppurati perierunt: et qui vitio pulmonis, vel alio, jam pridem laboraverant; hi utique majora discrimina subibant. Abortus non pauci, sub tam communi affectione, in civitatibus contingunt.

Inflammatoriam plerumque *catarrhus epidemicus*, ac benignam, ut vocant, naturam observat; sed febris nervosae cum eodem non minus, quam cum catarrho quovis sporadico, aut alio conjunctae, exempla non desunt; et magna interdum huic morbo cum *cynanche maligna, ulcerosa* (§§. CLXXV. CCXCVI.) aut cum *peripneumonia nervosa* (§. CXC.), est affinitas.

Sub eadem catarrhali epidemica aegritudine, subinde dolor et ardor ventriculi, intestinorum, cum ventris fluxu, tenesmo, in quibusdam insurgit; et cau-

sae ejusdem in viscera magis abdominis, quam pectoris, actionem ostendit.

§. DXIII. *Tabes pulmonalis pituitosa. — Catarrhus chronicus.*

Ad *chronicum catarrhum* retulimus affectum, quo, sub muci copiosi in bronchiis secretione, ac sub materiae puriformis screatu, in longum protractis, debilitas, febricula, macies, ac phthiseos pulmonalis quamplurima, quin ulcus pulmonem devastet, symptomata sequuntur (§. DVI.). Bronchiorum hic status, vix ab illo vaginae, apud mulieres fluore albo laborantes, vel urethrae a chronica blennorrhoea affectae, differt; sed ob majorem illorum superficiem, ob muci morbose hîc secreti abundantiam, ob visceris nobilitatem, tristiores effectus inducit. Hoc scilicet viscus omnis, qui toto ex corpore redit, cruor, — et, qui vix huic admistus fuit, chylus, allidit. Non mirum hinc videbitur, si pars major principii nutrientis, ut in ipso *diabete* per renes, sub muci albescentis, *subdulcis* aspectu, per amplissimam bronchiorum superficiem, aut nimis laxam, aut simul stimulo morboso ad exuberantem secretionem coactam, aufugiat; et sub tussi continua, sub multiplici sputorum conditione, *tabes*, cui debilitas conspicua, febris lenta, sudor nocturnus, dyspnoea, oedema pedum, ut symptomata et phthisi pulmonali ex ulcere productae communia, accedant, nascatur. Hinc plures, qui ex ulcere pulmonum contabuisse, et mortem traxisse videbantur, aperto cadavere, nec minimum illius vestigium obtulere; nec sputa, quae purulenta in viventibus fuisse quivis jurasset, aliam, quam perversae secretionis, communem cum muco in coryza, in fluore albo, in blennorrhoea secreto, originem habuere. Nec desunt illorum, qui hoc in morbo ex pulmone integro, aut certe ulceribus haudquaquam obsesso, sanguinem rejecerint, ac fixum in aliquo thoracis loco ardorem, dolorem accusaverint, exempla: ex quibus singulis, quam incertae sint phthiseos pulmonalis feliciter sanatae historiae, et quam fidem remedia ad ulcus pulmonum consolidandum laudata, mereantur, elucet. Difficilis hinc morbi utriusque diagnosis, eoque certe difficilior dicenda

est, quod *puris* a *muco* ubique distinguendi adhucdum nos lateat peritia; quod sub tabis pituitosae provectiori gradu, quod hanc non induxerit, *ulcus accedere*, ac phthisis vera pulmonum adjungi queat. Si quis interim ad phthiseos pulmonalis ulcerosae, quae alibi exponemus, signa attentius respexerit; si longum morbi catarrhalis, sine febre mox conjuncta, in homine vix ad phthisin praedisposito, sed laxae constitutionis, ac aliis forsitan mucosis fluxibus, primarumque viarum incommodis, non ita raro subjecto, decursum consideraverit; si febrim non prius, ac major jam debilitas secuta fuerit, diuturno catarrho accessisse conspexerit; si materiae per tussim rejectae color, pelluciditas, tenacitas, rotunditas, levitas, quantitas a primo jam morbi initio conspicua, diversam a pure, quod parvum ulcus largiri jam posset, indolem ostenderit; si major sub inspiratione profunda libertas et immunitas a tussi subfuerint; si sputa interdum, comparente inprimis alibi dolore rheumatico, quin febris, dyspnoea sequerentur, per menses disparuisse, ac tempore pluvioso, frigido, et catarrhis favente rediisse sint visa; si methodus corroborans aegrotanti conduxerit; tunc morbum non ex ulcere pulmonis, sed ex perversa in bronchiorum membrana mucosa secretione venire, spes magna affulget.

Qui *chronico catarrho* sine tanta pituitae profusione, plerumque senes laxique homines, laborant; hi aut febre immunes, aut modo per vices et post atmosphaerae mutationes manifestas ab eadem correpti, nec maciem conspicuam, nec virium decrementum, ut in tabe pituitosa pulmonum, ostendunt; tenacem, in filos ductilem, ac fuso quasi vitro consimilem pituitam cum tussi, praeeunte sat miti dyspnoea, matutinas ad horas expectorant; hoc facto, liberius respirant, ac plures per dies, interdum per menses, inprimis hibernos, similia patiuntur; sub coelo sereno calidoque, valetudinem recuperant, ac saepe aetatem provectam, sine aliis incommodis, attingunt. Nec semper pulmo, sed pharynx interdum, aut aspera cum larynge arteria, catarrhi hujus chronici sedem constituunt; ac primo in casu, screatu pituitae copiosae matutino, — in altero, tussi sub dyspnoea moderata, sat

facili, ac sputis globosis ac viscidis, interdum erysipelate, aut herpete, quo pridem laboraverant, ad cutem redeunte, sine mora liberantur. Non rarum est interim, homines a chronico catarrho vexatos, ac flaccidis pulmonibus instructos, fortiori sub accessu, *peripneumoniae*, quam *notham* vocavimus (§. CLXXXVIII.), pericula incurrere; ac ob muci non minus viscíditatem, quam copia pulmones obruentem, et pituitae tenacis expectorandae impotentiam, a *catarrho*, quem *suffocatorium*, ex effectu, denominant, brevi temporis spatio, strangulatorum adinstar, perire.

§. DXIV. *Causae. — Causae speciales coryzae, — — branchi, — catarrhi tracheae ac bronchiorum.*

Causae catarrhi tum generales, tum speciales recensendae nunc veniunt. Quaecunque scilicet membranam, quae vias respirationi dicatas obducit, pituitariam, stimulo, ad majorem fortemque inflammationem non protinus sufficiente, afficiunt; affluxum sanguinis haec ad loca adaugent, secretionem immutant, pervertunt: ea producendi catarrhi vim possident. Frequentissima ex istis, est materiae, quae per cutem expellenda fuisset, per frigus repentine admissum, retentio. Haec si ad partes musculosas, periostium, ligamenta, vel ad viscera feratur, *rheuma*, — ad mollem, qua mucus, nares, fauces, tracheam, bronchia obliniens secernitur, membranam delata, *catarrhos* producit. Qua ratione id faciat, id satis obscurum est; et quod magis difficultatem adauget, est: quod rarius ex corporis *totius*, quam ex *partis* solitariae, refrigerio catarrhus oriatur. Mephitim, quam pulmo, — hanc certe cutis non spirat; sed aliud, incognitum principium, quod excerni impeditum, quocunque feratur, irritationem inducat, pro parte irritata diversam, transpirationis materiae inesse, communissimi effectus testantur. Forsitan quae ad omnem corporis superficiem simul retinetur; ea, ob copiam, per alia mox organa, per renes potissimum, nec raro per tubum intestinalem, promptius, ac pauca, quam partis unius refrigerium cohibuit, eliminatur materia. Nec mirum est, si destinata per cutem externam difflari, — sed ab eadem repulsa, internae transpira-

tionis affinia laxiora, ac simul sensibilissima ad organa facilius, quam alias ad partes, ferantur principia; — vel, si illa ipsa, frigidioris ab aurae attactu occlusa, irritata, quam exhalare debuissent, sinu proprio stimulantem retineant foveantque materiam: qua scilicet causa, adaucto humorum affluxu, exhalantium vasorum manifestius stillicidium, folliculorum mucosorum infarctus, phlogosis, mutata secretio, plenitudinis, ardoris sensus, ac singula catarrhi, seu inflammationis superficialis et quasi erysipelaceae, symptomata, sine culpa praevii in humoribus vitii, sibi mutuo succedunt. Si mitior est phlogosis: tunc, febri excitandae impar, localem modo, brevique temporis spatio absolvendam affectionem producit; si fortior est stimulus; aut major sensibilitas, vel praevia totius, aut partis, longo sermone, clamore aestuantis, ad phlogosin dispositio: tunc membranae mucosae phlegmonosa inflammatio, cum symptomatis, et exitu, pro partis affectae varietate, diversis, accenditur.

Sub hac igitur materiae transpirabilis retentae, nec alias per vias sat prompte excretae noxa, quaecunque aut majorem, ac par est, humorum ad cutem affluxum excitant; — aut morbosam hujus organi sensibilitatem inducunt; — quaecunque membranam narium, faucium, tracheae, bronchiorum mucosam ad suscipiendam, retinendam stimulantem materiam praeparant: ea partes praedictas ad catarrhos quam maxime disponunt. Hinc immodicus hypocausti calor, ac succedens huic frigus atmosphaerae repentinum, — hinc partis corporis unius prae altera, vel camini ad ignem, vel solis ad radios, vel fotu vestium nimis sollicito, vel continuato exercitio inducta calefactio, ac subsequens illius ab aura frigidiori perflatus, — hinc vestium hibernarum ad inconstantes veris tepores praecox depositio, aut aestivi, levioris amictus protractus in serum autumnum usus, — hinc anxia, nec tamen ubique possibilis, aurae liberioris fuga, ac certa quasi hominum literatorum, effeminatorum *aërophobia*, balneorum calidorum, sudoriferorum, eorumque, quibus cutis robur infringitur, sensibilitas augetur, abusus, — hinc frequens catarrhalis affectionis ad partem eandem reditus, ac inducta hîc loci, cum sensi-

bilitate morbosa, laxitas, — hinc forsitan congenita instrumentorum respirationi dicatorum imbecillitas, ad provocandos catarrhos praecipue disponit.

Sed et alia existere videntur, quae, vel per aërem inspiratum, sub quocunque caloris gradu, admota, vel ab eodem ex pulmonibus non satis eliminata, membranam pituitosam non aliter, ac transpirationis retropressae materia, afficiant. Vapore sulphuris, arsenici, licet pauco, per atmosphaeram diffuso, vel fumo, aut re quavis subtili, irritante per aërem dispersis, ac pulmonibus incaute susceptis, mox fortis in sensili membrana tracheae, bronchiorum, stimulus, et catarrhi breviora, vel longiora symptomata succedunt. Saepe, sub aëre nebuloso, quin hic frigore notabili offendat, catarrhi, vix non omnes, vel ob latentem in hoc, subfoetido interdum, atmosphaerae lixivio irritantem materiam, vel quod illud ipsum, ab aqua jam nimis saturatum, exhalatos pulmonibus vapores minus prompte suscipiat, vel quod humidum copiosius cum aëre inspiratum, membranam bronchiorum mucosam continuo relaxet, prehendunt. An specificum, quod catarrhos apud homines subinde inducat, *contagium* existat, dubitare liceret; sed illius, quod morbillos, variolas, scarlatinam evolvit, manifesta in membranam narium, faucium, bronchiorum mucosam actio, ac celerrima catarrhorum, sub diversa atmosphaerae conditione, per familias eodem sub tecto habitantes expansio, nec non ozaenae virulentae inter equos contagiosa natura, verisimile hoc reddunt.

Nec rarum est, ab acri, quocunque a partibus externis, internis, respirationis ad vias conjecto, catarrhales affectus oriri: ac frequentia ex ulcere, impetigine quacunque antiquis, blennorrhoea, sudore pedum, axillarum incaute tractatis, a rheumate, erysipelate, metastasi has ad partes aliunde conversis, catarrhorum exempla habentur.

Ex ipso adeo *consensu*, abdominali inprimis, non modo tusses, sed ipsos catarrhos oriri, experientia confirmat. Nec certe, cum et oculos (§. CLII), et fauces (§. CLXXI), et ipsos pulmones (§. CLXXXIX), hac a causa non raro incendi sciamus; cum tantam pituitae sub tussi ferina, cujus saepe in abdomine

rigo est, copiam in pectore secerni videamus: miramur, sensilissimam bronchiorum superficiem internam a nervis ventriculi, intestinorum, per bilem acriorem, saburras corruptas, aut per vermes, continuo irritatis, similia experiri, aut longas vanasque per tusses ad phlogosin ac morbosas secretiones incitari. Hinc ratio summae interdum virtutis emeticorum, purgantium in catarrhis, praeprimis epidemicis, cum gastrica febre manifeste conjunctis, atque adeo spontaneae, qua non pauci catarrhi solvuntur, diarrhoeae, elucet; quin igitur, cum summo aegrotantium damno, mox quamvis aut oris amaritiem, aut linguae spurcitiem, aut nauseam, vomituritionem, vel ipsum adeo vomitum, utpote prorsus in multis symptomatica, pro sufficienti emeticorum indicatione habeamus (§§. CLXXXVI. CLXXXIX). Enarratae vix causae in membranam mucosam, nunc, qua late per has vias expanditur, omnem, nunc modo in partem illius, operantur.

Coryzam tamen (§. DVII.), capitis ipsius, pedumque, apud teneros infantes frequentissima, refrigeratio potissimum inducit. Facilius haec in illis, qui nimiis caput integumentis fovent, succedit. Non raro aeria quaecunque ad nares, utpote declive, superque pervium stimulis externis muci colatorium, feruntur. Ab acri arthritico ad nervos narium ac linguae deposito, et gustus, et odoratus in viro jacturam, ut nec salis ammoniaci volatilis penetrantissimum odorem distingueret, sed modo aliquem ab illo stimulum accusaret, observavimus. Singularis plane *virus venerei* in membranam faucium nariumque mucosam est nisus, et frequens abhinc *ozaenae*, his partibus facile funestae, occasio. *Morbillosum* praecipue coryza praecedit, comitatur contagium; atque ipsae *variolae* interdum hoc signo incedunt; vel ipsas abscessuli nares infestant, exulcerant, vel prorsus, ut vidimus, obliterant. *Scarlatinae* malignae furores in fauces, cava narium, jam alibi (§. CCXCVI.) adduximus. Nec vobis *leprosi* virus, in nares praecipue ruentis, tristissimi effectus (§. CDLV.) ignoti sunt. *Erysipelas* (§. CCLXXXI), et ipsa *tinea faciei* (§. CDXLVII.) non raro internam narium membranam infestant: ac sicut nares infanti-

bus neonatis copiosius stillant; ita, *dentitionis* inprimis sub opere, coryza symptomatica huic aetati familiaris, et abundans seri muciquc nasalis secretio est. Non raro dentes, alveoli maxillae superioris cariosi, istius ad antrum phlogosin, secretiones morbosas, et ulcera inducunt. Ictus, violentia quaevis ad nares, ad sinus maxillares, frontales, — vel et insecta his in cavis recepta, evoluta, similes in aliis effectus agnoscunt. Vel ipse *nicotianae tabaci* pulvis, qui saepe, rebus non parum suspectis et acribus commistus, ad nares ducitur, istarum superficiem interdum aggreditur, exulcerat, ac sensum odoris non parum in multis obtundit, aut prorsus abolet. Nec minus *polypus*, excrescentia fungosa tum narium ipsarum, tum sinuum maxillarium, frontalium, irritando, c[illegible] rimendo, coryzae symptomata inducunt, vel forsitan violenter extracta, ad ulcera vel cariem narium contribuunt. Chronicus, a *calculo* ad nasi cavum haerente catarrhus describitur; in aliis juncta cum laxitate membranae mucosae sensibilitas major, aut angustior narium conformatio, ad coryzas habituales disponere videntur.

Praeter generales catarrhi, fauces, laryngem, aut asperam arteriam occupantis, causas, aliae commemorandae hîc veniunt. Ipsius quidem *raucedinis*, seu *branchi* (§. DIX.), difficillimae saepe curationis morbi, causa est multiplex: ac illius non minus, quam *aphoniae*, frequens longinquis in partibus, in pulmonibus, ipso in utero, ac inprimis in abdomine, origo est. Insigne in vocis organon nervi, *recurrentes* potissimum, imperium exercent. A scarabaeo vivo, ab infante deglutito, mox raucitas observata est. *Aphoniae* a vermibus inductae exempla tum aliis, tum nobis ipsis oblata sunt; atque alibi (§. CCXVII.) eandem *peritonitidis puerperalis* non insolitum phaenomenon sistere, retulimus. Ab injectione adstringente, post abdominis paracentesin, ventris in cavum instituta, — ab inflammatione pericardii, quo loco plures, ex *recurrentibus*, ramulos nervosos accipit, aphoniam, dysphagiam, et mira vocis, nunc in acutissimam, nunc in profundam, mutatae phaenomena alii notarunt. A nervo *recurrente*, aut lateris unius, aut utriusque,

sub experimento in animalibus capto, — vel in homine, sub bronchocelis operatione, vel sub vulnere juguli, discisso, aut raucitas insanabilis, aut perfecta vocis exstinctio, insequitur. Vix morbus est gravior, qui vocem aegrotantis non valide afficiat; ac ipsa quantum pubertas ac prima *seminis* secretio apud pueros vocis organon immutet, est nemo, qui ignoret.

Sed cum toties, longinquas ad causas, vocis aliter aliterque instrumenta respondeant; frequentius tamen ad haec ipsa, ad fauces, laryngem, raucedinis causam haerere, experientia confirmat. Sunt, quibus per vitam vox clara, sonora recusetur; et qui perpetuam, sine morbo, loquendo raucedinem prodant. Potissimam vero istius causam sistunt, muci blandioris, laryngem ac fauces oblinientis defectus, aut major, quam par est, copia, aut excedens tenacitas, aut a pulvere in tracheam illapso impuritas; membranae ipsius mucosae laxitas, flacciditas; istius, ac folliculorum, glandularum intumescentia, inaequalitas, phlogosis, varicositas: exanthema, impetigo, erosio vel ulcus ad epiglottidis, laryngis internam superficiem; cartilaginum, quae laryngem constituunt, rigiditas fere ossea, immobilitas, fissio, fractura, compressio; depositio materiae rheumaticae, arthriticae, calcareae, tophaceae, metastasis; spasmodica, paralytica, musculorum laryngis affectio. Caeterum, quae alios catarrhos inducunt, inprimis susceptum, post cantus, exercitia oratoria, vel longas vociferationes, ex vento gelido, contrario, ex potu glaciali, corpori aestuanti ingesto, refrigerium, raucedinem excitare valebunt. Qui vini potu vel maxime sunt dediti, vix non perpetua raucedine laborant.

Ab istis vix differunt causae, quae *tracheae, bronchiorumque catarrhum*, tam acutum (§§. DXI. DXII), quam chronicum (§. DXIII.) progenerant; ac omnis ex loco, in quem illae agunt, est diversitas. Ipsa quidem *tussis*, quae principalem hîc ludere scenam videtur, commune multis, ut ipsi catarrho, affectibus, *symptoma, non ipse morbus est*; totiesque oritur (quod in genere monendum hîc ducimus), ac stimulus quicunque aut intimus, aut vicinus, aut dissita ex parte veniens, vel in diaphragma, vel in pulmones ipsorumque vesiculas, vel in bron-

chia, vel in asperam arteriam, vel in laryngem. harumque partium nervos convertitur. Frequentissima tussis causa est membranae tracheae, bronchiorum internae, sensilissimae, irritatio. Quam acerba non thoracis universi convulsio ex aquae innocentis guttula, nec oculis quidem molesta, per glottidem delapsa, mox oritur! Atqui cum in pulmonum substantia, vel bronchiorum in cavis, similia contingunt, et a corpore peregrino per tracheam pulmonibus adacto, a calculo hîc genito, ab inspiratis longo tempore ac bronchiali cum glutine in unum concretis, diversae indolis, materiis pulverulentis per atmosphaeram volitantibus, — aut a polypis ex lymphatico coagulo in bronchiis, arteriosi ramosique sub vasis fallaci aspectu, formatis, — a bronchialium glandularum, folliculorum infarctu, a tuberculis, vomica, scirrho, — aut ab aëre, aquis, cruore, puriformi, purulenta materia in celluloso pulmonum contextu collectis, — a vasculis istius varicosis, aut quascunque ob causas a sanguine praeter modum extensis, — ab irritante vapore cum aëre in pulmones attracto, — a materia sudoris, a metastasi, ab exanthemate, impetigine, vel acri quocunque ad pulmones conjectis, stimulus admovetur; — cum partes pulmonibus vicinae, pleura, mediastinum, pericardium, cor ipsum, vasa majora, oesophagus, diaphragma, hepar, ventriculus, lien, inflammatione, tumore quocunque, aneurysmatico, steatomatoso, scirrhoso, aut ulcere laborant; cum in cavo thoracis fluidum quodcunque colligitur; aut ipse thorax, morbosa ossium structura difformis, luxatione, fractura, carie costarum, vulnere, suis in motibus impeditus est; — cum longinqua nervorum, cum illis pulmonum, tracheae, bronchiorum, affinitate junctorum irritatio, prout de *branchi* origine jam diximus, succedit, — his innumeris in casibus mox tussis, nunc sicca, nunc humida, nunc primaria, nunc secundaria, generatur. In catarrho pulmonum, ea ipsa membranae mucosae, quam descripsimus, affectio, tussis molestias inducit. Post *chronicos* catarrhos, ac post ipsam, quam *pituitosam* vocavimus, pulmonum tabem, flacciditas hujus visceris conspicua per sectiones pathologicas detecta fuit. Haec *effectus* non minus, quam

causa hujus morbi esse potest; nec certe sola laxitas, nisi stimulus localis, quem ulcus antiquum, impetigo praepostere sanata, fluor albus, haemorrhoides, blennorrhoea, sudor pedum, axillarum, etc. incaute suppressa, non raro suppeditant, accedat, qui stimulus secretionem morbosam hîc loci tum augeat, tum quodammodo pervertat, sufficere videtur.

§. DXV. *Prognosis.*

Ex illis, quae (§§. DVII. — DXIV.) dicta sunt, *prognosis* catarrhi jam satis elucet. *Narium fauciumque catarrhus*, raro, nisi morbi alterius symptoma constituat, aut major inflammatio, suppuratio, accedant, periculum inducit. Aliquando tamen, post diuturnam ac molestam *coryzam*, ipsius cerebri affecti symptomata sequuntur; nec ita pridem conspeximus virum, cui a narium catarrho, per duos fere menses protracto, vehemente, obscuritas visus, aurium susurrus, loquelae difficultas, circuli calvariam cingentis sensus, tremor maxillae cum epileptico insultu sat frequente, ac cruris manusque, e latere sinistro, debilitas conspicua, — quin alia istorum causa apparuerit, non sine aquae in cerebri ventriculis collectae metu, successerant. Nata ex causis virulentis *ozaena*, perdifficilis, ac arte saepe major morbus est. Neglectis, aut irritatis a pulvere tabaci, aliisque, narium ulceribus, caro fungosa, nunc mollis, alba, vel rubra, sed expers doloris (sarcoma narium), — nunc livida dolensque, in *cancrum* degenerans, — nunc in longum, ut e naribus, vel anterius, vel in fauces posterius, propendens, extensa, *polyposam* naturam assumens, nascitur. *Raucitas*, ut morbus, periculum vix affert; ut signum, non raro exitialis observatur. *Catarrhus bronchiorum*, nisi male tractatus, aut in illis, qui tuberculis pulmonum, ac certa in phthisin praedispositione laborant, plerumque sine noxa incedit. Periculosior est ille, quem dyspnoea, calor, et febris comitantur; ac milleni, qui haec flocci pendunt, inflammatione pulmonum correpti, perierunt; aut, tuberculis hoc in viscere relictis, futuras ad phthises praeparati fuerunt. Catarrhus in longum protractus, licet febris deesse videatur, nihilominus suspectus est,

ac transitum pituitosam pulmonum in tabem minatur. Haec ipsa, minora quidem, ac phthisis ulcerosa, discrimina agnoscit, sed facile aut in istam, — aut, sputis derepente suppressis, in spuriam peripneumoniam convertitur.

§. DXVI. *Cura.*

Sine medici auxilio quamplurimi a catarrhis, vel, tempore brevissimo, per largos, spontaneos sudores, — vel, longiorem ac inaequalem post moram, per pituitae densioris, aliquando striis sanguineis remistae, copiosae, ex parte affecta secessum, — vel denique per blandas diarrhoeas sub fine morbi succedentes, liberantur. Hinc in simplici, nec febre, nec dolore fixo, vel dyspnoea stipato catarrho, res ipsi naturae committi, ac illis, quae cutaneam transpirationem intercipiant, aut stimulum localem adaugeant, sollicite evitatis, tenuiori sub victu, potuque tepido, tempus, quo sponte solvatur catarrhus, exspectari sine artis quovis alio conamine potest. Sunt adeo, qui, loco potus tepidi, diapnoici, ad frigidae, ipsiusque glaciei ad usum in catarrhis, non certe ob aliam, quam quod saepe haec ipsa transpirationem externam promoveant, ac phlogosin localem, incipientem hinc inde dispellant, cum successu confugerint.

Sed, quotiescunque febris, aut gravius symptoma catarrhum comitatur; habito ad indolem istius, ad morbi causam, ad partem affectam, ad abitum aegroti, et ad anni constitutionem respectu, artis sine mora adhibendae necessitas urget. Rarum est, *coryzam* tam violentis symptomatis, aut febre conspicua incedere: sed interdum haec utique subintrant; atque inflammationis ad nares, ad sinus frontales, maxillares, signa et abscessus metum futuri manifestant. Hoc in casu, videndum est, quae febris phlogosin localem comitetur; ac si indolem vere *inflammatoriam* agnoscat, ad regulas jam traditas (§§. XLVI. LXII. LXXI. XCV. CXII. CXX.), — in casu vero febris *nervosae*, ad principia exposita (§§. XCIV. — XCVI.), tractanda est. Vapor aquae, vel solus, vel cum aceto remistae, naribus, nisi penitus obstructis, attractus, — hoc vero in casu, ac in illo phlogosis ad fauces extensae, bal-

neum oris ex lacte tepido, malvae decocto, praeter alia, potissimum conducunt. Devicta localis inflammationis formidine, morbus sibi ipsi, prout diximus, committendus est. Si forsitan tenacitas pituitae excretioni resistat; tunc vaporis, aut mannae in aqua solutae, per nares attractio hanc ipsam sollicitat. *Sternutatoria* aliquando hîc opem praestiterunt, — sed ob incertam ac facile justo majorem actionem, non satis arrident, medicamina.

Jam facto ad nares internas, vel ad sinus frontales, maxillares, abscessu; hic ipse, ne ossa subjecta corrodat, quam prompte fieri id potest, chirurgiae ad leges, pure contento liberandus, vel materia purulenta, ichorosa sinu frontali, maxillari inclusa, educenda est. Perforatio sinus frontalis mature, et caute suscepta, ratione et experientia fundatur. Pus, in antro maxillari detentum, nunc dente molari, qui hunc ipsum attingat, uno vel altero, in primis carie praesente, extracto, et sectis, quae antrum investiunt, membranis, forsitan adhuc integris, — nunc, vel ad alveorum radicem, vel ipsas ad genas, vel palati ad fornicem, loco scilicet maxillae magis prominente, inciso, educitur. Ossis maxillae cum dentibus tribus a carie affectae portionem sat magnam separari curavimus; quo facto, aegrota liquores assumptos ex ore in antrum, et ex isto per narem cum impetu projicere per jocum solebat, et tandem hoc a vitio perfecte convaluit. Sed ostium, quod ex antro ad nasi cavum in sanis patet, frequenter a praesente inflammatione obturatur; nec facile, ut aliqui proponunt, injectio ipsas per nares haec in antra apud omnes perficitur. Quo loco sinus maxillaris morbose cum oris cavo communicat; eo, ne ciborum, sub esu, portio penetret, cavendum est. Si ulcus cum carie, vel carne fungosa, hoc in secessu nascatur; haec artis chirurgicae auxilio curentur oportet. Quae, ex causis virulentis, ipsis in naribus *ozaena* se prodit; ea quantocyus internis, virulentiae specifice oppositis impugnanda, et simul externis remediis sollicite tractanda est. Inter ista, mercurii corrosivi diluta solutio, ac tandem suffimenta, potissimam hîc laudem merentur.

Ad *branchum catarrhalem* quod spectat; is eadem,

ac cynanche hujus indolis, ratione (§. CLXXVIII.) percurandus, — ac si forte phlogosis intensior accedat; ut mitior cynanche *laryngea* (§. CLXXIX.) tractandus est. Vapores aquosi hîc iterum egregie conducunt, et collectam ad laryngem pituitam resolvunt, rejectionem facilitant. Quas olim syrupo de *erysimo* virtutes in raucedine tribuerunt; — hae non alio, quam caetera, quae fauces lubrefaciunt, obducunt, et ab acri sero quodammodo defendunt, fundamento nituntur. Linimentum volatile cum tinctura cantharidum (N. LXII.), laryngis regioni illitum, — aut vesicans emplastrum huic ipsi impositum, in casu latentis rheumaticae, aut alterius acredinis, conveniunt.

In *catarrho bronchiali*, ut in caeteris speciebus, — sed, ob majorem pulmonum nobilitatem, scrupulosius, jam traditis generalibus praeceptis inhaerendum est. Humanitati non parum exitiosa fuit vulgaris, ac si venaesectio in catarrho ubique noceret, opinio. Haec quidem in casu febris catarrhum comitantis *nervosae*, aut *gastricae*, experientia plerumque fundata est; ac si vires deesse videantur; aut laxitas pulmonum, habitualis causam catarrhi constituat; subministrata venaesectio catarrhum, dyspnoeam augere, vel ad pulmonis tubercula aegrotum disponere valebit: sed frequentius, in juniori praesertim floridaque aetate, inflammatoria catarrhi febrilis est indoles; et omissa cruoris, fortiori sub malo, detractio, aut calefaciens adhibita methodus, aegrotantes in peripneumoniam, haemoptysin, aut et phthisin praecipitant. Vix interim tanta hîc urget, ac alibi, sanguinis copiosius emittendi necessitas; nec facile *catarrhus*, ut vera pulmonum inflammatio, per solam superatur lanceolam: sed certe, naturae vires, certumque tempus, ut in *narium*, — sic *bronchiorum* in catarrho, requiruntur; sub quibus stagnans in folliculis mucosis pituita, mobilitatem, expelli ut possit, adipisci, vel stimulus a pectore revelli, ac impetus humorum a pulmonibus in cutem derivari, aut forsitan illud ipsum, quod pulmones irritabat, per cutem, sub aequali blandoque sudore, separari queat.

Quidquod non raro, leviori ac recente sub malo, vel et in ipso *catarrho epidemico*, diaphoresis, per

haustum salinum pulveremque *Doweri*, aut refractas tartari emetici doses, per potus tepidos ex floribus sambuci et ex malva, vel thapso verbasco, vel hordeo paratos, promota, — aut vapor aquae per fistulam ad pulmones aliquoties in die attractus, ad bronchiorum catarrhum sufficiant! Vel et frigida epota apud alios suffecit, ac sua, per stomachum, pulmonum, aut cutis in nervos actione stimulum a bronchiis abegit, mutavit, ac breviori temporis intervallo, contradicente scholarum theoria, catarrhum dissipavit.

Sed maximas hoc in morbo laudes remediis, quae *bechica*, *pectoralia* dixerunt, tribuendas esse crediderunt, qui specificam his ipsis in pulmones virtutem adscribere nequidquam dubitaverant. Haec inter medicamina, tum illa, quae blanda mucilagine instructa sunt, ac similis farinae syrupi, vel et pinguia, oleosa, — tum contraria his ipsis stimulantia, ex scilla marina, oxymelle inprimis scillitico, ex gummi-ferulaceis, gummi ammoniaco, ex kermes minerali, aliisque, numerata fuerunt. Haec iterum Theoria, neglecto casuum, sub quibus haec profuisse videbantur, accuratiore examine, quamplurimis damnosa evasit: et cum a pinguibus oleosis persaepe ventriculus apud illos laederetur; apud istos, praesente jam phlogosi, ex novo stimulo admoto, non aliter, ac de ipsa peripneumonia monuimus (§. CXCVIII.), inflammatio membranae mucosae bronchiorum non parum augebatur. Saepe istius, a membranae, quae fauces obducit, affectione descendit, et a dulci mucilagine vel oleo sedatur, irritatio; — vel quae nauseam, ut scilla, kermes, emetica, inducunt, per consensum ventriculi vel pectoris in nervos, vel in cutem operantur, non virtute specifica pectoris pituitam incidunt, resolvunt; sed saepe ob stimulum, quem nimis jam augent, puriformis copiam liquoris in bronchiis augere, et expectorationem supprimere cernuntur.

Varia hinc et hoc in catarrho medendi, atque nunc debilitans, nunc excitans, pro febris, causarum, aegroti habitu, diversa est ratio. Vomitorium interdum, sub certa inflammationis verae in bronchiis absentia, sub morbi cum saburris complicatione, sub pituitae collectae copia, tenacitate, vel debilitate, quam ut

expelli haec posset, majori, sub tussi habituali, ac sub ipsa pulmonum tabe pituitosa, egregie conducet: sed tutior plerumque in catarrho acuto, praemissis, quae ob febrem, aut ob localem affectionem requiruntur, auxiliis, est haustus salini cum refractis tartari emetici, aut vini antimoniati dosibus, usus; nec raro tussis nocturnae cum fructu per opium sopitur ferocia.

Sub *tussi diuturna*, quae senes, laxosque homines divexat, antimonialia non minus, quam polygalae infusum amarae, gummi ammoniacum aceto scillitico solutum, — si acre herpeticum, vel aliud subesse videatur; vesicans, vel ulcus artificiale, potissimum conducunt. Similia in *tabe pituitosa pulmonum*, sed simul roborantia ex cortice parata, victusque nutriens, equitatio, itinera maritima, vel sub coelo sereno ac altioribus in locis instituta, — interdum, ut diximus, emeticum, fumigationes aromaticae, indicantur. Si *periodica* catarrhi natura, aliaque, eundem ad *intermittentium* familiam spectare docuerint; ex cortice, ut in istis, porrecto, medela est.

ORDO II. GENUS II.

MEDORRHOEA.

§. DXVII. *Transitio.*

Consideratis membranae mucosae, vias aëri hauriendo dicatas obducentis, *catarrhosis* affectibus (§§. DIV. DXII.), ad eos, qui, non absimili mechanismo, pudendorum mucosa intimaque velamina frequenter prehendunt, et *Medorrhoeae*, seu *fluxus pudendorum*, generali sub nomine compellari merentur, descendimus.

§. DXVIII. *Definitio.*

Est vero *Medorrhoea*, vel seri, muci, vel puriformis praesertim, sanguinolentae interdum, materiae, ex verendis morbosa, et cum variis, vel ex phlogosi praesente, vel ex partis impedimento, vel ex humoris jactura, vel ex lege consensus oriundis symptomatis incedens, distillatio.

§. DXIX. *Variae species.*

Varias profluviorum hoc genus (§. DXVII.), et quas scholae passim illuc diverso sub nomine demandant, species agnoscit. Vel enim sexus *virilis*, nunc ex glande, ejusdem viciniis, nunc ex ano, mucum, puriformem humorem, praeter ordinem naturae, eructat; — vel sexus *sequior*, nunc dictis ex viis et illi communibus, nunc ex sinu, labiis genitalium, nunc ex vagina, nunc ex utero, pituitosum liquorem foede profundit; — vel haec ipsa, ex causis diversis (§. DXXXII.) propullulans, aegritudo, nunc celeri, nunc lento de-

cursu absolvitur; atque ob istas, accidentales certe magis, quam ob constantes validasque rationes, ut mala inter se distincta spectari, atque nunc *gonorrhoeae*, *blennorrhoeae*, vel acutae, vel chronicae, nunc *fluoris albi*, *leucorrhoeae*, nunc *haemorrhoidum albarum* denominatione aut falsa, aut morbi sedem, materiae excretae indolem, haud satis exprimente, venire solebant. Ut rectius in hisce procedamus, hunc morbum distinguemus, ratione loci, ex quo scaturit, in *internam*, scilicet urethrae, vaginae, ac recti intestini, — in *externam*, ut puta, glandis apud viros, — apud feminas, labiorum, aut sinus vulvae, — ratione causae, in *primariam*, mechanicam, phlogisticam, atonicam, contagiosam, — in *secundariam*, metastaticam, *criticam*, verminosam, gastricam, calculosam, — in *simplicem*, et in *complicatam*, — in *acutam* denique, seu brevioris potius intervalli, — et in *chronicam*, *habitualem* medorrhoeam.

§. DXX. *Symptomata.*

Hae, unius ejusdemque morbi differentiae, illam symptomatum inducunt, ac fere protinus *localem*, — nunc magis extensam, ac febrilem interdum, symptomaticam scilicet, affectionem constituunt. Ea nempe, quae urethram, quae cavum uteri, vaginam, sinum muliebrem, anum, investit, dives nervis, vasculis, ac folliculis mucosis membrana, glandulae quae prostatam constituunt, quae penis ad coronam, ad vulvae labia, subtili velamento contetae, jacent, a stimulo quocunque affectae, non aliter, ac similis ad nares, fauces, laryngem, tracheam, bronchia haerens membrana, irritantur, ac in phlogosin, *erysipelaceae* plerumque, *phlegmonosae* interdum, naturae, rapiuntur. Sed juvat potiora ex istis, quo scilicet ordine incedant, possibili brevitate exponere.

§. DXXI. *Medorrhoea urethrae. — Stadium invasionis. — Stadium inflammationis. — Suspensio fluxus.*

Ac primo quidem de *urethrae*, utrique sexui communis, apud viros longioris magisque incurvae, apud feminas amplioris, brevioris, nec recto intestino, ut in illis, sed vaginae appositae, *blennorrhoea*, seu *fluxu*

mucoso (*Medorrhoea urethrali acuta*, seu brevi) sermonem faciemus. Apud *feminas*, medorrhoeae haec species *urethralis*, per *consensum* fere magis, quam ob propriam urethrae hoc in sexu phlogosin, oriri videtur.

Hic morbus, eo quod frequentius ab impuro concubitu, quam aliis ex causis (§. DXXXIII), oriatur, a scholis plerumque sub eodem, ac ipsa *syphilis*, tractatu exponi, et a plurimis cum eadem, sine tanto, ut credimus, experientiae fundamento, et a multis cum certo aegrotantium discrimine, confundi consuevit. Si quis interim consideret, *medorrhoeam urethralem* quocunque ex stimulo huic fistulae illato originem agnoscere, admissa virus syphilitici in illa producenda potestate, fatebitur is, hanc urethrae affectionem multarum causarum effectum esse. Nec minus veteres, qui, liquidum, hoc in morbo per urethram distillans, pro *semine corrupto* declarantes, hunc ipsum *gonorrhoeam* dixere, aut epitheto *virulentae* superaddito, ab illa, quae benigna sit, distinguere voluere, veritatis a tramite aberrarunt.

Eadem hoc in morbo, quam in *coryza* (§. DVIII), — sed ad ambitum in viris certe minorem, et ob majorem urethrae sensibilitatem, angustiam, positionem diversam, ob necessarium urinae per istam decursum, fortiora plerumque symptomata, pro sexus, causarum, constitutionis, diuturnitatis differentia, diversa, et certa per stadia non inepte dividenda, se offerunt.

Ac primo quidem, vel stimulo mechanico, locali, vel delata, alia ex parte, ad urethram irritante materia, vel contagio, mulieris infectae ex sinu, nunc paucas ante horas, — frequentius tres, quatuorve post dies, — nunc post hebdomadem, — rarissime, si unquam, multo tardius, suscepto, nascitur, hoc ultimo in casu, ad partem urethrae anteriorem atque infimam, — in alio, ad aliam, pruritus, titillatio, genitalium caeterorum inguinumque consensus, ac fere major in Venerem infaustam proclivitas. Succedit citius, tardiusve tensionis, caloris, ardoris primum moderati, — ac urinae, licet pauca, ad sui excretionem frequentius stimulantis sensatio. In viris, membri spontaneae, nocturnae inprimis, et ingratae erectiones, cum

aliquo laborium urethrae rubore, tumore, pruritu super glande extenso, — in feminis, urethrae vaginaeque extremas ad oras, ad lacunas mucosas, phlogosis, per labiorum vulvae superficiem et commissuram extensa, — in utrisque, post urinam expulsam, ardores majores novaeque mictionis necessitas, sequuntur. Hoc sub statu, secunda tertiave die, ex urethra plerumque humoris mucosi, puriformis, albescentis, guttulae modo paucae, copia, tenuitate et acredine, quo major est irritatio, plerumque augendae, ac lintea flaviusculo colore tincturae, distillant.

In quibusdam vix aliquid, praeter unicam puriformis materiae guttulam, in ore urethrae haerentem, comparet; ac leviori sub causa malum, hoc solo jam stadio contentum, post paucos modo dies absolvitur. In aliis, non multis, majori scilicet morbi sub impetu, nec primo, nec alio in stadio secretio in urethra augetur; sed in sola istius inflammatione, eaque, ob majorem violentiam, *sicca*, aegritudo consistit.

Ardore sub mingendo, ac nixu in expellenda vel pauca urina crescentibus, *stadium secundum*, tertiam plerumque, vel quartam ad diem, orditur. Sub illis scilicet symptomatis, continuo adauctis, os urethrae magis magisque rubet, rigetque; dolor saepe per omnem urethrae longitudinem ad perinaeum extenditur, ab attactu, anteriori inprimis parte, *navicularem* ad *fossam* increscit. Glans penis, aut feminei labra sinusque pudendi rubent, lucentque; penis ipse calet, ac vel minime erectus, volumine augetur, aut plurimum retrahitur; cavum urethrae angustatur, nec lotium, nunc magis tinctum, aequali, indiviso, recto plenoque rivo effluere sinit; erectiones frequentes, dolentes, inprimis ad noctem, dorsoque decumbentibus, succedunt: sub quibus, urinae excretio ad parturientis quasi mulieris nixus ac tormenta aegrotum cogit. Pollutiones, sub his membri virilis tensionibus violentis, spasmodicis, sub somno contingunt; aut a vigili, voluptatis expertes et miserias auctura, subinde tentantur. Jam vero major humoris puriformis quantitas per urethram continuo, sed praecipue matutinas ad horas, profunditur: qui humor flavas potissimum,



§. DXXII. *Chorda.*

Quod si scilicet una magis ab urethrae parte inflammatio, sat profunda, praedominet, ac sub ista, ut solet (§. CXXV.), humor puriformis in ambientem lateris illius cellulosam transudet, — aut glandula lymphatica, folliculus mucosus ad conspicuam magnitudinem turgeant; aut spatia cellulosa, recipiendo sub erectionibus sanguini dicata, ex praegressa inflammatione, deleta, vel quamcunque ob causam ex parte destructa sint; oportet, ut penis erectus, quo loco corpora cavernosa a vicino tumore compressa, vel ipsamet ab inflammatione correpta, vel ob cellularum concretionem, deleta, turgere minus possunt, a solita restitudine declinans, in latus illud (*chordam* dixerunt) vel brevi, vel *chronico* affectu, *curvetur.* Ad inferiora vero penis, quo loco urethram corpus spongiosum amplectitur, potissimum deflectit. Est interim in iisdem subinde aegrotis inconstans veretri, licet aeque erecti, incurvatio; quod non minus, ac ipsa medendi ratio (§. DXXXVII.), ac demum ipse *tumoris* sub penis *curvatura* defectus, *spasmi* praesentiam saepe multum hoc ad phaenomenon contribuere docet. Rarum est, nec visum nobis, quod ligamento penis suspensorio ab inflammatione correpto, ad pubem retrahatur hic idem. Interdum sub violenta penis incurvi erectione, sanguis, quod *stymatosin* vocamus, cum impetu, ac plures, ut novimus, ad libras, ex urethra prorumpit: quo facto, symptomata inflammationis in quibusdam sedantur. Sed in quavis fortiore medorrhoea urethrali sanguis, ut monuimus (§. DXXI.), facile cum muco, quin igitur conspicua vasorum laesio ubique praecesserit, excernitur.

§. DXXIII. *Bubo.*

In aliis, sub ipso morbi impetu, glandulas inguinales a tumore cum phlogosi, tensione, dolore, ac certo in suppurationem nisu prehendi, seu *bubonem* (§. LXXXIII.), cujus varia est indoles, contrahi videmus. Triplici verum modo, causa morbi vel ipsas ad glandulas deducta, — vel alibi, vasorum lymphaticorum ad oras, — vel denique ad nervos genita-

lium, haerente, *bubo*, *idiopathicus* illinc, hîc vero *symptomaticus*, nascitur. Uterque ex istis variam, aut pro materiae absorptae, aut pro stimuli longinqui differentia, naturam agnoscit. *Symptomaticus* vix non ubique est bubo medorrhoeam urethralem simplicem, aut vix nascentem, aut vigentem concomitans: et sicut vulnus, emplastrum vesicans, vel sola adeo punctura, parti sensibiliori, et ex qua glandulae lymphaticae vascula sui generis suscipiunt, ad longas etiam distantias, illata, jam saepe buboni in illis generando sufficiunt; ita et quaevis ad urethram irritatio, vel solus ab acri, cujuscunque demum sit indolis, eidem introducto, contactus, vel simplex inflammatio, quin haec ipsas ad glandulas penetraverint, bubonem producere queunt. Producunt vero *superiorem*, quam vasa genitalium lymphatica ascendunt, glandularum inguinalium ad *seriem*; cum stimuli ex crure affecto venientes, si (non rara caeterum) utramque inter seriem vasorum communicatio lymphaticorum defuerit, *inferiores* potissimum ad glandulas tumorem promoveant.

Quamcunque vero causam in medorrhoea urethrali bubo agnoscat, nisi ulcus syphiliticae naturae se simul manifestet: incerta est tumoris, utrum idiopathicus, symptomaticusne dicendus sit, diagnosis, ac utraque in specie dubia est, a morbi initio, tum illius, quae resorpta sit, — tum ejus, quae simplici contactu stimulet, materiae natura. Nec etenim semper, qui *symptomatice* extollitur, bubo, aut mitior est, aut facilius dissipatur, et suppurationem effugit; nec tumor *idiopathicus*, aut crescit celerius, aut resolvi omnis recusat; nec denique minus *alia*, quam scilicet vasa lymphatica susceperunt, et inguinales ad glandulas duxerunt, materia, ac *virus* ipsum *venereum*, bubonem hîc loci producere potest.

In una, alterave glandula, praevia plerumque stimuli in genitalibus sensatione, bubo inguinalis comparet. Tensionem, et quasi chordam ex illis ad inguina tensam aegroti accusant; et in glandula affecta, calor, tensio, tumor durus, dolor, ab attactu sensibilior, occurrunt. Si plures simul glandulae affectae sint, tumor inaequalis insurgit; sed una ex illis, cae-

teris incremento celeriori praecedit. Hoc facto, cutis colore mutatur, rubet, calet ac tenditur ipsa. Varium sic bubo volumen acquirit, et ab ovi, ad pugni magnitudinem, motum corporis gressusve protinus impediens, ascendit. In multis, febris sat intensa his phaenomenis accedit; in aliis, pauca inflammatio dolorque paucus se produnt; cutis pallescit, ac oedematosi tumoris naturam bubo assumit. Hinc varius istius, ac pro causae violentia, pro subjecti. medelae ratione, diversus est exitus. Pars plurima bubonum. quod pridem ob falsam hypothesin timuerunt, felici cum eventu *resolvitur*; alii ex istis, in *abscessus*, non raro perquam taediosos, mutantur; *scirrhosam* aliqui duritiem, caloris sensusque expertes, assumunt; paucissimi *gangraenam* subire cernuntur.

Ne vero bubo cum *hernia* inguinali confundatur, curandum est. Distinguitur ab ista, quod magis durus dolensque sit; quod loco profundiori haereat, magisque mobilis ab initio esse soleat bubo; quod lentius plerumque, ac hernia, et ex causis diversis, oriatur; quod cutis ruborem mox contrahat, doleatque; quod herniae symptomata deficiant. Non facile cum scrophulis bubonem aliquis confundet, si latius illas, quam istum, extendi, si lentiori origine, vel ab ipsa infantia, nasci, si doloris plerumque expertes, nec tantae inflammationis, quam bubo, capaces esse cogitaverit. Utriusque complicatio mali, per attentum in ea, quae bubonem praecesserint, vel quae eundem comitentur, animum eruitur.

§. DXXIV. *Epididymitis.*

Frequens medorrhoeae urethralis symptoma *Epididymitis* est: quod nomen morbo, quem inepto *herniae humoralis*, *testiculi venerei*, *gonorrhoeae in scrotum delapsae*, sub titulo hucusque novimus, melius convenire videtur. Non modo scilicet cum liquoris puriformis ex urethra excreto, quamcunque per causam supprimitur; sed et medio, — quidquod aucto sub effluxu, et, ut vidimus, sub dubio adhucdum istius principio, vel et sponte cessante blennorrhoea, tumor mollis et quasi pulposus prope ipsum, ut fere duplex

videatur, testiculum, comparet. Dolor ventris, lumborum, coxarum, nausea, ructus, interdum vomitus, borborygmi, diarrhoeae, nonnunquam praecedunt; pondus ad testem sentitur; ac aliquis sub ingressu, vel attactu dolor se prodit. Post diem unum alterumve, hic tumor dolorque increscunt. Plerumque vero *epididymidis* portio inferior, vel et *tunica vaginalis*, non ipse testiculus, tumoris sedem constituit; ac in molem illa convexam, tamque amplam, ut testem vix non omnem, manifeste molliorem, circumdet, extenditur. Nunc dolor, inprimis ad noctem, augmentum capit; ac tumor ipse, jam durior, per totam epididymidem, per vasis deferentis, ac funiculi spermatici portionem, sub figura ovali, pyriformi, ascendit; ac pugni virilis magnitudinem non raro acquirit. Hoc rerum sub statu, vel ipsi testiculo, vel tunicae vaginali, ipsique scroto, inflammatio communicatur subinde; vidimusque, ex ista, paucarum intervallo dierum, *hydropem* tunicae vaginalis *acutum* atque conspicuum, venisse. Interea et ipsum *vas deferens* turget, ac tensum quasi refert funiculum, et venae spermaticae sanguine ultra modum distentae, et quasi varicosae, tumorem adaugent, et abdominalem ad annulum, forte ex spasmo constrictum, *strangulationis* periculum, sub ventris dolore, meteorismo, vomitu, singultu, minantur. Quicunque nunc motus, aut corpore erecto ingressus, prae dolore per nervos spermaticos ad renum regionem extenso, impeditur. Nec tamen febris ubique hîc urget; sed pauca est in multis, nisi major hanc sensibilitas et plethorica excitaverint constitutio: quo sub statu, et nausea, et dolores ad coxas, et tormina, ex lege consensus oriuntur. Plerumque hic tumor inflammatorius, qui ipse irritationis, phlogosis ad urethram praegressae, aut praesentis, *symptoma* est, post unam alteramve hebdomadem *discutitur*; ac rara est illius, modo recte tractati, *suppuratio*. Rarissima hîc loci, ac forsitan ex dicta funiculi spermatici abdominalem ad annulum strangulatione repetenda, *gangraena* est. Frequentior epididymidis, a morbo superato, *durities*; interdum cartilaginea, et fere ossea, occurrit: quae interim, nisi major sit, et a causa irritante in molem fungo-

sam excrescat, aut forsitan in plenum periculo carcinoma mutetur; per multos saepe annos, suspensorio suffulta, sine tanto salutis, vel ipsius fertilitatis, detrimento perfertur. Hoc rerum sub statu, aliquando *hydrocele* tumori testis accedit. Interdum ex uno ad alterum testiculum quasi transilit inflammatio; interdum omnis, restituto muci per urethram, suppresso forsitan, effluxu, disparet.

§. DXXV. *Phimosis.*

Praeputii, penis *ante coronam*, ut reduci super istam non possit, morbosa strictura, *phimosis* vocatur. Haec interdum pueris *congenita* est; ac facilem urinae excretionem apud istos, — in viris, penis erectionem completam, impedit. Sed *accidentalis*, multiplices ob causas, inducitur *phimosis*: ubi vel praeputii, glandem cooperientis, extremum ad limbum, diameter imminuitur; vel coles ipse molem hac sua vagina majorem acquirit. Rarius hoc ultimum, nisi ob natas forte tardius in glande inflammationem, excrescentias, verrucas, — frequentius primum, ob oedema, phlogosin erysipelaceam, ulcera, callum, frenuli laesionem, contingit. Ex praegressis variolis, et abscessulo ex istis praeputii ad limbum relicto, phimosin conspeximus. Scilicet ob laxam internae praeputii membranae, telaeque cellulosae, qua haec cum externa connectitur, naturam non minus, ac ob declivem et pendulam hujus veli positionem, facilis est serosi, lymphatici, puriformis humoris, — quin, ipsius urinae, ex urethra, per ulcera lacerata, ab anasarca, vel a phlogosi praegressa, infiltratio. Sub ista, praeputium stringitur, tumet, pallescit, interdum vesiculis seu *bullis crystallinis*, superiorem ad marginem, obsidetur, ac viam lotio, vel et muco, saniei, alluentibus, aucto abhinc stimulo, praecludit. Hinc frequens apud illos, quibus longum et angustum est praeputium, ad phimosin tam sub urethrae, glandis medorrhoea, quam si ulcera venerea, alia, hic loci lateant, occasio habetur ac nisi promptum huic malo feratur auxilium; praeter urinae, saniei, excerni impeditae incommoda, et praeterquod glans ipsa penis erosa, interdum vicina cum praeputii portione concrescat, — per alteram, acri :

sanie collecta, abscessus sub forma elevatam, consumptam, vel, quasi glans altera, pro parte, vel tota, penetret, strangulетur, ac junctam cum *paraphimosi* (§. DXXVI.) *phimosin* formare videtur, — a celeri haec tenuis membrana *gangraena* corripitur. Alias in longum satis tempus trahitur, et *chronicam* phimosis indolem assumit.

§. DXXVI. *Paraphimosis.*

Contrarium exposito (§. DXXV) vitium, cum scilicet praeputium arcte penis *retro glandem* contractum, hanc super ipsam abduci nequit, *paraphimosis* vocatur. Haec igitur, ipsa ex *phimosi*, repulso violenter, nec prius laxato, post glandem praeputii annulo, aliquando exorta, communior apud illos est, quibus brevius magisque angustum natura praeputium, ac ampliorem sine velo glandem esse voluit. Interna scilicet potissimum illius membrana subtilior, laxior, sensibilior, quaecunque ex causa, irritata, et cum tela cellulosa vicina a phlogosi correpta, intumescit, revolvitur, et a cute externa in unum, vel plures in annulos contracta, cum ipsa glande, quae tumet, livet, vel bullis crystallinis obsidetur, non sine celerrimae *gangraenae*, colem mutilantis, vel adeo lethalis, periculo strangulatur. Interdum, minus vehemens, hoc malum, ob insertas praeputio verrucas, per longum satis tempus, quasi *chronicum*, protrahitur. De tumoris insignis, a lympha coagulabili, inter praeputii laminas congesta, producti, ad capitis infantilis magnitudinem in paraphimosi adaucti, et ab experto chirurgo feliciter resecti, exemplo nobis constat.

§. DXXVII. *Ophthalmitis.*

Jam alio in loco (§. CL) *ophthalmitidis*, quam medorrhoea urethralis violenter suppressa inter omnes acutissimam inducit, mentionem injecimus. Difficilis hujus, rari quidem, phaenomeni explicatio est; ac si genitalium cum oculis consensus, ut videtur, pro causa debeat admitti; non minor tamen illorum cum larynge, vel cum thorace consensus, similem in ista morbum, quod sciamus, non inducit.

§. DXXVIII. *Stadium relaxationis.*

Haec fere sunt praecipua, quae stadium medorrhoeae urethralis inflammatorium apud multos circumdant, et ex partium consensu oriuntur, symptomata. Sed, unde consulto recessimus, ad morbi principalis (§. DXXI.) descriptionem redeamus.

Tantorum scilicet sedes malorum, licet ardor dolorque per totum urethrae decursum se prodant, raro a fossa naviculari ultra pollicem cum dimidio extenditur: quo loco, ab attactu potissimum, ut a carbone accenso, dolente, rubor erysipelaceus urethrae superficiem, et cryptas mucosas suffundit. Interim frequens prostatae glandulae, post hunc morbum ab aegrotis diutius neglectum, vel aliquoties repetitum, suppuratio, scirrhus, ac pendens ab istis ischuria, — phlogosin non tam raro, ac creditur, ad urethrae posteriora haerere, et ipsius perinaei tensionem, tumorem, dolorem, in aliis symptomatica, in vera prostatae ac colli vesicalis, vel seminalium interdum vesicularum inflammatione consistere, nimis confirmant.

Hoc igitur stadium, sub quo majora medorrhoeae urethralis discrimina urgent, ac febris interdum valida accenditur, per octo, decem fere dies protrahitur: quo tempore, sub debita cautela, symptomata vel sponte decrescunt; humor effluens magis magisque albescit, tenacitatem majorem assumit; ardor sub urinae, minus tinctae, excretione, erectiones dolentes gradatim sedantur, ac denique cessant; muci copia quotidie imminuitur, ac potissimum densae, albescentis, ponderosae nubeculae sub forma, aut filorum vermicularium pellucidorum adinstar, fundum urinae petit; nec raro, urethrae extremum ad ostium, in *pseudomembranulas*, hoc ipsum obturantes, ac momentaneum lotio allidenti obstaculum posituras, coalescit. Tandem unius, aut alterius spatio hebdomadae, singula hujus morbi localis, nisi novis erroribus, quod, ob reliquam in urethra irritabilitatem, facile est, — aut ob menstrua, feminae plethoricae, irritabili supervenientia, etc., revocati, ac demum in *chronicam medorrhoeam* (§. DXXXII.) conversi, symptomata disparent.

DXXIX. *Medorrhoea vaginalis acuta. — Medorrhoea urethralis.*

Ex dictis vero symptomatis alia sexum modo unum, ia utrumque divexant. Sed licet feminae, sub miu, ad urethrae principium, ac omnem posthac per ılvam, non parum doloris accusent; prima tamen, ea, quae per contagium patiuntur, medorrhoea, ritationis indicia, loco, quo virus proxime pertingit, l *vaginam* esse, demonstrant succedens, mox ab ipuro concubitu, hac in parte titillatio, calor, ac nsio; demonstrant summus vaginae, ab attactu, vel admisso viri congressu, dolor; ac demum ipsa terdum oculorum inspectio: qua, mucum, licet mnis ad ostium vaginae declivius *confluere* videatur, hoc tamen amplioris superficiei canali potissimum pluere docemur. Hinc major ille sub urina mittenda iesmus, non minus quam uteri ipsius, ligamentorum, bis, lumborumque lassitudo, dolor, vel ex solo rum partium cum vagina consensu, — vel in quisdam a modo congressus, conceptionis ob metum, confecti, quo contagium externis magis applicatur, ndebit. Haec igitur *medorrhoea vaginalis*, quoad ateriae profluentis colorem ac indolem, cum urethrali §. DXXI. DXXVIII.) conspirat; sed longe mitius rumque feminas, quam viros, mulctat; licet plura illis, ad *anum*, ob vaginae viciniam, ob muci rioris ad istum confluxum, incommoda scaturiant; ob spongiosam laxamque vaginae structuram, ob clivem ejusdem positionem, ob novas a menstruis urrentibus irritationes, frequentior in *chronicum* ectum (§. DXXXII.) mutatio contingat. Exempla, feminae medorrhoeam, cujus ipsae symptomata dum persenserant, viris dederunt, haud pauca entur.

§. DXXX. *Medorrhoea recti intestini.*

Vel sine contagio, et quovis a stimulo mechanico, alio, inprimis herpetico, rheumatico, *recti* inteostio applicito, vel a muco infecto, sub horizali decubitu, ex vagina versus anum confluente CXXVIII), vel haemorrhoidum tumentium, vel

scirrhi prostatae, aut alterius tumoris, actione, demum ex nefando flagitio, — sub iisdem interdum, ac in ipsa dysenteria, symptomatis, ad *anum* medorrhoea comparet, ac mucus puriformis, a pure, quod fistulae, abscessus, hîc loci non raro largiuntur, diversus, coloris albi, flavescentis, aut viridis, subinde sanguinei, copiosus, sponte secedit.

§. DXXXI. *Medorrhoea externa.*

De muci puriformis ex labiis sinuque mulierum externo fluxu jam diximus (§. DXXI). Sed et vi[ri] interdum, licet raro, ex glande penis sola, vel loc[o] istam ac praeputium intermedio, seu veretri ad col[]lum, vel demum ad internam praeputii superficiem inprimis sub phimosi (§. DXXV.), eundem copiose nec dote ab illo, quem urethra plorat, distinctum sine ulceris praesentia, cum partis affectae rubore splendore, ardore, tumore, fundunt: quod mali genu[s] *spuriam* quondam *gonorrhoeam* dixerunt. Nullus ho[c] in casu urethrae ardor, nulla in mittenda urina, ul[] simplex, nec ad urethram extensum est malum, di[f]ficultas, occurrunt; sed tenax albaque materies gla[n]dem, aphtharum, ulceris, aut et pseudomembrana[e] sub forma, integram et illaesam obducit; ac, pr[o] causae natura, vel paucas post dies, vel solito m[e]dorrhoeis descriptis (§§. DXXI. DXXVIII. DXXIX[.]) longiori decursu, secedente interdum epidermide siccatur.

§. DXXXII. *Medorrhoea chronica. — Medorrhoea f[e]minarum insons. — Dispositio. — Sedes. — M[a]teriae indoles. — Distinctio morbi. — Symp[to]mata.*

Quaecunque vero ex dictis medorrhoeae specieb[us] (§§. DXX. DXXVIII. — DXXX. DXXXI.), cessantib[us] licet irritationis sensibilis indiciis, ac stadio *relaxatio[nis]* (§. DXXVIII.) jam aliquot per hebdomadas protrac[ta,] nihilominus aut nunquam siccatur, aut ob exig[uas] rationes repullulat; ea, utroque in sexu non inf[re]quens, in sequiori frequentior, *habitualis*, vel *ch[ro]nica* vocatur. Scilicet, quin ad locum, ex quo mu[cus] effluere continuat, sub mictu, vel ardor, vel dolor,

iin in viris erectio molesta, vel sub humoris genitalis ejaculatione, urentis caloris sensatio in urethra, quin ad vaginam in feminis, sub coitu, perceptio grata supersint. humor tenax, albi plerumque, — terdum et alterius, coloris, — nunc paucus, matinas inprimis ad horas, vel tempore, quo nixus scipitur, aut stimulus praecessit, — nunc multus, ontinuo, distillat, ac viscidum sensimque acredinis proprii foetoris non expers gluten genitalia inquiat, viresque, sub muci secedentis excessu, non paum infringit. Atque haec est *secundaria*, quae, utroue in sexu, ex acuta, et ex ea, quae contagium gnoverat, neglecta, vel iterum iterumque redeunte, equenter procedit, medorrhoea. Glandis, sub ista, *npetiginem*, nisi talem, quam impuritas produxerit, reviorem, non vidimus.

Alterius originis, non vero diversae penitus naturae, st humoris, aspectu mucosi, ex feminarum genitalius fluxus diuturnus, *fluor albus*, *leucorrhoea* Auctoum: quod genus profluvii *medorrhoeam feminarum isontem*, vel contagio carentem, vocabimus.

Copiosi, utilissimique vapores ac muci fontes, uteri, abarum, vaginae cava irrorant. Haec ita contingunt; e sana in femina, aut virgo sit, aut mulier, excepto nenstruorum, coitus, partusque vicini, praesentis, eracti, tempore, indecorus e vagina fluxus sequatur. n humana interim, quae corpore erecto incedit, femina, frequenter, ex causis, adeo non semper tam nagnis, liquidam hîc loci, aut copiosius, quam par st, et morbosum secernitur; aut per vasa lymphaica abduci non potest: quo fit, ut humor serosus, nucosus, puriformis, coloris subalbidi, flavescentis, el ad viridem, subnigrum tendentis, — odoris nauosi, vel et foetidi, nunc modo paucis, cum menrua vel instant, vel cessarunt, diebus, vel sub nixu, notu corporis fortiori, ciborum, potuum spirituosoum intemperantia, perspiratione suppressa, vel ad oras matutinas, vel incertis, vel periodicis subinde ntervallis, — nunc vero continuo, aut paucus, aut lurimus, nunc blandus, nunc acris et vicinias arroens, distillet. Non absimilis tunc membranae, quae enitalia obducit, status, ab eo narium, gutturis,

tracheae, bronchiorum, quem (§. DVI.) descripsimus: dicendus est; ac saepius verum *vaginae catarrhum* acutum, chronicumque sistit; — alias ex coryza suppressa nascitur, — vel hanc ipsam, a pudendis aversa, ut exempla docuere, et tussim, et asthma, et tabem, pulmonum pituitosam (§. DXIII.) producit medorrhoea.

Communissimum haec ipsa, urbium inter humidaeque regionis delicatulas, imbelles, cachecticas, laxique habitus incolas motu corporis privatas, — frequentiorem apud juniores puellas, vel illas apud mulieres, quae sepius abortum, aut, aetate teneriori, plures, sibique vicinos nimis, difficilesque partus, — aut nullos usquam, steriles, expertae sunt, — quae propria crudeles prolibus ubera subducunt, — quae semetipsas masturbant, — quae menstruo fluxu privantur, aut parcum nimis, difficilemque fundunt, aut nimium patiuntur, morbum constituit: sed nulla est aetas, nullusque corporis est habitus, quae medorrhoeae hac specie, ex causis diversis (§. DXXXIII.), non interdum laborent; et virgo impubes, matura, et femina coelebs, et uxor, et vetula inprimis, hoc a fluxu haud raro foedantur. Vel sub ipsa graviditate fluor albus interdum feminam continuo divexat.

Quo ex fonte profluvium hoc morbosum scaturiat, est quaestio. Ex *utero* venire, negant, qui hujus ad osculum in teneris puellis, in virginibus, in gravidis, clausum respiciunt. Uterum accusant, qui menstruum ex hoc ipso fluxum stillare noscentes, fluoris albi, vel praevii, vel mox a menstruo cessante venientis, vel menstrua supplentis, successionem considerant. Nos certe sinum externum, vaginam prae aliis, non raro et uterum, et tubas istius aliquando, humorem, de quo agimus, largiri, sectione pathologica id ipsum docente, putamus. Virginibus os uteri connivet; praegnantibus humano clauditur ab ovo: sed quoties hae viae patent; toties ex uteri, tubarumque cavo humorem quemvis morbose secretum per loca declivia ferri, ac per vaginam stillari nil impedit. Nisi *uterus* hoc in morbo frequentius ipse laboraret; vix tanta in *abortum* sub isto proclivitas, nec *sterilitas* tam saepe in feminis hoc profluvio affectis observanda, venirent.

Nec certe, quae hoc sub morbo fluunt, ex pituitae

folliculis singula venire, aut sistere *mucum*, credendum est; sed humor *puriformis* (§. CXXVIII.) ex omni, qua late patent genitalia, superficie irritata, non aliter, ac de urethra stimulis affecta diximus (§. DXXI.), secernitur, et cum muco cervicis uterinae vaginaeque excernitur mistus.

Hinc difficilis non raro *medorrhoeae insontis*, tum ab illo, quod contagium plerumque ex urethra non minus, quam vagina induxit (§§. DXXI. DXXIX.), profluvio, tum a *purulento*, ex latente in genitalibus mulierum internis, aut vicinas, quae cum istis communicant, ad partes abscessu, vel ulcere, pendente effluxu distinctio; et nec materiae per vaginam defluentis aspectus, nec alia ejusdem, quam sensus discernant, qualitas, nisi ex cauto rerum, quae praecesserunt, ac symptomatum examine lux aliqua affulgeat, ad diagnosin sufficiunt. Difficultatem vix parit *menstruorum decolorum, pallidorum, albidorum*, ex sero vel muco potissime consistentium, vix sanguine tinctorum, quae virgines interdum ac mulieres chloroticae sub certis *periodis* patiuntur, a fluore albo, qui promiscue ac sine ordine, vel cum inordinatis, aut nimiis jam mensibus succedit, distinctio. A pure, vel mucosa materia ex ipsa vesica veniente, medorrhoea per continuum effluvium, quod ex vesica, a paralysi non affecta, non nisi laxato pseudosphinctere contingit, sat facile distinguitur. A vera *gonorrhoea* (§. DXLVII.) differt medorrhoea, quod seminis fluxu, nisi voluptas, — sensus tamen aliquis comitetur, ac major debilitas sequatur. Ad *purulentum* e vagina effluxum quod spectat, hic sese origine, quam praegressa inflammatio, suppuratio ad uterum, vesicam, intestina, peritonaeum, exhibuit, ac signis istarum (§§. CCXXVII. CCLXVII. CCXLIII. CCXX.) a *medorrhoea vaginali chronica* et *insonti* distinguit. Magis ardua, impossibilis interdum, est istius, ab *acuta*, per contagium plerumque inducta, vel ab aegrotis celata, vel quodammodo protracta, vel demum complicata (§. DXXIX.), distinctio. Si fides coitum impurum neganti haberi queat, et cohabitantis mariti sanitas testimonium confirmet; si ardor, dolor, vel urinae difficultas, conspicua, a morbi initio defuerint; si profluvium passu

lento, aut brevi tempore, priusquam menstrua prodirent, aut mox ab istis, inceperit; si junioribus puellis, loco sanguinis, serosa, mucosa ex utero materia, sub iisdem, ac solent menstrua, phaenomenis, ac certis modo *periodis*, effluat; si blanda primum ac pauca satis, albidaque materia, sub mitioribus symptomatis, ac sensim sensimque copiosior, sub lumborum, ossis sacri, coxarum dolore, ventriculi languore, effluxerit; si laxa corporis conditio, vitaque iners, aut quae diximus alia, vel quae infra dicemus (§. DXXXIII.), praecesserint: tunc profluvii indoles insontis et chronici vix dubiis obruitur. Augebitur difficultas, si major effluentis liquoris acredo jam adsit, ac, sub debita licet genitalium puritate, haec ipsa tamen, aut illa viri coëuntis arrodat, exulceret, vel medorrhoeam urethralem (§. DXXI.) ex istis, quae interdum contingunt, inducat. Interim facilior breviorque istorum in viris, quam a contagio suscepti, malorum est cura, ac fidelis symptomatum, quae feminam a morbi principio blandiora tenuerunt, et nunc magis ad lumbos ventriculumque divexant, hic facem, — nec tamen semper, ne errori sit locus, sat claram, consideratio accendit. Fluorem album sub fluxu menstruo cessare, quod medorrhoea ex *contagio* non faciat, sine quovis fundamento, cum humor uterque, cum sanguine mistus, distingui non possit, dixerunt.

Sed ipsa symptomatum, quae medorrhoeam chronicam ac insontem feminarum circumdant, historia, diagnosis certitudinem adauget; ac si forte simplex, sine ulcere *venereo*, medorrhoea neglecta (§. DXXIX) illam, quod non raro contingit, induxerit; non magno certe in praxi errore haec causa ignorabitur. In genere, *localem* medorrhoea aegritudinem, nisi totius debilitas systematis praecesserit, constituit: et quae caetero in corpore sub illa succedunt, hujus morbi symptoma, effectum, non vero causam sistunt. Hinc pauca, in sanis caeterum mulieribus, donec major humorum jactura sequatur, ab initio, et per menses, quin annos, totius corporis incommoda se produnt; ac primum sibi genitalia plus aequo madere, mox vero quibusdam, antequam menstrua se prodant, ac postquam cessaverint, diebus, humorem serosum,

ntea ex pallido tingentem, ex vagina aufugere observant. Sensim sensimque in plurimis, — nam in quibusdam derepente hic fluxus sat copiose prorumpit, cum oris matutinis lectum, in quo supinae nil adverterant, deserunt; pituitosum sibi humorem e vagina per crura descendere percipiunt. Hic effluxus interim uspenditur; sed sub alvo cum nixu deposita, sub orporis exercitio, post lautum prandium, redit, atque temporis tractu augetur. Jam primum oculi quasi umidi, aut *vitrei*. et arcu sublivido, plumbeo, utriusque tumor palpebrae aquosus, cum faciei pallore, umore, comparent. Morositas, pigrities, lassitudo, ac aliquis ventris, dorsi, lumborum dolor per os sacrum extensus, accedunt. Ventriculi tandem functiones labescunt; digestio tarda. difficilis; oppressio, morus, dum jejunae sunt. ventriculi, ructus, et aquae vomitus acidae, sequuntur; interdum alvus adstricta, nterdum laxa est; debilitas corporis, genuum impoentia, crurum perfrigeratio quotidie augentur; sub notu corporis et acclivium ascensu, cordis palpitatio, nhelatio, se produnt.

Hoc rerum sub statu, periodicus sanguinis ex utero luxus consueto ab ordine, plerumque tardior et paucus, interdum nimius, recedit. Augetur muci hoc tempore, vel et parum a sanguine tingitur, fluxus; incommoda plura, lumborum tensio, dolor obtusus per uterum, laterum mollitudinem, abdomen, pelvim et crura extensa increscunt. Interea color habitusque materiae mutatur: flavescit, virescit ista; odorem spirat nauseosum; ipse vaginae sensus a spisso, quod hîc confluit, glutine obtunditur; fastidium creant maritis uxorum amplexus: quae interim, licet et hoc interdum sub statu concipiant, plerumque tamen, ob systematis vitium uterini, vel steriles redduntur, vel partum immature expellunt. Saepe uterus, aperto, praeter ordinem naturae, osculo, et gravior, profundius descendit, ac interdum prolabitur. Gluten ipsum genitalia inundans ex parte per urinas abstersum, vel turbidas, subalbas, *asininas* has reddit; vel floccos, aut filos in illis capillares, pellucidos, aut crassam gravemque nubem ad fundum constituit; ex parte, vaginae inter rugas et in profundis lacunis diutius re-

tentum, corrumpitur, aeredinem, foetorem contrahit, ac in ichorem conversum, pruritum, voluptuosum interdum, ardorem ac phlogosin internam producit, vaginae superficiem arrodit, ac uterum, vesicam, anum, in consensum trahit. Interdum saniosa, livida, subatra, foetidissimi odoris materia tam copiose prorumpit; ut et gressus impedire, et lectulos altius subterpositos illuvies penetrasse sit visa. Hoc tandem sub statu, pallor subflavus corporis, debilitatis, nervosi systematis affecti symptomata, anxietas, tristitia, cephalaea, anorexia, increscunt; accedunt febricula lenta, cum pulsu parvo, duro, inaequali, frequente, macies cum tussi arida, quam breves per intervalla thoracis dolores, ac nocturni sudores pessumdant; vel pedes primum, mox vero crura, corpus universum, hydropico tumore inflantur; uteri interdum haemorrhagia jungitur; ac singula tristem morbi perlongi eventum praenunciant.

§. DXXXIII. *Causae medorrhoeae acutae. — An ex ulcere? — An venerea? — Causae bubonis, epididymitis, phimosis, paraphimosis, — Medorrhoeae chronicae.*

Sub diversarum medorrhoeae specierum historia, causarum simul potiorum mentionem injecimus. Quae vero ex istis referendae supersunt, aut, ad meliorem morbi intellectum, uno quasi agmine disponi merentur; has adduci nunc interest.

Medorrhoeae acutae *urethralis* (§. DXXI.), *vaginalis* (§. DXXIX.), *recti intestini* (§. DXXX.), *externae* (§. DXXXI.), causam, in quovis stimulo, mechanico, vel alio, has in partes agente, quaesivimus. Quae vero causae hunc ipsum inducunt; has, tum ipso *in corpore*, — atque tunc, mox ipsam ad partem, quae aegrotat, mox alibi, generari, atque hic, vel ad illam deponi, vel lege consensus, vel partium mechanismi, in eandem operari, — tum corpori, vel parti, quam offendunt, ab *extus* inferri, tum *ambobus* his modis oriri, dicendum est. In dictis hinc partibus, ut in aliis communibus ex causis, phlogosis accendi, et ad humoris mucoso-puriformis secretionem porrigi occasio potest. Frequentius, ut nos ipsi non semel observavi

mus, rheumatica materia, aliunde in urethram profecta, medorrhoeam induxit. Similes de podagrico, seu arthritico, aliove ab acri observationes in fastis medicis occurrunt. Ex sola gingiva, ob dentem eruptioni vicinum, dolente, ut in aliis frequenter diarrhoeam, — sic pluries, eodem in homine, medorrhoeam urethralem exortam esse legimus. Ex fortiori, per catharticum, stomachi, intestinorum stimulo, praesens medorrhoea augetur. Ex recto intestino a phlogosi. haemorrhoidalem vel aliam ob causam correpto, ad urethram medorrhoea nunnunquam comparet. Ex fluxu vaginali, perinaeum ac anum infestante, hic ipse ad similem secretionem stimulatur. Ex vicino urethrae, vaginae, recto intestino, tumore, vel ex prostatae induratae, ex polypi, aut scirrhi uterini, aut abdominalis ex visceris morbosi has in partes pressione, medorrhoea haud raro scaturivit. Ex cereolo, canali urethrali, — ex pessario vaginae diutius immissis, a cerevisiae, vini, recentium, nec fermentatorum potu, ex materia acriori pudendis injecta, ex concubitu cum femina fluore albo acriore laborante, leprosa, vel summopere impura, frequenter medorrhoea originem desumpsit. Sub alterius stimulantis materiae in parte corporis quadam praesentia, admotus urethrae, vaginae, cujuscunque naturae stimulus, latitantem alibi fomitem has ipsas ad partes invitat, accendit; et medorrhoea *complicata* inducitur.

Nec certe, ut ista sequantur, *ulcus* in urethra requiritur; nec in ipsa, quam contagium ex concubitu impuro excitaverat, medorrhoea, pathologicae sectionis testimonio, nisi raris, et complicatis, ut videtur, in casibus, *ulcus*, aut reliqua ex isto *cicatrix* detecta fuerunt. Praeterea nec ulcus, primis jam morbi diebus, cum vix incipit phlogosis, adesse, — nec, superficiale et parvum, mox tantam puriformis copiam materiae largiri, — nec tam celeriter, ac solet, medorrhoeam repelli posse, supponi prudenter potest. Vel ipsa tandem partium caeterarum, narium, oculorum, anique, puriformem materiam striasque sanguinis, sub acuto dolore, sine ulcere, fundentium copiosa exempla, et nudus genitalium, in mulieribus medorrhoea laborantibus, aspectus, pristinam, quae

ulcus in simplici communique medorrhoea supponit, theoriam falsitatis convincunt.

Praesentis aliquando, ad urethrae canalem, *ulceris*, facile *venerei*, signa indicare sat certa vix possumus. Si violenta, ac diuturna ad urethram inflammatio, cum perversa vivendi, medendi methodo, praecesserit; si, cessante jam illa, modo pauca, interdum vero nulla, sub insigni ardore, dolore, sub attactu, loci semper ejusdem, materia effluat; si cereolus tenuior, canali immissus, cruciatus quamplurimum exasperet; si effluens materia non intime cum sanguine, sed cum striis cruentis remista, secedat; si longum per tempus haec symptomata consuetis remediis resistant: tunc utique justa satis dubia de urethrae integritate nos premunt. Interim ardentissimum, et constantem uno eodemque in loco, ac simul a quovis attactu violenter adauctum, cum nullo effluxu, urethrae, a concubitu suspecto, dolorem, sine lue insecuta, observavimus.

Communissimam vero causam medorrhoeae (§§. DXXI. DXXIX. DXXXI.) sexus unius cum altero, ex simili contagio genitalibus infecto, congressus constituit. Hujus contagii origo prima nos latet; sed quaecunque ex causa, nunc quidem cessante, sponte primum descenderit; an *idem* cum illo, quod *luem veneream* inducit, dicendum sit, sub judice lis est. Ex eadem certe scaturigine propullulat utrumque; — sed indole, si modo, *simplex*, cum altero non confluat, *diversum* et nobis utrumque (§. DXXI.) videtur. Omisso interim, quod satis incertum sit, *antiquitatis* hujus profluvii, prae *lue*, majoris argumento; potiora, quae allatam opinionem sustineant, fundamenta, ab eximiis licet viris sat fortiter concussa, adducimus.

Donec igitur infensi hominibus contagii, quod *syphilidem* communicat, indolem rectius definire discamus; id ipsum, virus esse dicamus, quod concubitu impuro plerumque corpus, praevio locali affectu, subintrat, — susceptum ab isto, solius naturae, vel aliorum, quae nota sint, auxiliorum beneficio *nunquam*, — per solum vero *mercurium*, systemati vasorum ingestum, ac ab isto, incognitas ad leges, mutatum, efficacia, certitudine, quam nullibi morborum internorum hoc metallum manifestet, evidenter majori, celerique, seu *specifica*,

virtute exstinguitur. Medorrhoea, quae simplex sine *ulcere venereo* incedit, sponte, vel sine artis auxilio plerumque, sub debita modo cautela, disparet; et a mercurio medelam certe nullam, non raro vero damnum sat evidens, agnoscit. Ab hac ipsa vel male tractata, vel inconsulte suppressa, non paucae aegritudines descendunt; sed *luem veneream*, seu morbum a solo mercurio, tam celeri, tam evidente successu domandum, *viginti octo annorum* in arte medendi experientia instructi, abhinc venisse, conspeximus *nunquam*. Dolores artuum nocturnos, hoc ipso in Clinico Instituto, accusabant non pauci, qui sola medorrhoea sese pridem fuisse affectos testabantur; sed *mercurio* hos dolores, vel alia, quae de lue suspicionem alebant, symptomata, non potuimus auferre; mitigarunt, abstulerunt hinc inde, quae in *luem* sola nil possunt, alia auxilia. Praeterea in nullo veritas tam saepe medicis, quam in istorum examine, absconditur. Feminae, quae ulcus genitalibus haud offerunt, in *vagina*, quo oculus non penetrat, id ipsum pati, — et sub aspectu *medorrhoeae*, *luem* viro incauto conferre queunt. Sub angusto latet interdum ulcusculum praeputio, vel latet forsitan, quin symptomata id doceant, in urethra. Vel ea, quae longo a tempore suscepta fuit, continuat, et sub recentioris medorrhoeae symptomatis, huic ipsi inconsulto adscribitur, antiquior jam ista, lues. *Circulationis extra vias* jacere ad urethram in illa virus, est dictum; sed quomodo, quam tantas, tamque longas, in parte, tenuissima epidermide instructa, turbas excitare videmus, *resorberi non posse*, non debere, dicetur materia; cum vel ipsum cuti applicitum acre *cantharidum*, licet cuticulam non elevet, resorberi, — vel osculo, vel suctione *luem* oris cavo inseri fateamur? Opinionem, a muco urethram, ne hic ulcera ex acri nascantur, defendi, vel ipsum hoc elui ac prius excerni, — symptomata, longitudo medorrhoeae admitti recusant. Quot non denique, vel a solo puriformis in medorrhoea materiae effluxu, praeputium inter et glandem, ob solius saepe munditiei in viris defectum, — vel anum inter et vulvam in feminis, ulcera nascuntur! quae, licet de affluxu humoris iniqui

continuo ex urethra testentur; *benigna* tamen indole vel paucis, solisque externis remediis jam cedunt, nec luem inducunt! . . . Experimenta quorundam, qui se, cum desumpto ex ulcere venereo, et in urethram deducto ichore, medorrhoeam creasse, — vel ex materia puriformi, sub ista, per urethram stillante, et vulnere per artem inducto inserta, *ulcus venereum* produxisse docuerunt, ignorare non possumus; sed primo, minime virus venereum, in urethram advectum, vel, quod necdum conspeximus, ex corpore jam a lue infecto, in hunc canalem depositum, *medorrhoeae venereae* aliquando producendae impar esse censemus; et *medorrhoeam* interdum, licet casu, in quo ulcus urethrae deesse vix credimus, rarissimo, virulentam hanc indolem habere, ac luem propagandi potentia valere, nequaquam ex eo, quod hanc nunquam sat certam viderimus, negamus; secundo, ex paucis hac super re institutis, nec satis hucusque confirmatis, experimentis inconcussa veritas, quod *ulcera benigna* frequentius sub ipsa *medorrhoea*, quin indolem *veneream* ostendant, inundentur ab ista, infringi haud potest. Quamplurimi, qui *luem* ex concubitu acquirunt, non *fluxu n* ex urethra, contagio licet maxime exposita, sed *ulcera* ad penem rebellia, ut luis praenuncia, patiuntur; et qui utroque ex malo laborant, hi saepe per mercurium a *lue*, — a *medorrhoea* nequidquam liberantur.

Quod si vero communis et simplex medorrhoea contagio inducta, ex *acri sui generis* oriatur, et veneream rarissime originem agnoscat; oportebit et *bubonem* (§. DXXIII.), et *epididymitem* (§. DXXIV.), et *phimosin* (§. DXXV.) et *paraphimosin* (§. DXXVI.), quae profluvii illius symptomata constituunt, nisi forsitan praesente simul venereo ab ulcere oriantur, similis esse prosapiae. Ac revera hoc ipsum vel sola jam, quod a cereolo urethrae immisso, per merum consensum *bubones* oriri sciamus, experientia confirmat; ac altera, quod sine mercurio, ac methodo communi haec symptomata medorrhoeae, quin *lues* unquam sequatur, felicissime dissipentur, vix dubium relinquit. Ab ulcere tibiae leviori per externam violentiam inducto, mox eodem in latere bubonem in-

guinalem observavimus; a digiti laesione, glandulae axillarum in tumorem durum assurgunt (§. DXXIII.); hinc ex urethrae phlogosi ex suppressa cum adstringentibus, vel a frigore, medorrhoea, similia vasorum actione lymphaticorum contingunt. Ab istis portionem liquidi morbosi sub ipsa medorrhoea abduci, nil obstat; sed licet hoc fiat, licet *circulationis extra leges* haerere tunc dici hoc virus non queat; nihilominus, modo ulcus venereum non adsit, *lues*, — vel bubo resolvatur, vel suppuret, si ex propria judicium experientia feramus, non sequitur.

Nec minus *epididymitis* (§. DXXIV.) ex solo, qui urethram divexat, stimulo, ad leges licet non semper cognitas, proficiscitur. Ab incauta spirituosorum, adstringentium in urethram instituta injectione, a frigore suscepto, quibus saepe medorrhoea supprimitur, ab equitatione, coitu, sub ipso hoc fluxu continuatis, frequenter hoc malum inducitur. Qui testes mox a primis medorrhoeae diebus suspensorio committunt; his rarius, ex ista, has ad partes inflammatio succedit; sed hoc ipsum, rem satis non explicat. Ex urethrae vasis lymphaticis nulla cum testibus communicant; inflammatio in urethra locum anteriorem magis occupans, in communi medorrhoea vix deferentes semen canales attingit; licet graviori sub malo ad hos ipsos extensam sectio pathologica monstraverit. Cum parvo in urethra sub urina mittenda ardore, sat longo, priusquam signa medorrhoeae sequerentur, tempore, hunc se morbum manifestasse conspeximus. Post suppressum in illa profluvium, saepe dolor, inflammatio in urethra, quamvis tumor circa testiculum nascatur, *non urgent*; restituto interim profluvio hic ipse tumor facilius dissipatur. Videtur hinc solus urethrae ab acri, vel a stimulo mechanico, irritatae, cum testibus consensus hoc mirum symptoma explicare; nec certe veneream hic morbus frequentius, quam ipsa medorrhoea, indolem agnoscit. Vel a sola urinae retentione, et stranguria qualicunque, testiculos cúm dolore tumuisse, ac illis dissipatis, subsedisse, observationes docuerunt. Ex mercuriali unguento potiorem, quam ex aliis exterius adhibitis, effectum non vidimus; nec *luem* hoc ex malo, nisi ulcera praecessissent, oriri conspeximus.

De phimosis (§. DXXV.), paraphimosis (§. DXXVI.) natura idem dicendum est. Nascuntur hi morbi ex quovis, tum glandi, tum praeputio, vel utrisque, applicito stimulo, per violentum, vel et naturae contrarium, congressum, per frenuli sub concubitu laesionem, per acre quodcunque hîc loci collectum, receptum, depositum. Saepe ulcus venereum, ut causa, hîc latet; frequentius sola impuritas, ac puriformis materiae, sub medorrhoea glandis, praeputii, urethrae profluentis acredo haec symptomata, — interdum ulcera superficialia, benigna producunt; quae *lues* non magis, quam ipsam, quae simplex est, medorrhoeam, insequitur. Ex phimosi violenter post glandem reducta, paraphimosis non difficulter exoritur.

Nec alia est fluxus puriformis, mucosi ex *ano* (§. DXXX.). vel medorrhoeae *externae* (§. DXXXI.) natura, et causae prorsus similes haec mala producunt. Ex suppressa medorrhoea vaginali, mulierem ad *anum* eodem morbi genere affectam fuisse novimus.

Chronicae medorrhoeae (§. DXXXII.), pudendorum plerumque *debilitas*, cum *morbosa* his in partibus *sensibilitate*, pro fundamento est. Universi interdum debilitas systematis, et quae istam inducunt, inertia corporis, victus parum nutriens, viscidus, pinguis, aquosus, potuum, balneorum tepidorum abusus, atmosphaera humida et frigida, laxa fibrarum a nativitate constitutio, haemorrhagiae aliaeque evacuationes, morbi, vim vitae frangentes, praegressi, labor nimius, animi pathemata deprimentia, somnus diuturnus, hoc ad profluvium disponunt. Interim, nisi major his genitalium se jungat *laxitas*, et innixa huic ipsi peculiaris *sensibilitas*; vix fluxus, de quo agimus, ex sola totius debilitate orietur. Ubi stimulus sat longus genitalia vexavit, et impetuoso humorum affluxu, vasorum robur infractum, nervorum sensibilitas adaucta sunt; haec ipsa, ut secretio morbosa humori sub stimulo, quem congestio humorum suppeditat, in longius tempus continuet, jam sufficit. Sic praegressa medorrhoea acuta, vel male tractata, vel ob diaetae errores protracta, vel pluries renovata, in sexu utroque, sub valido licet totius systematis robore, in chronicum ac rebelle frequenter mutatur profluvium

Ex sola urethrae virilis, per phlogosin praeviam quamcunque inducta, certis in locis, *angustia*, — post istam, urinae allidentis, vel calli comprimentis a stimulo, chronica medorrhoea provocatur. Ex *ulcere* interdum, licet rarius, profluvii istius origo est. Quae vim uteri vel maxime infringunt, ac majorem hac in parte sensibilitatem relinquunt, abortus, partus praematurus, difficilis, aut in tenera aetate sibi nimis vicinus ac frequens, placentae extractio violenta, veneris abusus, masturbatio, haemorrhagiae uterinae, aut vasorum hujus visceris, a menstruis suppressis, nimia dilatatio, potissimam chronicae medorrhoeae causam largiuntur. Sed nihil sensibilitatis perversae hoc in morbo actionem tam manifeste, quam fluoris albi, menstruorum instante, vel declinante periodo, incrementum, demonstrant. Hoc quidem phaenomenon, alii vasorum systematis uterini sanguineorum in uterum patentium, auctae tunc temporis, nec tamen sanguini transmittendo adhuc satis capaci diametro attribuunt: vix autem aliam muci ex utero, vagina, quam ex sexus utriusque urethra eodem certe sub morbo stillantis, suspicamur esse originem; nec tam *mucosae*, quam *puriformis* est indolis, quae hîc funditur, ac levi sub phlogosi, menstruorum impulsu in feminis periodice renovata, ex integra partis affectae superficie *secernitur*, *non* ex sanguine, jam *facta*, *propellitur materia*. Hinc ex stimuli augmento, quod menstrua periodus ad uterum inducit, chronicae hoc in sexu medorrhoeae periodicum incrementum, — nec aliter, quam illud, quod ex coena lautiori, ex potu spirituoso, ex solo corporis exercitio majori, ex repetito concubitu, utroque in sexu aequaliter succedit, derivandum est. Eodem fere modo depositum ad uterum non gravidum, ad vaginam, urethram, vel ad anum, acre rheumaticum, herpeticum, scrophulosum, vel aliud, si visceris debilitas praecesserit, aut morbi diuturnitate inducta sit, rebelles ex istis fluxus, qui stimulante alias in partes conjecta materia illico dissipantur, ac aliorum haud raro *crisin* morborum sistunt, induecit. Hinc ex dispersis, ut diximus (§ DXIV.), coryza, catarrho bronchiorum, vel et asthmate, impetigine, ulceribus chro-

nicis, sudore pedum, axillarum, sat saepe medorrhoea in feminis, — et hae ipsa cum repellentibus incaute suppressa, vel pristina iterum salutis incommoda, vel pejora, nascuntur. Quae vero sanguinem copiosius, quam par est, ad uterum cogunt, vel alliciunt, et congestionibus hoc ad viscus viam sternunt: ea, vasorum his in partibus tonum infringunt, ac sensibilitatis simul morbosae rationes adaugent. Huc spectant in primis vestes, seu thoraces, quibus feminae a tenera juventute utuntur, arctiores: ut quorum actione mechanica, cruor, corporis superficie sat ampla, et visceribus pectoris, abdominis, non parum compressis, pelvis ad vasa nimis urgetur; lectio librorum libidinem excitantium, praematura matrimonia, negatum uteris fertilibus conceptionis partusque, salutare quampluriinis, officium, — crurum, genitalium noxius, per *carbones* accensos, vel et *turbam*, ut vocant, infensam nervis uteri mephitim spirantes, suppositos, vel per balnea tepida fotus frequentior, — arcta nimis, aut rarius renovata fasciarum, quibus menstruo sub fluxu genitalia circumdant, applicatio, ac sanguinis in vagina collectio, stagnatio, — cruoris, a puerperio, natura sic jubente, ad *mammas* ruentis, lactisque fontes aperientis, violenta, in pueros inhumana, his a glandulis aversio, et ad uterum, his, lege consensus, adeo affinem, a partu viribus exhaustum, revulsio, — lochiorum major, hoc ipso denegatae lactationis ab opere inducta copia, diuturnitas, — partus partum insequentis, pendens iterum hoc ipso a vitioso conamine, nec igitur civium numero favens acceleratio, — remediorum, quae *emenagoga* dixerunt, aloëticorum, irritantium abusus, — uteri, vaginae descensus, prolapsus, — pessariorum, ob ipsa haec mala, gestatio diuturna. Sed in primis vestium muliebrium, quibus hiberno sub gelu fere iisdem, ac sub fervida aestate, utuntur, tenuitas, et crurum, regionis uterinae ab aura frigidiori, *caligarum*, quibus *Asiae* mitioris feminae prudenter utuntur, defectu, neglecta custodia, reprobandae hîc veniunt. A cutanea transpiratione suppressa, nisi renes mox suppleant, diarrhoea frequenter descendit; ac sub uteri systemate jam infracto, facilis est serosi ac suspecti humoris hanc

ad partem conversio. Non raro ex frigore genitalibus admisso fluor albus, quasi verus *vaginae catarrhus*, inducitur: qui, saepius repetitus, chronicae medorrhoeae excitandae non est impar. Interdum et aliae hunc morbum causae, spinae vitia lumbalis, ac istius, vel et uterinae regionis, contusio, concussio violens ab ictu, casu, quibus uteri quaedam, ut aliis a causis, *paresis* inducitur, inferre videntur.

De profluvii puriformis, ex ani vitio locali pendentis, causis jam diximus (§. DXXX.). *Haemorrhoides*, ut vocant, *albae*, non ex vasis hoc nomine instructis, sed ex stimulo per varices inducto, ac per phlogosin intestini recti superficiei, ac folliculis mucosis hujus loci illato, propullulant. *Pollicaris* ab *ascaridis* numero majori ad rectum nidulante, frequenter hoc, stimulum, tenesmum, et auctam muci puriformis secretionem experitur. A praegressa dysenteria, diuturnus saepe stimulus intestinum divexat, ac puriformis prolabitur materia.

Externam medorrhoeam (§. DXXXI.), major genitalium, apud viros non minus, quam apud feminas, inprimis a menstruis absolutis, impuritas, — in parvulis subinde *ascaridum pollicarium* ad vulvam ascensus, ac inducta ex istis continua irritatio, genuerunt.

§. DXXXIV. *Prognosis. — Scirrhi, abscessus prostatae. — Bubones. — Medorrhoea chronica.*

Varii, quos magna jam parte exposuimus (§. DXX. — DXXXII), nec ab illis, qui alias inflammationes sequi noscuntur (§. CXXVI.) diversi, *medorrhoeae acutae* sunt exitus. Frequentissime haec ipsa *resolvitur*; aut in fluxum pertinacem, contagio carentem, seu *chronicam medorrhoeam*, convertitur. Rarior *suppurationis*, nisi male tractati, neglecti, hujus morbi, eventus est: ac licet illa sequatur, nisi virus *venereum* inflammationem generaverit; hujus indolem nequaquam sponte assumet. Interdum, quamvis rarius hoc fiat, sub stadio medorrhoeae inflammatorio, quod in genere majoris hoc in morbo significationis est, accedente inprimis novo, ex spirituosis assumptis, ex celebrato concubitu, masturbationis commisso vitio, alioque stimulo fortiori, *gangraena* penis succedit. Quae,

inflammationis ob summam violentiam, fere *sicca* est urethrae affectio: ea, majori, quam si plurimum effflueret, periculo stipatur; sed *siccam* conspeximus, licet valde ardentem, per sex fere hebdomadas extensam, quam nulla periculi indicia circumdabant, medorrhoeam. Non ideo, si multum puriformis, contagiosi liquoris ex urethra distillet, quod virus susceptum promptius *eliminetur*, — sed quod minor inflammationis sit impetus, citius hic morbus absolvitur. Contagii principia, ab initio modo unica forsitan humoris infensi guttula, per urethrae ostium (ut seminis, a coitu cum muliere menstruis correpta, sanguine, ipsa virili in urethra, tincti exempla docuerunt) suscepta, secretionem morbosam, qua idem contagium copiosius, quousque phlogosis continuat, evolvitur, inducit. Nec finem, quo eesset hoc ipsum, sat certum, nisi omnis jam in urina emittenda, vel ejaculando in semine calor et ardor urethrae disparuerit, erectiones violentae, dolentes, cessaverint, indicari, — nec humorem, qui effluere continuat, licet aliqua ex istis supersint, cum certitudine virulentiae accusari licebit. Non raro haec phlogosis urethram, maxime virilem, certis, pluribusque interdum in locis, inaequalem, duriorem, crassiorem, et quasi callosam, cum diametri illius decremento, tortuosam relinquit. Hoc urethrae sub statu, lotium difficulter, aut tenui, ac in plures diviso rivo, aut guttatim, praemissa puriformis, et post locum obstructum collecti, liquoris portione, exprimitur. Nunc fere *continua* sunt haec obstacula, et certis temporibus minora, post corporis exercitia violenta, equitationem inprimis, ac potuum spirituosorum, veneris post abusum, majora, — nunc, *spasmodicae* magis naturae, in totum sat diu, ut videtur, sublata. Sub majori hunc ad canalem impedimento, urinae fluxus in universum, et cum vitae periculo, nisi citius auxilium feratur, supprimitur. Plerumque haec urethrae vitia post repetitas, licet minime fortiores, medorrhoeas, non modo ad *bulbum*, quo loco phlogosis primariae sedes haud fuerat; sed et plures post annos comparent, et difficilem propriae originis explicationem efficiunt. Interim in multis, a medorrhoea acuta, frequentius, ut ex

symptomatum silentio apparet, dissipata, nihilominus major urethrae sensibilitas, et in pristinos affectus, vel minoribus, ac minime contagiosis ex causis, promptitudo se prodit: et sub ista, *phlogosis chronica*, vix dolens, et *occulta*, ut in oculis, ac ipsis in bronchiis apud dispositos ad phthisin homines, non rara est, frequentius, quam ipsi animadvertant aegroti, subesse, — per universum canalem ad bulbum, ipsamque ad prostatam, et collum vesicae, lente extendi, — telam cellularem, quae urethrae membranam mucosam exterius laxe circumdat, non minus quam illam, quae vasa prostatae in glomerem coadunat, lympha coagulabili infarcire, — ac tandem callosam harum partium duritiem, non aliter, quam *chordam* a medorrhoea acuta relictam, *chronicam*, in aliis, inducere videtur. Hanc genesin, prompta semper loci penes callum haerentis, ad phlogoses natura confirmat, et abscessuum spatii illius, ac in prostrata, mole saepius insigniter aucta, frequentia ostendit.

Haec *prostatae* a pluribus certe causis pendens, sed post multiplices medorrhoeas acutas, urethrales, licet multos ab illis post annos, apud *senes* frequentior, durities, ex eo, quod vel uno, vel utroque ex latere, urethram distrahat, comprimatque, fere perpetuas urinae difficultates, suppressiones frequentes, discrimine plenas vesicae nimis dilatatae paralyses, ac fere eadem, quam ex calculo vesicae, symptomata inducit. Portio hujus glandulae, quae ad urethrae ex vesica egressum, ac loco posteriori est posita, tumefacta, vesicam versus assurgit, hujus ostium obturat, atque, ut aliorum observatio, ac aliquae hoc in *museo pathologico Ticinensi* conservatae ex cadaveribus virorum vesicae docent, hujus visceris in cavum altius et ad ovi anserini magnitudinem interdum, — lotii non modo egressum ex vesica, sed aliquando et descensum per uretheres in istam, praepeditura, — vel et ostii vesicalis, ne claudi quavis ex parte possit, et hinc simul urinae incontinentiam, productura, ascendit. Alias, uno ex latere magis tumida, scirrhosa *prostata*, vel et *seminalium vesicularum*, quos iterum hoc in *museo*, utroque ex latere vesicae, magnos

possidemus, *scirrhi*, vesicam exterius ac lateraliter comprimendo, similes effectus producunt. Vel ad recti intestini confinia extensus glandulae tumor, docente cereolo, atque digito in anum immisso, sub perpetua in perinaeum pressione, ac sub tensione, dolore ad urethrae radicem constante, ingressu difficili, hoc ipsum coarctat, faecum has per vias descensum intercipit, vasorum haemorrhoidalium infarctus, tenesmum ac ani medorrhoeam rebellem creat. Crescunt hae miseriae, quotiescunque nova phlogosis tumori se jungit: qua saepe lenta suppuratio, abscessus hanc ad glandulam insignis, vel plures minores excitantur. Hi abscessus omnem urinae defluxum nunc supprimunt; nunc, ostio vesicae distracto, homine nolente, partim effluere hanc sinunt; nunc sponte vel in urethram, vel in rectum intestinum, vel in spatia huic ipsi et vesicae intermedia, vel per sinus fistulosos in perinaeum, aperti, licet lotio interdum pristinas per urethram vias aperiant, mox novo ichore repleti, pristina symptomata reducunt; vel, fistulis cum urethra, et cum ipso perinaeo, scroto, vel recto communicantibus, urinae simul et ichoris his ex partibus, apertura vel unica, vel multiplici, effluxum foedum, et gangraenas generantem, inducunt.

Caeterum, incerta est satis medorrhoeae acutae, vel mitis, vel fortioris, quoad morbi durationem exitumve, prognosis. Sub leviori phlogosi, diuturnior saepe medorrhoeae decursus, — sub paucioris materiae effluxu, major, ne ad urethram callosa succedat durities, metus est; ac saepe, qui parum sub initio urgebat, morbus aegrotantis, medici, vel causae ignotae ex culpa, cum discrimine inopinato augetur; saepe alter, a principio ominosus, sub recta vivendi medendique ratione, brevi tempore fugatur. Sub optimo, ut apparet, rerum successu, timor est, ne *chronicam* hic fluxus, facile leviores per stimulos revocandus, naturam assumat. Apud feminas, ob majorem sensibilitatem, laxiorem partium ob habitum, ob irritationem a menstruis periodicam, frequentius, quam in viris, haec ita succedunt. Constitutio corporis laxa, debilis, sensibilior, scrophulosa, vel alio ab acri frequentius vexata, adultiores jam homines, prae aliis, ex medorrhoea acuta, in chronicam labuntur.

Sub *chorda* (§. DXXII.), ubi penis validius erigitur, non rarum est, sanguinem ex urethra effluere: quo saepe profluvio, illud morbi symptoma quamplurimum imminuitur.

Bubones ex solo *consensu* venientes, resolutionem vix non ubique admittunt. Qui ex resorpta simplicis medorrhoeae materia ortum, *idiopathici*, sumpserunt: hi, sine luis periculo, resolvi queunt; ac si forte suppurent, non aliter, quam abscessus in parte glandulari, qui lentiorem quidem, pro ratione inflammationis, sed felicem plerumque curationem admittunt, considerari merentur. Difficilioris curationis est, qui cum scorbutica, scrophulosa diathesi incedit, ac facile in ulcus mali moris mutatur, bubo. Quem ulcera venerea, non ob solum consensum, sed, paulo tardius, *idiophaticum* producunt, bubo, hic luem certe indicat, ac inducit veneream. *Secundarium*, ex lue confirmata venientem, sine ulcere pudendi, bubonem non vidimus. Bubones, qui resolvi, suppurare recusant, *scirrhosam* aliquando, remediis rebellem, — et hoc verum sub statu, interdum malignam, *carcinomaticam*, sub cruris, cui respondent, tumore aquoso, motusque jactura, indolem assumunt. Similia ad *testes*, sub medorrhoea acuta, ad epididymem in primis, inflammatos, nec benigna, saepe lenta, resolutione liberatos, in quibusdam contingunt, tumorque scirrhosus interdum funiculum spermaticum fere integrum infestat. Quibus semel, ex medorrhoea acuta, testes tumuerunt; his facilius ex novo contagio hae partes inflammantur. An cum jure sit dictum, testiculorum ex hoc contagio duritiem in *carcinoma nunquam* abire: de hoc quidem dubitamus; sed exemplis sat certis, ac propriis destituti, contrarium defendere non possumus. Febre *nervosa*, lethali, vetustum testiculi tumorem fere integre disparuisse, observatio habetur. De *phimosis*, *paraphimosis* periculis jam satis monuimus (§§. DXXV. DXXVI.). Concretio praeputii cum glande, in prima ex istis, lubenter succedit, ac penis erectionem, concubitum, fere impedit. Factam interim, a tribus jam septimanis, praeputii concretionem cum parte glandis laterali, per injectiones solvere nobis licuit. Utroque in malo, praeputii,

— in paraphimosi, ipsius etiam glandis, gangraena timenda, ex maculis sublividis, nigris, ex vesiculis sero similis coloris turgescentibus, praevidenda est. Rarior est, sed exemplis non caret, bubonis in *gangraenam*, quam haemorrhagiae subinde praecedunt, comitantur, mutatio.

Difficilioris curationis est *chronica:* tum illa, quae ex acuta, contagiosa, descendit; tum altera, quae *fluoris albi*, apud feminas, sub nomine venit (§. DXXXII.), ac *habitualis* jam reddita est *medorrhoea*. Augetur difficultas, cum, praeter pudendi laxitatem, sensibilitatem, morbosas, — vel totius languor systematis, atque prona in spasmodicos affectus dispositio, — vel scrophulosa, scorbutica, arthritica, rheumatica, impetiginosa constitutio accedat. Si forsitan vitium organicum, si polypus, recisionem non admittens, aut major arte humana scirrhus uteri, recti intestini, vel prostatae, stimulo, compressione, pudendorum secretionem morbosam inducant; tunc prognosis illorum, et illam chronicae medorrhoeae, plerumque infaustam, constituit. Praeter frequentem mulierum hoc profluvio laborantium *sterilitatem*, si forsitan conceperint, frequentes, ex causis non magnis, *abortus* patiuntur. Quae urethrae ex callo, angustatione, propullulat; — haec, chirurgicis auxiliis, novae inflammationis, et aucti effluxus beneficio. dissipata duritie, interdum dissipatur medorrhoea. Non parva interim profluvii, licet morbosi, cui natura jam dudum assuevit, habenda est ratio; atque eodem, citius quam par est, per artem suppresso, frequenter incommoda salutis majora, ut videtur, non ex ipsa cessantis tunc effluxus materia, alias in partes deposita, — sed stimuli assueti, cum parte alia, affine, communicati, ignotas ad leges (§. CCCLXXIV.) nascuntur. Hinc variis a morbis feminas, medorrhoeae hac a specie *praeservari*, tum hoc quidem sensu, tum eo, quod latens morbi alterius materies ad uteros ferri consueta, profluvium hîc excitet, minus illo incommodum, — vel quod causae morbi antiqui, quasi per *fonticulum*, pars aliqua quotidie diffletur, non ubique tam absurde a vulgo contenditur. Non rarum est, diuturnae medorrhoeae difficilem vaginae, vel uteri ipsius *prolapsum*,

— ac tandem plenas discrimine *cruoris* hoc e viscere
acturas accedere.

§. DXXXV. *Cura generalis.*

Cura medorrhoeae, in genere, a causarum, sedis, mporis, symptomatum ratione dirigitur. Desideranda, ec ficta pietate arcenda forent, si certiora, quae con-giorum medorrhoeae, vel et luis ipsius, potentiam elerent, nossemus, auxilia. Res in *Europa*, sub nto populorum cum exteris commercio, perardua, ec legum subjecta imperio esse videtur proposita a ibusdam, sed soli forsitan tempori reservata, utrius ie veneni *destructio*. Major interim in illas, quae rpore quaestum in Republica faciunt, Magistratus tentio, — virorum, qui uxorem, quam possent, icere recusant, minorem in civitatibus ad numerum ductio, — subministrata celeriter infectis, tacita, gratuita pro miseris, subsidia, infaustos virus m late diffusi per provincias progressus ubique non irum frenarent. Quod ab impuro concubitu conta-um utrumque certius avertat, vel susceptum mox rrigat deleatque, adhuc quaeritur remedium: sum-a interim partis contagio expositae, nec protracta longum, mundities, et genitalium, ad ultimos re-ssus, cum liquido, ne tempus perdatur, quocunque, orimis cum sapone, purgatio, vel instituta, illius b defectu, cum pulvere quovis absorbente aspersio, — ii, mox a concubitu suspecto emissio, — cauta oidae, vel aquae calcis, in urethram, vaginam, in-tio, pericula quodammodo imminuunt. Securos non ldit viros, muliebrium, attentum licet, cum ad ginam hoc extendi non queat, examen. Illorum ethra, vel sponte, vel anterius compressa, si dolo-n manifestet, aut ploret, si rubeat ad ostium, nisi orbi alii, contagii insontes, forte praecesserint; con-lendi amplexus id satis indicabit pericula. Post aevium, qui suspectus est, congressum, quin ju-m symptomata timorem adhucdum confirment, ab ni tamen cum sanis intimiore commercio, quod iaerens pudendis externis, internis, virus, sine minis infecti morbo evidenti, sese facile communi-, abstineatur oportet. Caeterum ab illis, quae uni-

versum systema, vel inprimis quae pudenda stimulare, quae sanguinis ad ista affluxum provocare, vel quae urinae acrimoniam augere possent, sibi caveant aegroti. Necessaria in viris est testium, seu scroti, mox a morbi initio, suspensio. Frequentius humor, qui effluit, vel, sub longiori, et angusto praeputio collectus, id ipsum, vel glandem stimulat, exulcerat, tepido cum lacte abluatur, vel injecto simili, vel aquoso liquore educatur oportet. Decubitus in dorsum mollior, pollutiones in viris nocturnas excitare, — in feminis, virulenti, corrosivi humoris defluxum ad anum, cum damno dirigere consuevit. Positio coxarum declivis, materiae, supino corporis sub situ, in vagina stagnantis, effluxum promovebit.

§. DXXXVI. *Cura medorrhoeae acutae. — Cura per injectiones. — Cura exspectans.*

Nullibi auxiliorum tam ferax est, quam ubi morbi vel *sponte*, qualicunque, non prorsus contraria, sub methodo solvuntur, scriptorum ingenium; atque hinc tantae in medorrhoea, de qua loquimur, curanda, — quin ideo morbi magis pateat indoles, aut quibus certo ille vix indiget, divitiae! Quam, *venereo* sine ulcere, contagium induxit, — ea, sub recta vivendi ratione, non minus, ac aliae, quas insons forte stimulus invexit, medicae sine artis subsidio, vel a sola natura, perfecte, quin *lues* timenda sit, vel in plurimis, persanatur *acuta medorrhoea.* Prout virus istius natura, — sic et verum, quo exstingui mox posset, antidotum, nos latet; et quae forsitan, primis a concubitu suspecto diebus instituta, medorrhoeam illico et in cunabulis jugulasse legitur, — ea, vel modo animi, ob suscepti contagii timorem agitati, ac, ut sibi facile persuadet, jam sensu pruritus, caloris in urethra, vagina, multati, curas demulsisse, — vel, quaecunque demum fuerit, saepe magis venenum his e canalibus *eluisse*, quam in istis *subegisse, suffocasse* videtur, *injectio.* Non raro nimios illorum, qui se in contagii pericula incurrisse accusant, timores nutriendo, vel methodi adhibitae laudes immodicas decantando, — si non lucri cupedinis, aviditatis, — saltem levitatis, inscitiae, suspicio movetur. Sunt interim

aliqua, nec certe spernenda, quae fortiora mitigare medorrhoeae symptomata, quae pericula avertere, et quae saepe breviorem morbi decursum reddere queant, artis praesidia.

Praeter illa scilicet, quae a suspecto concubitu facienda, evitanda esse docuimus (§. DXXXV.), oportet nimiam partis a viru, aut alio a stimulo correptae, irritationem, inflammationem, et, quae ex vitio locali, vel alibi per solum consensum descendunt, symptomata compesci: oportet morbi effectus, qui chronicam inducere medorrhoeam minantur, praeverti.

Quamprimum igitur stadii, quo morbus hominem ex contagio *invadit* (§. DXXI.), symptomata comparent, non pauci, et eximii inter hos viri, praeditos virtute aut *stimulante*, aut partis infectae mucum *solvente*, aut nervorum illius sensum *obtundente*, aut denique irritatam ejusdem superficiem *defendente*, liquores, per siphonem huic operi idoneum, tepide, frequenter, et caute injiciendos praescribunt. Ut, quid nos ipsi sentiamus, fateamur; quaecunque sub *acutae medorrhoeae* principio, et inflammatorio sub stadio, in urethram pelluntur, res, ejusdem a sensu naturali alienae, — licet sapor id linguae haud indicet, irritantium effectus hîc edunt; ac nulla, quam intentionis ad gradum, intercedit differentia. *Stimulantium* usus, aut hypothesi, qua, per auctam ab illis muci secretionem, et nunc demum contagium posse ablui, expelli, — aut alteri, qua factam a viru irritationem huic propriam, per aliam, ab ista diversam, posse protinus deleri, sibi promittunt, innititur. Quid de virus suscepti, per auctum ex urethra effluvium, *eliminatione* sentiendum sit, jam supra (§. DXXXIV.) docuimus; et quamvis facta per artem *secundaria* irritatio *primariam* interdum posse auferre videatur (§. CCCLXXV.), vix tamen hoc ipsum, in casu suscepti indomabilis *contagii*, locum inveniet. Vel ipsi hujus methodi fautores, irritationem artificialem, nimis exiguam, vix agere, — majorem, quam par sit, nocere fatentur. Quis igitur, sub tanta sensus in urethra, sub diversis temporis intervallis, inconstantia, — sub tanta in variis hominibus irritabilitatis urethralis differentia, vel praescribendae arbitrio *formulae*, vel solius, quae

idem non eodem semper modo sapit, *linguae* judicio, irritationis gradum faciendae sat certo docebit? Quis impetum, quo liquorem in urethram propelli deceat, ac illius quantitatem, vel satis ut penetret, vel ne stimulo nimis aucto officiat, probabili conjectura indicabit? Quis curationis, vel a chirurgo, rerum satis experto, labore per horas repetendo, absolvendae, patentia in vulgum incommoda, vel si res ipsis tam variis aegrotis committatur, laesionis pericula in censum non vocabit? Quis denique tempus, quo ab injectione, vel inutili, vel noxia, oporteat desisti, sat aeque definiet? Plura tamen, hunc in finem, pro injectione, adhibita fuerunt: inter quae, praecipuae sunt, solutiones vitrioli martis, cupri, zinci, aeruginis, ammoniaci salis, olei terebinthinae, balsami alterius. Ex mercurio, variis sub formis injecto, aliqui efficaciam, quam nec ipsa in *lue*, nisi jamjam evoluta, agnoscit, *specificam*, quaesiverunt. Qui virus venereum a *muco* perpetuo involvi, vel aliter, contagii potentiam deponere contendunt; hi certe, supposita etiam venerea medorrhoeae communis natura, veneni in superficiem folliculosam *effectum*, pro *causa* habuerunt. Nec *acida* venerei virus indoles sat firmis argumentis, ut ex *alcali* caustico, ex lapidis caustici, vel demum aquae calcis ex usu, quae utrumque in finem adhibent, spes magna virtutis affulgeat, innititur. Qui artem destruendo contagio imparem agnoscunt: hi saltem nervos urethrae, vaginae, ut minus sentiant, cum calcis plumbi, ex aceto solutae, — vel opii, aqua distillata dilutorum auxilio, obtundere satagunt; et conspecta, istius inprimis, in chronica ophthalmitide virtus (§. CLIV.), huic satis opinioni suffragatur: sed in *acuta medorrhoea* vix aliter opium, quam stimulum augendo, operatur; atque tam parum ex remedio, in urethram injecto, hîc loci, vel tempore brevissimo, retinetur; ut liquori injecto, quae interdum hunc sequitur, symptomatum mutatio, vix queat adscribi. Qui urethram defendit mucus, hic alio vix unquam, sine stimulo manifesto, suppletur, viscoso, quod vix penetrat, aut satis urethram oblinit, medicamine.

Quae interim hucusque injectionibus opposuimus

ubia; ea, ad negandas clarorum virorum experien-
tas nequaquam movemus. Nostrum sat raro ab ae-
rotis, sub primis *medorrhoeae acutae*, jam certe
racsentis, initiis, expetitum fuit auxilium: et quoties
oe ipsum novac methodo favebat: toties; quod eae-
erarum nos phlogosium cum injectionibus tractatarum
nalogia docere debuisset, poenituit consilii. Sed ut
autos vos reddere, ut nimios multorum hoc in morbo,
im communi, curando ausus, quoad rationes id pos-
unt, frenare, daretur; *experientiae*, ad quam toties,
ui experiundi scientia haud pollent, appellant, in
edicina fallacias et hîc morbi tetigisse, non credidi-
nus inutile.

Nos igitur, qui *tutiorem*, quodammodo licet longio-
em, *breviori*, sed facile ancipiti, curationem praefe-
imus, acutam sibi ipsi relinquimus medorrhoeam;
e modo symptomata istius, si forsitan nimis urgeant,
noderari curamus. Ad victum quod pertinet, modo
ebris si desit, consuetum, sed a rebus irritantibus,
ut difficulter subigendis alienum concedimus. Quae
ale abundant; ea, quod urinae ardorem mox augeant,
vitari oportet. Pro potu aquam, camque, ne pauca,
t hinc acrior, urina urethram offendat, sat multam,
ropinamus; sed nimia, aut gravi stomacho mucilagine
aturata, quod hace in sanguine mutata ad urethram
on veniat, potulenta reprobamus. Si vino assuetus
it aeger, nec multum irritabilis videatur, nec febri-
itet; hoc ipsum, portione moderata, ad prandium,
oncedimus. Alvum, nisi sponte apertam, clystere emol-
iente quotidie movemus. A motu fortiori, equitatu,
altatione, contrectatione, refrigerio, compressione ge-
italium, a lecto molliori, a sexus alterius, lasciviam
xcitante, consortio, ab animi pathemate majori, ab-
tineant aegroti. Effluentem ex urethra materiam cum
epida, aut lacte subealido, frequentius abluant; aut,
uibus longius, angustius praeputium impedimento
st, injectione, qua et mulier vaginam repurget, sim-
licissima, bis terve in die, utantur. Urinam, nisi
atis recollectam, quam minus frequenter id possint,
mittant.

Si febris accedat, et, in homine robusto, plетho-
ico, inflammatoriae naturam assumat; detracto mox

vino, et ciborum quantitate ac indole mutatis, venaesectio, antiphlogistica sine sale aut nitro, tamarindorum decoctum, indicantur; sed rarior istius, sub dicto regimine, necessitas, — ac in corpore debili, gracilique, manifesta satis a sanguine detracto damna, sensibilitatis adauctae effectus, comparebunt. Sub magnis pudendorum tensione, calore, dolore, cataplasma anodynum cum laudani portione, vel et balnea tepida, tum corporis dimidii, tum inprimis localia ex lacte, vel malvae decocto, usurpentur frequentius. Si ob spasmi magis, quam inflammationis vehementiam, ex urethra nil effluat; ex *opio* medicina petenda est. Si major verendorum inflammatio id jubeat; hirudines peni, ad locum dolentem, ad perinaeum, vel ad labra muliebria ponantur. Saepe interim has turbas, erectiones dolentes, spasmodicas, pene quidquam ad inferiora depresso, *opium*, ad noctem porrectum; — ac si corporis debilitas, sensibilitas morbosa subesse videantur; si tenuis ac diaphana materies ex urethra distillet, ac pulsus frequentes, contracti tangantur; corticis peruviani decoctum, cum tincturae thebaicae portione dissipabunt. Interdum clyster emolliens cum opio injectus quam optime conducit. Fortiora alvum hoc in morbo purgantia, quae urinae difficultatem, ac singula symptomata mox augent, caue pejus fugienda sunt.

§. DXXXVII. *Cura chordae.*

Nec aliter symptomata, quae sub stadio medorrhoeae inflammatorio emergunt, praepediri, tractari merentur. Ad penem *incurvum* (§. DXXII.), cataplasma emolliens, hirudines ponenda sunt; vel et opium liberaliter interne porrectum conducet. Sub dolente ac violenta penis erectione, *priapismo*, princeps in *opio* est positum remedium.

§. DXXXVIII. *Cura bubonis.*

In bubone (§.DXXIII.), cui *ulcus venereum* non subest, curando, ad stimuli, quo inducitur, indolem respiciendum, et hic ipse tollendus est. Suppuratio tumoris glandulosi, ut inutilis, taediosa, ac foedam cicatricem inducens, quovis modo praecavenda, et bu-

bonis *resolutio* tentanda sunt. Si fortior ad urethram inflammatio hunc generet; tunc illi, ad methodum praescriptam (§. DXXXVI.), succurrendum est. Si forte spasmodica ad urethram affectio stimulum cum inguine communicat; tunc ea, quae ad istum commendavimus (§. *cit.*), in subsidium vocentur. Si forsitan suppressus ex urethra, vagina, materiae effluxus, hoc malum induxerit; tunc, suppressionis pro causa, vel inflammatio in illis arcenda, vel spasmus tollendus, vel ope cereoli, pessarii, secretiones morbosae revocandae sunt. Sub incipiente glandularum inguinalium affectu, praemissis praemittendis, rasisque hac in parte pilis, frigidam applicari conducet. Sed inflammatione jam provecta, fortiori, si venaesectio instituta sit, aut minus indicetur, hirudines parti bubonibus vicinae applicandae sunt; vel cutis tensa ac rubra scarificanda est leviter. Post haec auxilia, mitiori sub malo superflua, cataplasma ex lacte et pane, nec tamen nimis calidum, sub die, — ad noctem vero, ob metum refrigerii, emplastrum gummosum, continuo tumori imponenda sunt. Sub vehementi, spasmodicoque dolore, folia hyoscyami, cicutae, in pulvere, aut opium cataplasmati jungenda sunt; ac ad noctem ex opio medicina porrigenda est. Ab *emeticis* in bubonum curatione, ut in aliis inflammationum speciebus, licet aliqui laudaverint, abstinemus. Nec *unguento mercuriali*, quod cruris, quo ex latere bubo est, parti internae illiniunt, sed quod modo venereae metus infectionis adhiberi consuluit, hîc opus est. Si tamen sub tardiori bubonis, vix calentis ac rubri, ingressu, aliquo, ad promovendam resolutionem, stimulo indigere videamur; tunc linimentum volatile, vel mercuriale, quod hîc specifice non aget, unguentum, possunt indicari; sed facilius hunc finem, victus abundantioris, vini concessi, et levis frictionis ad inguen institutae, decocti corticis beneficio obtineri licebit. Interdum, quod et nos conspeximus, vicina bubonis suppuratio, ac purulentae fluctuatio materiae jam tactu distingui videtur: quae tamen signa, quin tumor felicissime resolvatur, subinde haud impediunt.

Si bubonis *suppuratio* evitari non queat; in ea rite pertractanda, ad regulas (§. CXXXIV.) praescriptas

respiciendum, et nunc vires totius systematis, vel modo partis, erigendae, nunc vero moderandae sunt. Lentior est suppurationis in glandulis progressus; ac melius plerumque naturae, quam arti, nisi cutis tenacitas hoc jubeat, committitur abscessus divisio. Tunc vero vel ferro, vel causticis haec fiat, modo plenam abscessus maturitatem acquisiverit, nil interest. Si pejor hîc suppuratio sub aegrotantis debilitate, contingat; saepe cortex, vinum, lautior victus, — vel, si dolor violens accedat, opium, huic remedio junctum, conducunt. Caeteras in abscessu, vel ulcere bubonis curando cautelas chirurgia vos docet. *Mercurio*, ut specifico, hîc nunquam, nisi *lues* simul ex ulcere accesserit, indigemus; sed in ulcere calloso et antiquo percurando, mercurius praecipitatus ruber, eidem inspersus, ac methodus confortans, meliora praestabunt.

Si *scirrhosa* his in glandulis durities sequatur; tunc ad ea, quae (§. CXXXV.) dicta sunt, ac alibi dicentur, spe felicis eventus, eheu! non magna, descendimus. Nec tamen reliqua in quibusdam, a bubone resoluto, glandularum inguinalium *plenitudo* majorque *sensibilitas*, vel *dolor inconstans*, quae saepe victus lautior, chinae decoctum, unguentum volatile cum tinctura thebaica, maris balnea, dissipabunt, pro *scirrho* imponant! *Carcinomatis* vix unquam sanationem, ad regulas, alia hujus operis in parte exponendas, impetramus. Rarior hîc loci *gangraena*, praescriptas (§. CXXXVI.) ad leges tractanda est.

§ CXXXIX. *Cura epididymitidis.*

Epididymitis, medorrhoeae acutae effectus (§. DXXIV.) pro causae ac symptomatum ratione, diversam medendi methodum exposcit. Nunc enim febris haud magna vix sanguinis missionem sibi exigit; nunc, mitis ab initio, post primos jam dies augetur, ac tam intensa fit, ut non una, sed plures interdum venaesectiones reddantur necessariae. Jam sub praevia medorrhoea testiculos suspendendi consilium dedimus (§. DXXXV.): interim stadio inflammationis cessante, testes sibi ipsis committi, in multis opportunum est. Qua ratione tumor scroti increscit; eo magis su-

ɔensorium relaxandum esse, ne compressio succedat, ıuivis facile intelliget. A motu quovis abstineat, ac in ːcto supinus in dorsum decumbat aegrotus. In robu-.is, plethoricis hominibus, venaesectio tumoris, ac oloris incremento majori praemittenda, — ac, si ehemens tunc febris, cum pulsu pleno ac duro in-ırgat, ea ipsa aliquoties repetenda est; aut, si hoc ıinus necessarium videatur, hirudines decem vel quin-ːecim scroto apponendae sunt. Sanguine, si ita videa-ır, detracto, mox a morbi principio frigidam aut ıram, aut cum saccharo saturni remistam, circa ːrotum continuo applicari, ac testes frequentius in a demergi oportet. A camphorae spiritu cum ex-ːacto saturni et aqua remisto, scrotum inflammari onspeximus. Praeterea alvus clystere solvenda, vel blando ex manna, tamarindis, medicamento mo-ːnda est. Cibi modo pauci, facilesque concedendi, ɔirituosa, calefacientia fugienda sunt. Si major ad ɾethram, perinaeum inflammatio simul urgeat; emol-ːntia huic ipsi, quod frigida, confirmata jam phlo-ɔsis vix perferat, apponenda sunt. Si magis nervo-ım irritatio, ut vidimus, quam vera inflammatio, ɔididymidem ad consensum vocaverit; tunc *opium* ad ɔctem propinandum, vapores aromatici, ex sella per-ɔrata, ad scrotum, testiculis suspensis, dirigendi, ac primis clysteres, cum laudani portione fere dupla, ɔerato prius a faecibus intestino, injiciendi sunt. Vel ipso, qui cum valida inflammatione incesserat, mor-o, sanguine jam satis emisso, *opium*, sub reliquo in ːrvis stimulo, porrigatur. Sub majori jam testium tu-ːore, duritie, dolore, et provecta jam nimis inflam-ːatione, cataplasma emolliens, quod sub initio no-ıisset, applicandum est. Mercuriale unguentum, quod ːures hîc scroto illiniunt, sine quovis effectu, nisi ːalo, adhibuimus; et si aliis profuisse asseritur, hoc, inus remedio, quam morbo in resolutionem tam rono, adscribendum videtur. Sub fortiori inflamma-ɔne, fluida circa testem collecta materia per tactum ːscerni videtur: sed licet manifestam et praema-nam hac a causa, *hydrocelen acutam* conspexerimus ·. DXXIV.); incauta tamen foret, ac facile gangrae-ım induceret tricuspidis hoc in casu administratio.

Testiculum, ab incauto chirurgo, hydrocelis curationem cum tricuspide suscipiente, in medio perfossum ac diras abinde convulsiones, inflammationem horrendam in *Bruchsaliensi* Nosocomio inducta, observavimus. Illa interim a regula, in viro ad Clinicum Institutum suscepto discessimus: cui, violento sub coitu sanguis ex urethra copiosus prorupit; ac, altera jam die, tumor magnus sinistri accessit testiculi. Dolor ingens, tensio, figura ipsa tumoris, dysuria, singula nobis, primo aspectu, morbi indolem celaverant. Cum vero manifestam in parte fluctuationem distinguere licuisset; sectionem tumoris institui curavimus. Effluxit humor copiosus, primum flavus, pellucidus, acris ac foetidus; mox vero puriformis albidaque materies. Nato posthinc ad *urinam* mittendam novo stimulo haec ipsa, non per urethram, ut pridem pauca, sed ipsum per scroti vulnus multa, effluxit. Hinc istud ad locum usque, unde lotium, *lacerata* sub coitu ex *urethra*, in scroti telam cellulosam descenderat, dilatatum, immisso urethrae cathetere flexibili, viginti fere dierum spatio sanatum fuit.

Medorrhoeam, ubi forsitan, *suppressa*, epididymis inflammationem produxit, candelarum. et, ut aliqui proponunt, cereolorum novo *contagio infectorum*, in urethram, sub ipso inflammationis vigore, mittendorum auxilio restituere, inopportunum, damnosum esse putamus. Inflammationis in urethra *effectus* est, in multis, testiculorum inflammatio; illaque ipsa medorrhoeam non raro *exsiccat*, non a suppressione profluvii inducitur, urethrae inflammatio. Cessante vero ad urethram phlogosi, si tumor testiculi continuet: cereolorum interdum cum fructu tentabitur applicatio. Vel a sola *angustiae* ad urethram cum cereolis medela, ad testem tumor illico disparuit.

Si, quod rarum esse solet, *suppuratio* testiculum, aut vicina eidem integumenta, hoc ex morbo prehendat; *luis* sine metu, in emollientis usu cataplasmatis, donec pus molliter promineat, perseverandum, aut emplastrum ex gummatibus apponendum est. Inflammatum, ex ictu selopeti vicino, suppuratumque testiculum, sectione aperiri curavimus: ac licet pars magna substantiae, filiformis materiae sub specie, e

vulnere exiverit; major tamen testiculi portio, matura sectione, salvata fuit. Suppuratio, quae sub scroto, illaeso testiculo, contingit, a ferro brevi tempore curatur.

Suppuratione longe frequentior est, *epididymis* non modo, sed et ipsius *testiculi*, ab inflammatione praegressa, *durities*; ex quo satis patebit: quod, si, ab initio non ipsum adeo testem inflammari sit verum; sub fine tamen morbi, res aliter se habeat; et phlogosis, et pendens ex ista, lenta progressu, durities, tum illum, tum funiculum spermaticum, quam longe ad renes fere usque pertingit, non raro corripiat. Varias, et hoc gravi sub malo, methodos commendant scriptores. Epididymis durities saepe sponte disparet; aut, manens, pericula haud movet (§. DXXXIV.); ad testem conversa, difficilis curatu, et saepe nullo, melius, quam valide agente, irritante, et mali exitum forsitan in *carcinoma* praecipitante, remedio, suspensorio solum suffulta, tractatur durities. Quam alibi (§ CXXXV.), sub inflammationis in duritiem exitu, proposuimus, — haec et praesenti in casu tentanda est methodus. Mercurius stimulum, non raro scirrhis funestum, inducit; et nec specifice hîc agere, nec, scroto, perinaeo inunctus, per vasa lymphatica in ipsum transire testiculum potest. Linimentum volatile, unguentum cum camphora, atropae belladonnae, mandragorae radices, externe, — cicutae, aconiti extracta, interne, exterius, adhibita, ononidis spinosae, daphnis mezerii decoctum, gummi ammoniacum in aceto scillitico solutum, electricitatem, ac ipsos adeo cancrorum lapides, commendari, — sed malum nunquam ab istis superari, sat certo novimus. A scroti balneo, ex aqua cum opio remista, frequenter instituto, hoc ipsum dissipatum fuisse, experto a viro percepimus. Num usus candelarum, medorrhoeam revocandi fine, in urethram missarum, ut alias, ex suppressione istius inductas aegritudines, sic et testiculorum aliquando duritiem dissolverit; de hoc, ex propriis decidere nequimus exemplis: nec aliquem, per novam medorrhoeam, ab eo testium affectu liberatum fuisse, unquam audivimus.

Si majorem jam molem ac duritiem testiculus acqui-

siverit, ac dolor lancinans eundem frequentius penetrare sentiatur; tunc certe testis mature suscipienda est amputatio. Si spermaticus simul, usque ad annulum, jam tumeat, ac durus percipiatur, funiculus; tunc, ob portionis istius, abdominalem supra annulum haerentis, in malignam inflammationem, in carcinoma, vel in gangraenam abiturae, vel lethalis haemorrhagiae ob metum, pejori sub omine operatio suscipitur. Post *sarcomatis* testiculi, *recentis*, sectionem, ab illustri, ac versatissimo in chirurgicis Viro arteriam spermaticam, quae suo, needum fracto vi temporis, elatere se citissime abdomen versus retraxerat, non potuisse ad annulum ligari; ac sanguinem copiosum exinde, lethali eum eventu, interna ad loca prorupisse, exemplo nobis constat.

§. DXL. *Cura phimosis.*

In *phimosi* (§. DXXV.), quae ut medorrhoeae acutae symptoma incedit, curanda, tum penis ipsa corona, tum praeputium, ita, ut hoc super glande reduci queat, praeparanda sunt; hinc impeditae reductionis ad causas probe respiciatur, oportet. Sursum coles ad ventrem, si modo profluvii ex urethra hoc sub situ difficultas non impediat, deligandus, motusque corporis evitandus est. Si febris, pulsusque pleni ac duri simul adsint; venaesectio, pro necessitate repetenda, hirudines. ac methodus debilitans, clysteres indicantur; nec major praeputii, quae raro hîc sese manifestat, *rubedo* exspectanda est. Post venam sectam, cum satis recens est inflammatio, *frigidam* eidem, vel solam, vel cum aceto, saccharo saturni, conjunctam applicari, saepiusque renovari oportet. Sub majori jam et fere phlegmonoso praeputii tumore, tensione, fomentatio, vel balnea penis continua, tepida cum lacte, decocto malvae, cataplasmata anodyna, sat mollia, praeferenda sunt. Lac tepidum, decoctum hordei, vel malvae, emulsionem arabicam, dilutam, ut glandis, praeputii superficiem probe abluant, concretionem impediant, sine impetu, frequenter injici nunc competit. Phimosis sub fine, si tumor praeputii *oedematosus* supersit, aluminis solutio applicata conducit. Praeputii, quam aliqui hoc in casu instituunt,

sectionem, ob non pauca pericula, ob deformitatem perpetuam, et congressus impedimenta futura, vix unquam, — ac certe minus, si ipsa *gangraena* accesserit, admittendam esse censemus. Si forte, ablata jam praeputii phlogosi, ulcera sub illo haerere videantur; tunc mercurii sublimati grana aliquot, in aqua distillata soluta, ter, quaterve in die, injiciantur; vel si longioris callositas praeputii extremum ad limbum, ne reduci hoc possit, impediat; hujus partem velamenti *circumcidi* juvabit. In *phimosi chronica*, cum tumore praeputii, scarificatio istius frequens, moderata, obstacula solvit.

§. DXLI. *Cura paraphimosis.*

Paraphimosis (§. DXXVI.) ad curam quod spectat; in ea, ne penis stranguletur, et glandem a gangraena mox corripiendam amittat, ne lotii quaevis supprimatur excretio, festinandum est. Coles igitur, erectus, ad glandem, a manu, cui nivem, aut glaciem subtiliter contusam imposuimus, aliquomodo comprimendus, — vel saltem frigidae cum glacie, et saturni extracto remistae, immittendus est; quo saepe praesidio praeputium super glandem posse protrahi, contingit. Si spasmodica magis constrictio esse videatur; ad *opium*, sine mora, veniendum est. Si res minus succedat; tunc, ad regulas chirurgicas, praeputium, sine mora, quot in annulos post glandem vitiose contractum est, ne corpus cavernosum unum vel alterum laedatur, ac tumori *varicoso*, concubitum impedienti, locus sternatur, incidendum est. Si forte glandem gangraena prehenderit; haec raro cavernosa ad corpora, firmiori tegumento celluloso instructa, penetrabit; sed vel sponte, vel facili negotio, glans tota separabitur. Hoc praestito, ne urethra, ut docuit exemplum, concrescat, per fistulam eidem immissam, cavendum est. Interim gangraena, paraphimosin sequente, ac partem cellulosae, quae corpora cavernosa investit, consumente, penis *chronica curvatura* originem aliquando agnovit. In *chronica*, mitiori scilicet, *paraphimosi*, ut ipsa in phimosi (§. DXL.), scarificationes praeputii conducent.

§. DXLII. *Cura in stadio relaxationis.*

Consideratis stadii medorrhoeae inflammatorii symptomatis (§§. DXXXVII. — DXLI), ad illius, quod *relaxationis* appellavimus (§. DXXVIII.), curam descendimus. Haec vero in plurimis ab ipsa natura absolvitur. Nunc igitur, si quid de solito illinc victu detraximus, vel si. ob febris praesentiam, antiphlogisticis, ac potui paulo magis indulsimus; sub fuga Veneris in longum tempus continuanda, diaetae rigorem pro gradu stimuli minoris imminui, ac methodo debilitanti, ne *chronicam* profluvium hoc indolem, quod in feminis prae viris timemus, assumat, renunciari oportet. Si totius debilitas systematis aut morbum praecesserit, — aut, inquietas ob noctes, ob dolores violentos, ob victus tenuitatem, ob humoris mucosi jacturam, sequatur; tunc, ultimi sub fine hujus stadii, praeter cibos nutrientes cum vini portione liberius porrectos, ad corticis vel frigidum infusum, vel decoctum ascendimus. Sed plures, hoc a morbo, *localis* modo, in genitalibus, *debilitatis*, *laxitatis*, *sensibilitatis* morbosae reliquiis, laborant: atque hinc localibus magis, vel solis, vel corroborantibus universum systema superadditis, remediis indigebunt. Per gradus igitur ad ista veniendum. genitalia frequenter cum frigida in viris lavanda, in feminis simul eluenda sunt. Si longius, quam par est, profluvium continuet; *injectio* in urethram, vaginam, aquae calcis recenter paratae, solutionis cum opio, vel solius (N. LXIII.), vel superaddito saccharo saturni (N. LXIV.), nunc utique tentari sine ullo discrimine potest: qua certe sub methodo, brevem in sat multis, — nec tam longum in aliis, morbum sistit medorrhoea; ac praecipitis non incurrimus curae pericula.

Ex ulcere *venereo* pendentem medorrhoeam, vel cum, *luem* adesse, symptomata testentur, adhibito mercurio, ut hanc ipsam, — et quod reliquum est, exposita vix methodo, tractamus.

§. DXLIII. *Cura medorrhoeae feminarum.*

Vaginali acutae (§. DXXIX.), non alia, quam

urethrali utroque in sexu (§§. DXXXV. DXXXVI. DXXXVIII. DXLII.) *medorrhoeae*, medendi est methodus. Tepida semicupia in feminis majorem, quam in viris, in stimulo frangendo, utilitatem manifestant; ac potior est, vel sub ipso stadio inflammationis, injectionum cum emollientibus, vel cum lacte, emulsione arabica in vaginam, sine impetu, factarum, quam in urethram, leniendi facultas. Venam tundendi rarior hoc sub morbo apud feminas necessitas habetur: nec potus quantitas siti major, quod vaginam saturatior paulisper urina non allidat ac irritet, et quod major genitalia post emissam urinam lavandi concedatur facilitas, requiritur. Sed, ut communior, hoc in sexu, medorrhoeae acutae in *chronicam* est transitus; ita fere majorem *relaxationis* in illa, quam *inflammationis*, stadium attentionem medicorum sibi exigit. Hinc sese lecto tunc temporis, sub majori corporis ac animi quiete, mulier committat; ac, si forte majores fluxum sanguinis nervorum turbae comitari consuescant; has cum opii portione componat. Tardiori, a cessante jam phlogosi, medorrhoeae, cum externis (§. DXLII) medendi, melior, absoluto a diebus jam tribus aut quatuor menstruo, habebitur occasio. Facile fortiorem *vagina*, quam urethra virorum, opii, vel sacchari saturni portionem admittet. Sat profunda sit, ac saepius in die, praemisso cum aqua simplici vaginali clystere, instituatur indicata adstringentis solutionis injectio: quam supino in situ mulier per aliquot minuta retinere conetur; appropinquante vero menstrua periodo prorsus omittat.

§. DXLIV. *Cura medorrhoeae recti.*

Habito ad causas respectu, non aliter, quam acuta urethralis. vaginalis medorrhoea (§§. DXXXV. DXXXVI. DXLII. DXLIII.), tractandum est muci puriformis ex *ani* locali affectu inductum profluvium. *Haemorrhoides mucosas*, ut vocant, easdem, quas sequenti *de sanguineis profluviis libro* trademus, ad regulas moderamur et sanamus. Similiter de tenesmo, ac mucoso ex vermibus recti intestini profluvio, tum de illo, quod ipsam dysenteriam insequitur, aliô sermonem transferimus. Si ex acri, vel a contagio, recti

orificio admotis, irritatio ac phlogosis oriatur; nisi ulcus venereum, quod specialem sibi curam exposcit, hîc lateat; tunc, positis circa anum hirudinibus, vasorum repletionem moderari, alvum cum oleo assumpto laxam servari, ac, stimulo fortiori sublato, ex emulsione arabica injectiones institui, oportet. Cessante jam phlogosi, et profluvio in longum decurrente, externa, quae in medorrhoea vaginali commendavimus (§. DXLIII.), remedia adhibenda sunt. Feminam cum felici curationis eventu tractavimus, quam, ex suppressa cum adstringentibus medorrhoea vaginali, impuro concubitu contracta, mox similia illi ad anum symptomata, — et neglecto, a duodecim jam annis, feroci hoc incommodo, recti intestini indurati pertinacissima, et faecum, nisi diffluentium, excretionem protinus nunc impediens constrictio, afflixerant. Frequentes, sed parvas, ex lactis cremore dulci, injectiones tepidas in anum institui, butyrum cacao eidem intrudi, posthinc vero agarici frustula praeparati, ac post ista, cereolos sensim sensimque majores immitti curavimus; ac fere naturalem hac methodo habitum extremo intestino conciliare potuimus. Nec ad ipsam vaginam, inprimis vero externum ejusdem ad ostium, hujus exitus medorrhoeae, inprimis recidivae, cum ulceribus conjunctae, in duritiem parietum insensilem, ac virgineam angustiam, desunt exempla.

§. DXLV. *Cura medorrhoeae externae.*

Sub *externa medorrhoea* (§. DXXXI.), non seposita causae, quae morbum induxit, ratione, potissimum in munditie partis affectae studium ponendum est. Hinc fotus aquosi, demulcentes, emollientes locis a phlogosi correptis admovendi, ac similia, sub longiori praeputio, injicienda sunt. Dissipato cum istis stimulo, ad externa, quae robur infractum restituant, majorem partis sensibilitatem corrigant, inprimis ad ea, quae (§. DXLII.) adduximus, fortiora paulisper, remedia maturius pervenimus.

§. DXLVI. *Cura medorrhoeae chronicae: — ex ulcere: — per injectiones; — per cereolos. — Cura angustiae urethrae; — suppressionis urinae. — Cura*

medorrhoeae insontis. — Cura prophylactica. — Cura interna. — Cura externa.

Qua ratione *chronica*, ex acuta descendens medorrhoea (§. DXXXII.). praecavenda, curanda sit; partim jam diximus (§§. DXLII. — DXLV.). Quod si proposita jam methodo superius esse malum, docuerit eventus; tunc potissimum, an *ulcus*, vel, cum rarissime hoc adsit, exulceratio superficialis in urethra lateat, inquirendum est (§. DXXXIII.). Est interim sua et huic rerum aspectui fallacia; et exquisitam, longamque saepe locus sub medorrhoea acuta affectus, sine ulceris praesentia, sensibilitatem, ut novimus, conservat; nec aut puris, ichoris, ab humore *puriformi*, in cryptis urethrae mucosis stagnante, tam facilis est distinctio; aut sanguinis pauxillum in illo conspectum, continui laesionem sat certo confirmat. Quod si etiam de *ulcere* securos nos esse jubeat diagnosis; an *veneream*, seu malignam, hoc ipsum, an vero benignam modo indolem foveat, priusquam *luis* symptomata compareant, haud satis constat; vel, si forsitan constaret, *mercurialium* tamen usus internorum, nisi viru jam in corpore evoluto, proficuus haud foret. Interim injectio mercurii corrosivi (N. LXV.), non quidem *specifici*, ut vocant, sed ulcus depurantis remedii virtutem promittit. Si hoc ipso, frigidae, vel ipsius glaciei, frequenter ac brevi tempore anteriorem ad urethram applicandae, per usum, molestum non cesset profluvium; tunc, aut spiritus vini rectificatus cum aquae sex vel septem partibus remistus, aut vitrioli solutio (N. LXVI.), vel et corticis quercus junioris, ex diluto tandem ad saturatius veniendo, decoctum, aut lapidis caustici solutio (N. LXVII.), aut myrrhae liquamen, cum tinctura thebaica, saccharo saturni et aqua (N. LXVIII.), per longum satis tempus, sed majori sub cautela, adhiberi merentur. Interdum rhabarbarum ad dosin, quae alvum vix moveat, vel et balsamus copaivae, terebinthina, apud *viros*, per quorum urethram remedii vis penetrat, exhibita fuerunt. Vel ipsa cantharidum tinctura, qua tamen vix uti, hoc in casu, vellemus, sine laude non fuit. In casu sensibilitatis ad urethram morbosae,

potissimam ex *opii*, vel sola (N. LXIII.), vel juncta cum saccharo saturni (N. LXIV.), solutione actionem speramus. Ab *internis*, hoc sub malo, nisi debilitas universalis subesse videatur, exspectari effectus haud potest. *Olibani*, hoc sub statu laudati, experimentum hucusque non fecimus.

Nec minor est virtus *cereolorum*, vel et syringis ex resina elastica paratae, tam in casu, quo *ulcus* latere suspicamur, quam inprimis si laxitas urethrae, profluvii causam formare videtur. Jam sola interdum *equitatio*, et inducta per istam moderata perinaei concussio, — vel et vini abusus, aut novae medorrhoeae susceptum contagium, phlogosin acutam in urethra revocando, longaevae finem imposuit medorrhoeae. Parum refert, quae demum cereolorum, qui singuli tantum mechanico in urethram stimulo agunt, ac eandem comprimunt, extendunt, eligatur compositio; modo gradatim a minoribus ad majores ascendi, ac eosdem, laesionis sine periculo immissos, tempore sensim sensimque longiori in urethra non modo relinqui, sed et ad ventrem firmari curemus. In vesicae cavum delapsi, et calculo crystallino pro nucleo servientis, cereoli in museo pathologico servamus exemplar.

Sed ad feliciora hujus seculi inventa, vix dicti cereoli, vel ex resina elastica cylindri, catheteres, cum vel *chronica, medorrhoea*, vel *urinae difficultas, suppressio*, non ex urethrae aut phlogosi, aut spasmo, sed ex mechanica ejusdem *angustia*, nascuntur (§. DXXVIII.), licet morbum radicitus vix tollant, numerandi sunt. Sub ulcere, fistulis urethrae, perinaei, sub prostatae tumore, abscessu, ac pendente ex istis ischuria. saepe unicum in hoc summo subsidio solatium habetur. Si vel minor, quem majoribus semper praemitti oportet, cereolus urethram haud penetret; tunc *musica* interdum *chorda*, prius oleo inuncta, canalis feliciter, ut nos quoque novimus, angustias superavit.

Si fortis in urethra inflammatio, vel aliud, urinae fluxui contrarium, obstaculum, cereolorum, catheteris introductionem impediat; tunc, maturo consilio, vesica, aut per rectum intestinum, aut ad perinaei,

— aut denique ad pubis regionem, cum tricuspide, ut in sexto, *de retentionibus*, libro diffusius exponemus, perfodienda est. Plerumque his in chronicis urinae suppressionibus vel prostatae, vel colli vesicae tumor ac durities, ne tricuspis per rectum intestinum, perinaeum, sine laesionis periculo, ad vesicam feratur, impediunt; ac optimo, *ad pubem*, hoc viscus perforavimus consilio. Qua vero nos lege cereolis, cathetere, tricuspide, his in casibus, uti conveniat, — qua denique ratione abscessus, fistulae perinaei, urethrae, tractandi sint, *Chirurgia* vos docet. Vix prius, ac dum jam nimis adoleverint, tumoris, et duritiei chronicae ad prostatam symptomata se produnt; vel accusantur ab aegris. Hinc raro, si unquam, auxilium a methodo (§. CXXXV.) exposita admittunt; nec unguenti mercurialis ad perinaeum, laudata a multis, inunctio, — nec interna, ex cicuta, mercurio, vel aliis, medicamenta nobis opem, in casu graviori, tulerunt. Plerumque tamen per vices invadit, et nova ex *phlogosi* augetur urinae, ex prostatae tumore, difficultas: quam saepe hirudines, linimentum volatile, perinaeo applicita juvarunt. Interdum a *spasmo* excitantur, et per vapores aromaticos, ex sella perforata perinaeo admissos, per clysterem emollientem cum opio injectum, vel per cataplasma anodynum perinaeo appositum, tepidumque per balneum, moderantur haec incommoda.

Quae feminam divexat, vel ex *acuta*, contagiosa (§. DXXIX.) descendens, vel aliis ex causis (§. DXXXIII.) oriunda, *insons medorrhoea* (§. DXXXII.); haec equidem vix aliâ, quam *chronica* quaevis, methodo generatim tractanda est: interim propiorem sibi mali istius, urbium apud incolas quotidie invalescentis, cura considerationem exposcit. Quae igitur occasionem huic foedo profluvio dederunt (§. DXXXIII.), ea sollicitudine vel maxima evitari, — atque num illud alterius, primariae, aegritudinis effectu, — num totius systematis conjuncto, num solo genitalium e vitio descendat, — num femina majorem cum hoc fluxu habitudinem jamjam contraxerit, inprimis discerni, — ac tandem, desumptis ex hac ipsa cognitione indicationibus, symptomatum, si urgeat, vehementiam, opportunis auxiliis frenari oportet.

Cum vero facilius praeveniri, quam, adultum, auferri queat hoc vitium; interest quamplurimum, ut cura parentum tenerioribus puellis, a prima pubertate, tum *menstruae* excretionis imminentis, tum pendentis ab ejus neglectu, vel a vivendi ratione perversa, *morbosi* profluvii matura suggeratur cognitio. A sola rerum, quae proprii conditionem sexus, ac valetudinem concernant, communi ignorantia, et a male intellecta multarum verecundia, quamplurimas virginum, mulierum, matrumque juniorum aegritudines, a primo principio neglectas, ac multum, priusquam paterent, adauctas fuisse, doluimus; nec earum, quae jam per annos non paucam, quin de morbo suspicionem formassent, vel eandem parentibus, medicis prodidissent, pituitam ex uteris stillaverint, nobis desunt exempla. In genere, nisi major in urbibus, quam sperare audeamus, sequioris in sexus physica et morali educatione mutatio succedat: — nisi matrum corpora futurarum *victu*, *vestitu*, *artuum exercitio*, sanitatis ad leges accommodatis, majori, quam solent, sollicitudine firmentur; — nisi nuptiae in civitatibus praematurae evitari, matrumque circa prolem alendam officia, ut ab ipsa natura, sic a legibus praescribi queant; — ac demum, nisi major illarum, quae cives Reipublicae donant, partus sub opere, cura apud omnes habeatur; — ars medica quidem amissam mulieribus hoc ex profluvio salutem hinc inde restituet; sed morbum tam late inter illas extensum, ac numero populorum tam infensum, praevenire, sola, non potest. A frequenti inprimis *pudendorum catarrho*, quem toties, frigus, illis, a subito forte igne calefactis, admissum inducit (§. DXXXIII.), et quo major cum profluvio habitudo in multis inducitur, feminae sibi caveant.

Quod si igitur vel morbus quicunque alius, vel totius laxitas, debilitas systematis, hoc profluvium induxerint, comitentur; tunc illa, quae his ipsis opposita sit, methodus, — sub majori autem fibrarum inertia, corticis inprimis, martialium, cibi nutrientis, vini, exercitii moderati, balneorum frigidorum usus, — ac, lenta si febris jam urgeat, elixir vitrioli, *localis* simul *affectionis* curationi praemittenda sunt. Nec prorsus ea, quae *interne* adhibentur, generali laxitati di-

cata, medicamina suos in ipsa genitalia effectus perpetuo recusant; sed vidimus feminam hoc a fluxu violenter vexatam, cui, quoties martis limaturam stomacho ingesserat, toties fluor illico, sub magna anxietate, suspendi, — usuque martis seposito, reverti consuevit. Rarum est, huic morbo *plethoram* pro causa subesse: ac si menstrui defectus frequenter eundem praecedat; ex eadem utrumque symptoma origine, locali scilicet ad uterum obstaculo, plerumque descendit. Hinc *raro*, si unquam, *venaesectio* feminam, *chronico* huic fluxui subjectam, non laedet. Nec minus ea, quae, ob serosi, mucosi humoris in sanguine redundantis insanam hypothesin, toties commendarunt, purgantia ventrem remedia, — tum ex eo, quod totius debilitatem, sensibilitatem adaugeant, — tum quod viscera pelvis stimulo contrario exagitent, cum damno praescribuntur. Si latens in ventriculo, intestinis, saburra haec exigere videatur; emeticum ex radice ipecacuanhae, vel rhabarbarum cum magnesia calcinata, juncto cinnamomo, praeferri merentur. Si vel sola cum magnesia, vel lapidibus cancrorum, vel aqua calcis, profluvii hoc genus aliquando exsiccatum fuisse legimus: id certe, symptomaticum, ex ventriculo, ab acida saburra vexato, hinc opportunam corpori nutritionem denegante, uterique secretionem per consensum turbante, originem potissimum traxisse, arbitramur. *Mercurius*, quem aliqui hîc morbi laudarunt, — si pro *purgante* alvum remedio aegrotis praebeatur: non minus, ac alia hujus classis medicamina, debilitatem praesentem adauget; — si, ob *mucosam*, ut supponunt, cruoris indolem, pro *incidente* remedio offeratur; ad hypothesis magis, quam verae indicationis ad leges, praescribitur. Si forsitan acre venereum, herpeticum, vel scrophulosa dispositio fluorem ex utero induxerint; aliquem subinde locum mercurius habebit.

Sed, vel universi debilitas systematis hunc morbum praecedat, comitetur, sequatur, — vel ex vitio genitalium locali hic pendeat; *externorum* ubique requiritur subsidium; ac ultimo in casu haec jam sola sufiiciunt. Temporis interim, quo feminam profluvium ex utero vexavit, — et contractae cum eodem *habitudinis*. rationem non parvam hîc haberi oportet; externaque re-

media, sub majori cautela, sensim sensimque, a mitioribus ad fortiora progrediendo, adhibenda sunt. Si alius, isque major forte, morbus a fluente ex utero pituita subsidium habuisset; incauta profluvii suppressio primariam facillime aegritudinem revocaret. Plura interim *habitudinis* ex legibus infractis, quam quod in aliam iniqua materies repulsa, deposita sit, partem, nascuntur, a suppresso hoc profluvio, salutis incommoda (§. DXXXIV.).

Primum, quod *externe* adhiberi mereatur, remedium, est *frigida*: qua, pro balneo locali genitalibus affusa, vel lumborum regioni aliquoties in die, a certa altitudine, instillata, ac simul ex syringe sat crassa, pluribusque foraminulis instructa, in vaginam injecta, puriformis, per stagnationem, locique calorem hîc corrupta materies eluitur; et nervorum inertia, et laxitas partium quam optime corriguntur. Sub majori pituitae acredine, foetore, *aqua calcis* vel sola, vel cum corticis peruviani decocto, frigide injecta, melius conducet. Sub magis diuturno ac rebelli profluvio, ad illas, quas in urethrae chronica medorrhoea, ex opio, saccharo saturni, vitriolo albo, commendavimus (§. DXLVI.), — sed, ob minorem vaginae, quam urethrae sensibilitatem, fortiores, injectiones (N. LXIX. LXX.) gradatim ascendimus; vel has ipsas, per spongiam marinam, coni inversi figura instructam, filoque munitam, — vel contortum, pessarii in modum, similique liquore imbutum linteum, aliquot per horas, vaginae, cujus simul prolapsum impediunt, committimus. Nec minus *suffimigia* ex thure, mastiche, aliisque rebus aromaticis, ad externa genitalia, vel simul per tubum, ne calor vaporis obsit, sat longum, ad vaginam directa, commendari merentur. *Equitatio* in multis, hoc sub morbo, egregie conducit; nec profluvium abinde, ut exspectari licuisset, augeri, sed manifeste imminui, intelleximus.

ORDO II. GENUS III.

GONORRHOEA.

---

§. DXLVII. *Definitio.*

A*medorrhoea* (§. DXVIII.), seminis humani morbosum profluvium, *gonorrhoeae* sub nomine, ob indolem prorsus ab ea diversam, consulto separamus. Est vero *gonorrhoea* fluxus seminis, vel analogi humoris, morbosus, vel *continuus*, ac stillatitius (*completus*); vel sine penis erectione perfecta, et a minori, vel a nullo libidinis stimulo *hinc inde* contingens (*incompletus*).

§. DXLVIII. *Morbi natura.*

Humorem in matura aetate ad testes secretum, ac per vasa deferentia in vesiculas seminales depositum, natura, pro speciei humanae propagatione, hoc non amplo receptaculo, futuros in usus, custodit; donec copia adauctus, et ex parte resorptus, genitales non modo nervos, sed et totum systema, vi magna exstimulet, atque animal humanum generationis ad opus invitet; vel ab illo, quibuscunque ex causis, huic stimulo resistente, sub insomniis, pro aetatis, constitutionis, vitae, ac morum ratione, saepius, aut rarius, *pollutionis nocturnae* sub nomine, expellatur. In *vigilante* interim, *sanoque* viro, si stimulos externos evitet, seminis, praeter voluntatem, perraro fit excretio: ac ut ista, in homine volente, naturae ad finem succedat; veretri erectio praecedat, et ad copulam foecundam praeparentur genitalia, necesse est. Nec in *dor-*

miente adeo homine frequentius, quam id seminis collecti copia inducat; hic liquor sub somni ludibriis disperditur; nisi aut victus succulentior, potus spirituosi sub vita otiosa ingesti, aut intimus cum sexu altero commercium, vel amor, vel obscenorum lectio librorum, imaginum lascivarum aspectus, libidinosa colloquia, mollisque in dorsum decubitus, naturam exstimulent. In *aegrotante* vero homine, vel dormiat, vel vigil sit, ob varias rationes, et in primis vel ob totius systematis nervosi, — vel ob specialem genitalium debilitatem, sensibilitatem, vel demum ob stimulum his partibus admotum, seminalis excretio liquoris constitutos a natura limites excedit; et cum insigni sanitatis detrimento, vel sub somno, vel, quod pejoris jam conditionis signum est, sub ipsis vigiliis, a causa minori, ac saltem sine debita penis erectione, aut et sine consuetae voluptatis sensu, contingit *pollutio.* Sed et altera existit, rarior longe illa, virorum conditio: cum semen dormientis non minus, quam vigilantis ex urethra, praeter omnem voluntatem non modo, sed et libidinis, voluptatis sine sensu, ac sine veretri erectione, distillat.

Sunt quidem, qui *vivi* semen viri, quod sponte in *cadavere* factum esse concedunt, sine sensu voluptatis ac tentigine, — vel, in dormientibus, sine animae ludibrio venereo, effluere negaverint: sed quamvis haec raro medicorum ad aures perveniant mysteria; duo tamen nobis ipsis jam pridem, quae contrarium ostendant, oblata sunt exempla: unum, juvenis, sed impotentis cum uxore dilecta, viri, qui suae culpam impotentiae, in seminis, sub somno, sine quovis, de quo sibi constaret, animi ludibrio, ac sine ulla voluptate effluentis, frequentem jacturam non immerito rejecit; — alterum, quod magis rarum est, viri, a prima juventute castissimi, ac, licet sexaginta jam annos numerantis, plurimo tamen semine dotati. Hic nempe, cum in aetate juvenili robustus, laute nutritus, et a quovis alio sibi stimulo venereo longe cavens in febrem malignam incidisse, ac in summo periculo versari, medico celeberrimo videretur: ea ipsa, qua mortem hic timuerat, nocte, *ter* semen copiose sub somno emisit, ac altera jam die sanitate perfecta gavisus est.

Cum vero hujus viri, jam senis, nobis commissa valetudo fuisset; frequenter in illius urinis, nisi semen hinc inde dormiens, a quo plurimum reficiebatur, perdidisset, hoc ipsum ad pollicis unius et majorem altitudinem in fundo vasis deteximus. Ex *prostata*, ut alii jusserunt, hunc album, seminique simillimum liquorem derivavimus: sed cum aliquando curru, saxosas per vias, celerrime ruditerque veheretur; sub medio cum nobis sermone, et cum certe nulla venereis de rebus cogitatio subesset, sibi lotium ex urethra praeter arbitrium fluxisse monens, id ipsum, quod effluxerat, *semen*, odore, colore, consistentia distincte nobis obtulit. Nil certe obest, quin, sub majori vesicularum seminalium *plenitudine*, vel sub *laxo* ostiolorum, quibus istae in urethram deplentur, *habitu*, vel sub praegressa foraminulorum excernentium *erosione*, sub nixu corporis fortiori, equitatu, hic liquor in urethram exprimatur.

Quid *femineo* in sexu humorem, sub coitu, non certe quovis, nec omni a femina, sed tamen a multis, sub optato congressu, profundi solitum constituat, — quam ille originem agnoscat; hoc, licet de re perquam communi agatur, hanc usque in diem sat certo non perspicimus. *Semen esse*, antiquitas, *ovaria* pro *testiculis* considerans, pronunciavit; recentiores, ex magnis rationibus, negarunt; sed, forsitan minori veritatis argumento, a muci, circa extimam vaginam, fontibus prodire dixerunt. Haec scilicet excretio, in multis, — copia, celeritate, et impetu majori, quam a cryptis mucosis repeti ut queat, contingit; nec humor expulsus tenacem, ut mucus, indolem ostendit. Augetur quidem et istius, sub coitu, per vaginam, secretio; sed quae sub iisdem, ac in viro, phaenomenis, per pauca momenta copiosius contingit, ea non minus in sexu sequiori, quam seminis in viris effusio, voluptatem ex coitu perceptam, oestrumque veneris promtissime exstinguit; vel, stimulo continuato, lentius, ut minime, succedit; vel, si frequentius provocetur, eadem, quam major in viris jactura seminis, laesae valetudinis incommoda (§. DXLIX.) producit. Haec denique, diversa a muco vaginae, materia, non minus semen virorum, sub somni ludibriis, sine quavis

genitalium irritatione externa, muliebri e sinu hinc inde profunditur; et commune nimis utrumque apud sexum masturbationis vitium, aequali in utroque successu, suscipitur, aequali demum salutis amissae poena castigatur. Frequentius in *equariis*, plurimarum equarum, num venerem appeterent, et ad conceptionem essent pronae, examini attente interfuimus. Uno hîc ab equo, plures ad venerem equas, ad mammas, genitalia, admoto capite, irritari, ac suam generationis ad opus promptitudinem, largissima liquoris flavescentis, pellucidi, ex genitalibus explosione significari, observavimus. Quod certe, in uno ex grandiorum classe animalium observatum, tam conspicuum, phaenomenon, quid in femina humana conceptionis sub opere contingat, sat clare manifestat.

Quod si vero, quae ad prolem generandam, utroque in sexu contingit, tam seminis virilis, quam humoris apud feminas analogi, excretio, vel a stimulis aequo minoribus, vel praeter arbitrium, tentiginem, suscitatur; tunc morbus, quem *gonorrhoeam* vocamus, oritur: cujus flebiles in ipsos non minus aegrotantes, quam in generis humani propagationem, effectus describere conabimur.

§. DXLIX. *Symptomata.* — *Tabes dorsalis.*

Non modo qui, praeter arbitrium, aut medio sub somno, aut vigiles, obscoenum liquorem e genitalibus, minori sub stimulo, deperdunt (§§. DXLVII. DXLVIII.); sed et illi, qui, necdum *gonorrhoea* laborantes, tamen ultra, quam aut aetas, aut vires permittant, venerem ardentius libidinosi colunt, aut semetipsos masturbant, juniores inprimis sponsi, uxores, immaturae aetatis pueri, puellae, aut senes tardiori matrimonio juniore cum femina juncti, ex nobilissimi, licet pauci, liquoris dispendio non minus, quam ex *convulsiva*, quae singulos coitus comitatur (§. CDLXVII.), et quam in ipsam epilepsiam transivisse, ex variis exemplis utroque in sexu captis, recordamur, totius systematis agitatione frequente, primum, viribus languentes, de flatibus, de stomachi infracto tenore, conqueruntur, pallescunt, ac pristinae formam elegantiae deponunt; capite gravantur, susur-

ıs aurium, aciem oculorum imminutam, animi moe-itiam, anxietatem, — sub motu suscepto, dyspnoeam ɔrdisque palpitationem accusant, tremunt manibus, cruribus vacillant. Interea febris haud adest, ac ci-ɔs sat avide assumunt; sed in corporis nutritionem ɔnverti, quotidie magis, magisque macilenti, non ntiunt.

Huc vero malorum cum ventum est, vel et illi, ui ex propria semen voluntate jam nimis sparse-ınt, aut cum uxore, aut soli, decumbant, cum ılpebras vix clauserint, mox, inprimis in dorsum tensi, ac lecto molliori cubantes, veneris sub somno dibria, ac novam seminis jacturam patiuntur. Jam ro, si novo concubitu id mali praevenire conten-ınt; se minus aptos ad coitum persentiunt, ac sae- sub dimidia, vel nulla, penis erectione, prius-uam sinum mulieris adire potuerint, — interdum m a solo feminae dilectae aspectu, vel, oblata rei scivae imagine, commemoratione, sponte liquorem minalem, sub exigua, aut fere nulla voluptate, nittunt, ac vera *gonorrhoea* laborant. Interdum, quod m divus medicinae *fundator* intellexit, cum urinam, ıt stercus reddunt, semen genitale copiosum et li-uidum profundunt. Ex *prostata* partem istius venire, ım ratione asseritur: sed magna, quae hoc proflu-um insequuntur, *debilitas*, nervosa symptomata; ea tis, nobiliorem hîc simul liquorem deperdi, et ex ırtium, quae hoc secernunt, violento et in longum ntinuato stimulo, secretionem seminis enormiter, et m totius interitu nutritionis, augeri, demonstrant. *ɔinalis* vero nervos *medullae* hîc magis, quam alios, c sub morbo vexari, tum formicarum, aut et fri-ris, ex collo, per columnae vertebralis longitudinem scendentium sensatio, tum lumbalium musculorum ajor, quam aliorum, ut spinae dorsi promineant, tenuatio, satis ostendunt, ac *tabis dorsalis* nomen, et aliam haec originem interdum, quam ex *venere*, noscat, non ineptum esse, confirmant. Non raro mmi ad caput, nucham, lumbos, vesicam, anum, lores hîc urgent; vidimusque, hoc ipso in *Clinico stituto*, juvenem, qui, *onaniae* ex crimine, tum ver-ine caduca, tum pedum tanta, ut eisdem insistere

non potuerit, debilitate, tum denique crurum, ad articulos inprimis, quin macies jam magna adfuisset, dolore vehemente laborabat. Alterum conspeximus, qui sub ipso onaniae delicto, cum terror accedens, spermatis omnimodam excretionem violenter cohibuisset, a dimidii corporis paralysi correptus fuit.

Quod si nunc malo, quotidie incrementum sumenti, obicem non ponant; *febris lenta* accedit, ac sub pulsu celeri, exili, pomeridiani horrores, rubores genarum, calores interni, urentes, sudores nocturni, colliquativi sequuntur; hebetes fatuique fiunt, cadaveris speciem ambulantis assumunt, vel corpore obstipo rigescunt; tument oedemate pedes; variae ad cutem maculae, vel pustulae, vel et ulcera nascuntur; oculi in profunda, et fere vacua orbita sepulti, coecutiunt; diarrhoea accedit, deciduntque capilli: et qui nimiam, plerumque vanam, sic aliis generandis operam dederunt; hi vitam, vel ipso juventutis sub flore, ephemeram, aut sponte efflant, aut manu violenta, suarum, quae tantis calamitatibus stipatae sunt, dierum pertaesi, concludunt. Non rarum est, epilepticas convulsiones hanc originem agnoscere: et qui sub fortioribus epilepsiae alterius insultibus frequentius polluuntur, — hi citius, non adeo primarium ob morbum, quam ex *tabe dorsali*, per seminis jacturam inducta, necantur. Nec fortissima animalia hoc funesto libidinis effrenis excipiuntur effectu; sed *equos mares*, summi pretii, qui sibi ipsis, sub violento lumborum motu, semen elicere solebant, in tabem eandem incidisse, ac perversae poenas voluptatis dedisse, memoria tenemus.

§. DL. *Causae.*

Variae ad *gonorrhoeam* (§§. DXLVII. DXLIX.) causae contribuunt. Nunc etenim *debilitas*, *sensibilitas morbosa*, *universalis*, nunc illa *genitalium* potissime, subesse observantur. *Convalescentes* hinc inde semen ex illa, sub somno, frequentius, quam sub ipsa sanitate, amittunt, ac vires deperditas difficilius recuperant. *Inedia*, *meditatio*, ac *studia profunda*, *moestitia*, non minus huc spectant: ut qui nimiis veneris cupiditates jejuniis animique intensis lucubrationibus, arcere conentur, nocturnae pollutionis causam

aepe longe adaugeant. Sed frequentius certe ipse *ve-eris abusus*, tam ob auctam systematis universi de-ilitatem, quam ob genitalium infractum robur, ac norbosam sensibilitatem, hunc morbum inducit. *De-ilitatem genitalium* majorem progenerant nimium ha-um partium in suis functionibus adimplendis exerci-um, stimulus continuus, sanguinis congestio, ac fre-uentior seminalium receptaculorum depletio; vel illa, uae istorum foraminulis excretoriis vim facere, ac adem laxare, erodere queunt. Hinc, amato objecto estituta, et vi solius phantasiae difficilius promo-enda, seminis per masturbationem expulsio; — hinc oitus, brevi temporis intervallo frequentius, quam atura exposcat, tentatus: sub quo sanguinem inter-um, loco spermatis, a viris libidinosis excretum fuis-:, docuit experientia; — hinc seminis violenta, sub osa ejaculatione, ob terrorem incussum, retentio; — istractio vesicularum seminalium ab hernia vesicae, imore scirrhoso, tum proprio, tum visceris adjacen-s; — spermatis collectio, in corpore laute nutrito, ec sibi satis a stimulis venereis cavente, nimia; — equentior plenarum vesicularum, sub nixu ad alvum eponendam fortiori, compressio; — equitatio diu-urna ac incommoda; — lapsus in perinaei regionem, it violens contusio; — sectio calculi praegressa; — equens urethrae, testiumque, sub medorrhoea acuta, ritatio, potissime huc spectant.

Sensibilitatem morbosam his in organis inducunt, im ea ipsa, quae robur istorum infringunt, tum in-rimis morbi urethrae, prostatae, vesicae, vaginae, eri, ovariorum, rectique intestini, praegressi, ac ite-im medorrhoea acuta, spasmus vesicae, calculi in ista, el in ipsis vesiculis seminalibus haerentes, drastica re-edia, vel diuretica, apud viros, fortiora, *aphrodisia-*, inprimis cantharides; acre quodcunque verendis lmotum, rheumaticum, arthriticum, herpeticum, ve-ereum, leprosum, semen ipsum varias ob causas irruptum; — vel quaevis his in partibus phlogosis, ll suppuratio, sub fistula ani, ulcus cancrosum, ve-ereum prostatae, colli vesicae, seminis excretionem, - nec semper per *urethram*, sed, quibus patet *via orbosa*, per loca, provocasse sunt visa. Sed vel ipsa

seminis, aequo frequentius excernendi infelix *consuetudo* saepe facit, ut, ad minus volumen reductae seminales vesiculae, vel pauco et aquoso á semine ad novas depletiones facilius stimulentur. Quin sollicita magis, quam corporis, maturi ac vegeti, vitaeque *socialis*, nec a victu lautiori, nec a sexus alterius consortio sibi satis caventis, conditio id suadeat; fuga veneris, in quibusdam a natura fervidioribus hominibus, pollutionis nocturnae ac nimiae causam largitur: ut *veneris morbosae* non raro ipsa *conjugali in venere* sit posita medela. Haec ipsa vero ex genitalis humoris abundantia descendens pollutio, si diutius continuet, in *habitualem* convertitur, et a causis non magnis in corporis detrimentum in dies frequentius succedit.

Sub majori vero, tam universi systematis, quam genitalium ipsorum debilitate, cum sensibilitatis incremento morboso conjuncta; vel sola imaginatio, vel longinquae adeo partis non summa irritatio, ad mirum frequenter pudenda consensum provocabunt. *Hydrophobia* enormes interdum erectiones, ac, unum intra diem, triginta pollutiones induxit. Apud viros literatos, hypochondriacos, nimis frequens subinde seminis jactura est. Jam sola de rebus venereis cogitatio, vel papillarum ad mammas irritatio, quibusdam ex sexu sequiori, genitalis secessum liquoris inducit. Ipsa purgantia medicamenta, quae in vesicam et urethram proprie non agunt, ob nervorum tamen communia principia, erectiones fecerunt. Temporalis ex musculi vulnere, pollutionis historia occurrit. Dum virgis caeduntur pueri jam puberes, non erectionem modo, sed et seminis jacturam aliquando patiuntur. Vel solus jam clyster, calidiori ex aqua injectus, pollutionem induxit. Ex colica spasmodica lethali, pollutio secuta est.

§. DLI. *Prognosis.*

Jam ex sola, quam hîc exposuimus, morbi historia (§. DXLIX.), ejusdem simul pericula sat clare elucent. Nulla quidem tam *aurea* fuit, quin temperantiae *amor* leges violaverit, *aetas*; sed multa sunt, in quae descendere, praescripta hîc vetat brevitas, et quae mores hominum ab antiquis discedere, ac unius, in

omnem quasi gregem, vitia proserpere fecerunt. Tam late scilicet, luxuriosas per urbes, per plurima, utriusque sexus proli alendae, educandae dicata hospitia, per integras virorum, mari terraque sine conjugis consortio viventium, societates, expansum *onaniae* vitium, quemadmodum a solis medicorum hortatu monitisque exstingui omne non potest; ita promptius a bonis legibus ac morum disciplina restitutis, quam ab arte salutari, auxilium exspectat. Innumera hoc ex fonte, in quavis Republica, ob deletam in prima juventute cum uxore coëundi potentiam, divortia, orbata prolibus conjugia, ac praematura civium funera quamplurima repetenda sunt. Quot non systematis nervosi vitia, convulsiones, epilepsiae, paralyses, hebetudines, amentiae, vitae taedia, — quot non haemoptyses, phthises, febres lentae ac hecticae, — quot non leucorrhoeae, uterique haemorrhagiae, prolapsus, ex hac unica obscoena scaturigine propullulant!... Quae morbi alterius symptoma est; ea prognosin illius fere sequitur, vel exacerbat, atque nunc facile, nunc vero difficulter superatur, gonorrhoea. Tristior est status viri, cui semen, vigilanti, ex pene non erecto, sed flaccido, effluit; tristissimus, si ulcus, aut fistula, quae auferri non possint, alienas huic fluido vias aperuerint. Ubi lenta jam febris hominem adurit, et in exhaustis a tenera juventute, vel longam per venerem corporibus, tam ipsa gonorrhoea, quam, socia huic morbo, coëundi, generandi impotentia, medelam vix non omnem recusant; ac in genere, provectior, vix unquam, — quae recens est, non facile, gonorrhoea curatur.

§. DLII. *Cura.*

Ex ipsa causarum (§. DL.) cognitione, hoc etiam in morbo, curationis petendae sunt regulae. Vel quovis in casu, quae totius systematis actionem paulo fortius incitare, ac sanguinis ad laxiora, sensibiliora genitalia affluxum augere queunt, potus generosi, aromatica, lasciviae incitamenta, decubitus in lecto molliori ac in dorsum, fugienda sunt. Subita et omnimoda consueto a concubitu abstinentia periculo non vacat. Qui nimio veneris ex cultu, cum somno indul-

gent, polluuntur; hos ex isto interdum de nocte expergefieri, — ac lotium, si possint, ut mittant, moneri oportet. Si stimulum praesentiant; tunc lectulum quantocyus deserendo, pollutionem non raro avertent. Cui sub somno ex pene erecto semen effluere consuevit; huic, ut a primo erectionis molimine evigilet, suspensorio et scrotum et coles simul munienda sunt.

Pollutiones nocturnae ac nimiae, ex seminis, aut analogi apud feminam liquoris *abundantia* oriundae, non aliter, ut diximus (§. DL), quam veneris salutaris prudenti concesso usu domantur. Interdum victus tenuior, vegetabilis, corporis exercitium ac labor, vini, et rerum, quae stimulum genitalibus addunt, evitatio, in plethoricis venaesectio, jacturam moderabunt; sed pauci sanitatis particulam majoris, cum auxilio, quod optimam, in dubiam, aut pejorem convertat valetudinem, nubere si possint, lubenter rescindent; ac saepe, ex certa organi fertilioris constructione pendens abundantior secretio, a quovis artis, nisi noxio, molimine, sibi leges imponi haud sinit.

Quae vero nocturnae, diurnae, pollutiones, gonorrhoeae, *debilitatem* pro causa agnoscunt; has victus facilis, sed nutriens, parva, saepius, portione, ex carne tenera, succosa, — cancrorum, testudinum, ranarum jusculis non calidis, cum ovo, — ex amygdalis, *choccolode*, ut vocant, ex recentibus, ac paucis aliis vegetabilibus, farinaceis porrigendus, — potus ex frigida, cum vini generosi non magna quantitate, — motus corporis, pro viribus, in aëre sereno, nec frigido nimis, nec calido, susceptus, — frictiones cum pannis asperis, fumo aromatico imbutis, — cauta, genitalia ne irritet, equitatio, — amica proprio cum sexu, consortia, non parum moderabunt. Evacuatio hîc quaevis, nisi aliae sat fortes rationes hanc exigant, evitanda; sed simul quae roborent, cautissime, ne stimulum augendo, fluxum seminis mox revocent, longo tempore adhibenda sunt.

Peruvianus hinc *cortex* cum aqua decoctus, emulsione arabica, et aquae cinnamomi portione superadditis, egregia hîc praestat. *Aquarum* usus *mineralium*, ob validam in urinis pellendis potentiam, non satis tutus apud omnes videtur; et facile *martis tinctura*

m succo pomorum parata, vino martiali, suppletur.
el et ferrum in pulvere, cum cortice cinnamomi ac
ccharo porrectum, conducet. *Spadanae* interim non
ro hîc cum fructu, vel solae, vel lacte remistae,
rriguntur. Ex *balsamicis*, nisi obsint, hîc parum
spectamus auxilii. *Adstringentia* interne porrecta,
m in *chronica medorrhoea* rarius fluxum cohibuisse
t visa, parum quoque aut nihil in testes ac vesi-
las seminales operari viderentur: interim, cum major
nul totius systematis hoc in morbo, quam in quavis
bituali medorrhoea, debilitas occurrat; adstringentia
i manu porrecta, qua ipse cortex et ferrum virtute
osunt, interdum conducent. Potissimam hîc laudem
eretur *frigida*, corpori, lumbis, perinaeo, genitali-
s ipsis, brevi tempore, ac saepius adspersa, vel per
steres hinc inde, sed pauca quantitate, in rectum
estinum injecta. Apud feminas, nisi jam nimis hac
parte irritabiles, frigidae per vaginam injectio sua-
nda est. Sub corporis non jam extrema debilitate,
lnea, ac tandem natationes in frigida, conveniunt.
d cum tanta in aegrotis, per seminis jacturam
naustis, *sensibilitas* hîc urgeat; *opium* a multis hoc
morbo laudari, rejici ab aliis, videmus. Non raro
c genus remedii, ob stimulum, quem prima actione
lucit, ob lasciviae imagines, quae in praedispositis
ocat, non minus, quam ob virium inertiam, quam,
cessante, relinquit, cum damno porrigetur: sed
emadmodum in penis, sub *acuta medorrhoea*, ere-
one. curvatura violenta (§. DXXXVII.), sub testium
nore symptomatico (§. DXXXIX.), insignes *opium*
tutes praestitisse est visum; sic quoque sub isto
rbosae sensibilitatis ad genitalia effectu, inprimis
clysteres ex frigida, vaginae, vel ano injectum,
n minora aegrotis beneficia praestabit.

Primorum vero medicorum consilio, *lactis*, in go-
rrhoea et tabe dorsali, usus non immerito commen-
ur. Hoc igitur tam ad victum, quam alia ratione,
copia debili et in acidum coagulum proclivi a
macho perfertur, inprimis cum latens *acredo* geni-
a exstimulet, concedi, — ac *humanum*, ex ipsis, nisi
nulus, apud viros timendus, hoc vetet, uberibus
i, vel mulsum recenter ex capris, aut vaccis, quod

magis lacte asinino, tenuiori, hoc nutriat, praeberi cum fructu potest. Si flatus, pondus ad ventriculum, ructusve acidi sequantur; *lac* illico suspendi, ac post sedatas cum magnesia calcinata, et rhabarbari pauxillo, turbas, iterum, cum aqua calcis, vel *spadana* remistum, tentari, — si vero facilius ab aegroto perferri non queat, in totum seponi, meretur.

Si forsitan *mechanicam* gonorrhoea, ex calculo, fistula, tumore, ulcere cancroso, agnoscat originem; nisi aliquod interdum *Chirurgia* hîc offerat, nullum *Medicina* hîc suggerit consilium.

ORDO II. GENUS IV.

GALACTIRRHOEA.



§. DLIII. *Secretio lactis: — in gravidis, — in puerperis.*

Duplicem vitae fontem natura pusioni humano maternum ad pectus aperuit; et magna *chyli*, haud plurimum mutati, copia has vastas per glandulas quotidie, genitricis sine damno, in filium transfunditur. Per longam annorum seriem, vix alia, quam ipso *virili* in sexu, hujus mirae scaturiginis vestigia comparent; ac puellis non magis, quam pueris, vix utero exclusis, mamillae hinc inde rubent, calent, dolent, ac tumidae serosum liquorem profundunt. Quod si *virgines* intactas, vel ex morbo, vel uberum suctione praemissa, *lac verum* dedisse, experientia aliquando docuerit; id et pinguibus laxisque *viris*, quin *vetulis*, et mulieri, quae *ulcus*, aut *molam* in utero gerebat, aut cui *menstrua suppressa* fuerunt, ex mammis sat abunde stillasse, docet eadem rerum magistra. Sed ab aetatis *duodecimo* fere anno, in quibusdam celerius, sepultae hucusque glandulae ex virginis thorace assurgunt, protuberant, et globosam firmamque in molem adauctae, tardioris uteri cruentum tributum exspectant. Hoc tandem soluto, per *triginta* vix non annos, functionis subeundae promptitudinem in virgine, perpetuo *arentes*, mirifice conservant: ac suum

cum utero consensum *periodice* non modo, turgentes, dolentes, ostendunt; sed et sanguinem hinc inde, cui transitus per uterum, forte morbo correptum, negatur, easdem ad leges transmittunt.

Sed utero, vix humano ac foecundo a semine irrigato, mammae, post *primos* jam menses, in aliis, a quinto ad sextum, a sero, vel sat denso interdum a lacte, duriores volumine increscunt, tenduntur ac dolent; vel in illis, quae partum jam expertae sunt, secretum non raro liquorem sponte effundunt. Est tamen, ubi aliter res accidit: et vidimus mulierem, cui mammae, cum gravida *non* esset, continuo, ad novam usque conceptionem, lac multum fundebant; quando primum vero utero conceperat, lac omne disparere solebat. Quo partui vicinior est gravida; eo moles mammarum, et serosi humoris secretio magis magisque augentur.

Excluso foetu, natura foecundi curam uteri gerit: vasa prius extensa, dilatata, retrahit, coarctat, exprimit, emungit; affluxum sanguinis superflui avertit, ac minores, vasorum hujus torrenti, diametros opponit; unde, excreto, qui *lochiorum* sub nomine venit, sanguinolento, partusque reliquiis remisto humore, *tertia* fere, aut *quarta* etiam die, magnum jam opus quodammodo absolvit, uterumque, ad illum saltem statum, quo major arteriis praepotentibus resistentia opponatur, reduxit. Novae hinc sanguini leges imponuntur; neque sine omni, tum uteri, tum universi systematis turba, hoc opus absolvitur. In illo scilicet, excretio saniosi liquidi per breve tempus quodammodo languet; tensionis, plenitudinis sensus in pelvi percipitur; — in hoc, motus febriles insurgunt: levis, et sub cute quasi repens, aut per columnam vertebralem descendens horripilatio puerperam corripit; hanc sequitur calor auctus, facies accenditur, caput dolet, sitis accedit, pulsus frequentia, plenitudine augentur, inquietudo cum insomniis turbulentis, pectoris quaedam angustia, dolor glandularum axillarium, brachiorum movendorum difficultas, molestant mulierem: cujus ubera magis nunc assurgunt, tenduntur, dolent, ac seri albescentis majori secretioni indulgent. Sudores, acescentem spirantes odorem, copiosi erumpunt;

et post unam alteramve diem, his motibus a natura mpensam, *lochia* demum quidquam augentur; sed serosa, mucosa magis, et albida, et puriformia sistuntur, continuantque in illis, quae mammas puero sugendas praebent, per *quindecim fere dies*; in illis vero, quae hoc fungi officio aut non possunt, aut fungi, in filium crudeles, recusant, per *sex* aliquando, et ultra, *hebdomadas*. Hanc igitur *febrim*, ex solo mammarum turgentium, dolentium, ac lactis nunc aucti phaenomeno, *lacteam* medici dixerunt. Interim hanc ipsam uberum, jam prius ac febris illa accedat, lacteo humore plenorum, affectionem, *symptoma* potius laborantis adhuc, vulnerati quasi, ac sese depurantis uteri sistere, ex statu *virginum*, quibus menstrua parantur, et quibus tunc ubera turgere, sororiari, dolere, ac febrilia interdum symptomata subnasci observamus, manifeste docemur. Nec enim id solam *lactis secretionem* tot motus excitari dicemus: cum nulla sit, quae febrim, tantasque turbas sibi exigat, secretio. Certe, quod in gravidis ad mammas *aperitur*, — id sine stimulo insigni perficitur, secretionis sat amplae in multis negotium; nec sub ipsa mammarum sat magna, alio feminae sub statu exorta, inflammatio, aequalia, per universum systema, symptomata, quam in puerpera *ex utero* succedunt, inducit. Quod si febris, quam *lacteam* vocarunt, majorem ad gradum ascendat, neque lochia restituantur; non adeo in *mammarum* aegritudinem, quam in *metritidem* (§. CCXXIII.), aut in *puerperalem peritonitidem* (§. CCXVII.), illa mutatur; ac saepe, vano *febris lacteae* sub titulo, utriusque morbi primordia, a medicis neglecta, in funestam puerperis febrim converti cernuntur. Si major *febris lactea* in illis esse dicatur, quae robusto ac bene nutrito corpore incedunt: hoc non adeo ex lactis copia majore, quam haec ipsa major secretio, ex fortiori uteri in mammas actione, et ex lege stimuli intensioris repetendum est.

Utero humano a suis post partum recrementis, par superficialem quasi phlogosin ac febrem, quam *uterinam ephemeram* dicere, quam *lacteam*, mallemus, repurgato; et ubera, modo puero ad sugendum por-

recta, tensionem, sensibilitatem majorem deponunt, atque lactis in dies copia, albedo, dulcedo, augentur. Manifestus primae *suctionis* ex mammis est in uterum depurandum, ut alibi (§. CDLXVII.) jam monuimus, effectus; atque sub quavis papillae sensilissimae tractatione, reliquas ex partu materno in sinu materias abundantius fluxisse, a feminis percepimus. Hoc etiam beneficio, quae integras sese filiis matres non sistunt, aut quae suos lactitare non possunt, genitrices privantur: sed quamvis post paucas jam dies, chyli ad mammas torrentem, sub variis, et alibi dicendis, periculis divertant; per longos tamen menses, vel etiam plurimos per annos, lactis portio aliqua in uberibus detegitur. Quae vero mammas puero sugendas offert, vel mater, vel nutrix; ea, modo satis nutriatur, nec totius, aut organi secernentis, vitio laboret, lactis quantitatem, quae proli, etiam *gemellae*, aliis sine cibis, donec dentes, his quodammodo subigendis idonei, proruperint, nutriendae sufficiat, quotidie suppeditat. Non paucae adeo nutrices, praeter illam, quam pueri, ad plenam usque satietatem, suxerunt, lactis portionem, aliam, sat magnam, sponte ex uberibus pluentem, deperdunt; sunt aliae, quae, alteram jam prolem in utero gerentes, primam, saepe sine damno illius, plures per menses, lactitarunt; — aliae, quae, forti sub febre constitutae, dilectum tamen filium tenero a sinu repellere nolentes, lac, a morbo nequaquam infectum, aridas sitientis in fauces, cum insigni charitate, continuo stillarunt. Nec paucas certe matres, quibus ubera primo a partu, ad secundum, vel tertium, lacte, interdum sat multo, nunquam caruerint, conspeximus; et sic per annos in multis tam copiosa nutrientis principii ex uberibus, quin morbum inducat, excretio continuat.

§. DLIV. *Morbosa secretio.*

Sed aliter in aliis res utique succedit. Vel enim longiori temporis, quam par est, intervallo lactatio protrahatur; — vel plures nutrix pueros simul alendos assumat; — vel a natura, nimio labore, necessariae nutritionis defectu, jam debilis et viribus exhausta, vel aetate nimis tenera, et proprii incrementi

necessario sub opere, hoc sibi onus imponat; — vel morbo diuturno, ac certa in phthisin pulmonalem dispositione affecta, huic se officio accingat; — vel partus partum nimis rapide, quin lactatio celeriorem, ut solet, conceptionem retardet, sequatur; — vel demum major, quam par est, chyli, nutrientis principii copia quotidie per ubera praecipitet: in quovis certe casu, lactatio lentum materno corpori ex inanitate interitum praeparabit.

§. DLV. *Definitio.*

Morbum vero ex lactis redundantia et profusione, cum tabe, seu corporis materni atrophia, productum, *galactirrhoeam* vocamus.

§. DLVI. *Divisio.*

Latiori tamen sensu hoc nomine, quam scholae quidem solent, hîc utemur: nec modo consueta majorem ex uberibus secretionem, et sequentem ex ista, nutritionis jacturam, — sed quodvis lacteum ex mammis, quod corpus nutricis, propriarum sine virium notabili consumptione, perferre haud possit, profluvium, *galactirrhoeam*, — illinc *completam*, — hîc *incompletam*, dicemus. *Lac verum*, aliis interdum ex partibus, quam per uberum papillas, profluxisse, nisi *chylum*, sine quavis in corpore mammarum praeparatione, pro *lacte*, sine magno rationis fundamento, declarare velimus, quod genus profluvii *galactirrhoeam*, *erroneam* vocarunt, non facile admittimus. *Chylum* per horas in sanguine, haud multum sua ab indole mutatum, fluxisse, frequenter nos ipsi intelleximus. Sanguinem emissum fere *album*, prae rubro, colorem habuisse; — similem humorem, ptyalismi sub forma, per salivam, sub specie sudoris, ex oculis, umbilico, aliisque ex partibus distillasse, medicorum non paucae observationes testantur. Sed quamvis *lac* e mammis resorptum, donec in sanguinem convertatur, hoc nomine venire, nil obsit; vix tamen ex solo effluentis materiae *colore*, vel ex aliqua in caeteris cum *lacte* similitudine, *lac verum* stillasse, aut *lacteam* in parte *metastasin* subesse, cum aliqua certitudine asseritur (§. CCXIX.). Interim non exiguam, *galactirrhoeam ve-*

ram inter ac ipsum *diabeten*, affinitatem agnoscimus; ac forsitan non tam *lactis* ipsius, quam *principii nutrientis* major, quam par est, contenta in lacte mulierum quarundam, copia, *atrophiae*, ex moderata licet pueri suctione venientis, est causa. Quem alii viderunt, *diabetes chylosus* (§. CDLXXX.), aut *fluxus per renes coeliacus*, ut varii dixerunt; is certe cum ipsa *galactirrhoea* haud parum conspirat: in hoc tamen, praeter locum originis, diversus: — quod particulae nutrientes, ex lege naturae, gravidarum puerperarumque mammas pertranseant, et ex causis plerumque minus obscuris, earum copia naturalem excedat.

§. DLVII. *Symptomata.*

Non *humana* modo femina, sed universa animalium classis *mammalium*, huic morbo subjecta esse videtur. Frequenter *vaccae*, ob summam lactis, quam sub victu eodem, prae sociis, quotidie largiuntur, quantitatem, *atrophicae* redduntur; ac talem nuper vidimus, quae, in caeteris sanissima, et pabulo permulto nutrita, vel hoc solo, quod omnes ejusdem stabuli vaccas fere tertia lactis optimi parte superaret, ad insignem prorsus maciem reducta fuit.

Galactirrhoeae symptomata, ab illis, quae tabem, ex humorum jactura lenta, quamcunque aliam (§§. CDLXXV. CDLXXXIII. DXVI. DXLVI. DLII.) circumdant, haud differunt. Si vera lactis redundantia hunc morbum producat; tunc niveus hic, et nutriens prae aliis liquor, vel sine praemissa papillarum suctione, copiose ex uberibus, post paucas a pastu horas, effunditur sponte; ac plurima, quae mammis apponit mulier, lintea perenni hoc fonte profundius humectat. Vel sub lactis non tam insigni profluvio, cum nutrientis in corpore materiae defectus nutricem premat, aut alia, ex dictis (§. DLIV.), ratio praecesserit, majorem femina ex quavis pueri suctione debilitatem persentit. Sub ciborum desiderio et victu majoribus, macies quotidie increscit; debilitas a quovis corporis exercitio major, cordis palpitatio dyspnoea, tussis sicca, facies pallida, ad genas rubella, comparent. Hucusque febris a pulsu non proditur; sed aliquam temporis post moram, appetitus ciborum deletur: accedunt nauseae,

ymptomata nervosa, cephalaea insignis, — tussis incre-
cit, ac meridianas ad horas, praevio subinde hor-
ore, calor levis excitatur, et sitis major; dolent artus
e dorsum, debilitas quotidie augetur: quam sudor
uecedens nocturnus graviorem mox reddit. Jam dolor
horacis, vel sterni, sub tussi, dyspnoea, vel brachio-
um sub motu, punctorius, — pulsusque duriores,
eleres, sed parvi, — haemophtysis ipsa, ac plurima af-
ecti pulmonis indicia, sputum purulentum, tabes aper-
ı, colliquativi sudores, vel alvi fluxus, lipothymiae,
equuntur. Sanguinis copiose ex mammis ruentis, ac
quidi assumpti nec quidquam mutati, ex uberibus pro-
ısi, descripta ab aliis, exempla non vidimus.

§. DLVIII. *Causae.*

Galactirrhoeae completae (§. DLVI.) causa, vel ex
sa profluentis principii nutrientis jactura pernoscitur.
ed quid omnem quasi *chylum* mulieris e sanguine,
l ubera, quasi sola, perducat; id, nisi fortior pueri
idioris, et jam nimis adulti *suctio* illustret, non fa-
e videmus. Nimia forsitan mammarum sensibilitas,
bilitas localis, aliquid contribuit; sed novimus plu-
s; ex *vacca* bonae indolis, filias, lac aeque copio-
m ac pingue dedisse; alias, non absimili *haereditate*,
b optimo licet pabulo, nec dimidiam quidem lactis,
n optimi, quantitatem concessisse. Nec in femina
mana, id aliter succedere, sed, familiae quasi jure,
ammae lac paucum, aut multum secernere videntur.
sa forsitan matrum, proles ab uberibus arcendi, aut
gulas lacte proprio nutriendi, *consuetudo*, in filias
ionem exercet. Nullius fere partis tanta, diversos
er Populos, quam *uberum*, occurrit diversitas: et
amvis ipsius ratio *vestitus* quamplurimum huc fa-
t; sunt tamen integrae, in quibus ubera feminas
multum exornent, — aliae, in quibus mammae,
vestitu licet iniquo, insignem ob molem, defor-
s has reddant, provinciae. Sed cum *pinguiora*,
tis non plurimum secretioni favere, ubera sciamus;
sitan, uno eodemque istorum sub volumine, non
ius, quam ex pabuli diversitate apud *vaccas*, me-
rem, pro lactis copia, nutriendi virtute majori,
tae regiones, quam aliae, cibum largiuntur; nec

omnia, quae caeterum satis nutriunt, — sed certa inprimis fercula, quod *nutrices* bene, — sed medici, has in res parum attenti, oscitanter nimis, distinguunt, augendo vel maxime lacti conducunt. Istorum hinc defectus, — crescentes, sub aucto indies labore, matrum rusticarum inediae, — protractum apud istas, ex novae prolis metu, aut praesentis amore, lactationis, ad pueri jam loquentis aetatem, officium, — lucri, apud *nutrices* pretio conductas, vel plures, vel diutius quam possint, filios nutrientes, cupido, potissimas tabis, ex lactei humoris jactura oriundae, causas nobis offerunt. *Incompletae* causas *galactirrhoeae*, morbi praesentes, praegressi, ac nota corporis dispositio, interdum satis indicant; sed frequentius rationem, cur pauco a lacte pueris concesso, tam magna in multis debilitas ac macies sequantur, — hanc, ut alias morborum causas permultas, nimis ignoramus.

§. DLIX. *Cura.*

Omissis *prognoseos*, quae ex dictis (§§. DLIV. DLVII. DLVIII.) jam satis elucent, momentis; ad ea, quae galactirrhoeam sanent, accedimus. Nec tamen magna circa methodum huic malo opportunam dubia nos prement; sed quivis, prolem ab uberibus quantocyus removendam esse, vel sponte concludet. Est tamen et hoc in consilio, ne tam largam secretionem praecipitanter supprimamus, prudentis cautelae, et alicujus in separando a matre alumno cunctationis necessitas. Major quidem exhaustae nutricis debilitas, ut alia in tabe, alimenta nutriente principio ditiora expetere videtur; sed vix talibus mulieri concessis, — qui sanguinem intravit, mox per ubera chylus praecipitat; atque hinc aliquam prius remoram huic poni, atque largiores cibos, donec profluvium per mammas moderari potuerit, suspendi necesse est. Nimium has ad glandulas affluxum varia infringunt; sed ne plenis, et a lacte turgentibus mammis indiscriminatim admoveantur, vetat facilis contenti lactis has ad partes stagnatio, ac in coagulum proclivitas; vetant varia, ex cohibita celerius tam insigni secretione, timenda incommoda. Vidimus puerperam, quae, puerum lactitare recusans, ob insignem, a lacte, mammarum tumorem

vaporem aromaticum iisdem adhibuit. Jam altera die, ubera collapsa, — sed cruris dextri simul enormem, albissimumque tumorem, dolores atroces, per mensem et ultra extensos, observavimus. Hinc uberibus prius ab alumno depletis, ac tempore a cibis assumptis magis remoto, externa, quae chyli affluxum infringant, adhibenda sunt remedia. Tunc scilicet cum tepido vini spiritu mammae lavari, mox vero panno ex lana, vel emplastro diachylo obtegi, et per fasciam, ne pendeant, ex collo, firmari queunt. Interea omnis brachiorum motus a muliere evitandus, pedes aliquoties in die tepidae immittendi, — ac aliae, quae minus debilitent, secretiones moderate augendae sunt. Huc *urinae* inprimis, ac *sudoris* pertinet excretio: quam potu infusi salviae, sambuci aquoso ac tepido, vel haustu salino, vel sale medio, ad eam quantitatem, ne alvum nimis moveat, porrectis, impetramus.

Postquam sic et puerum gradatim ab uberibus removimus, et nimium chyli ex cibis ingestis ad mammas impulsum, et lactis spontaneum ex istis dispendium frenavimus; ad ea, quae vires nutricis restaurent, nutrientia, corroborantia remedia, sensim sensimque, secundum regulas jam alibi (§§. CDLXXV. CDLXXXIII. DXVI. DXLVI. DLII.) expositas, ascendimus. Hinc peruviani inprimis corticis decoctum, infusum frigidum, martialia medicamenta, — sub febris vero lentae praesentia, elixir vitrioli, aër purus, serenus, potissimum auxilium suppeditant. A venaesectionibus, licet tussis, dyspnoea ac dolor punctorius accedant, hîc prorsus, nisi *verae* inflammationis signa compareant, abstinendum, et ad aquas *selteranas*, aut similes, cum lacte remistas, ad emulsionem arabicam, ad vesicans emplastrum loco dolenti, quin suppurationem hîc inducat, applicandum, — ad opium, noctis tempore, nisi maximus hoc sudor impediat, porrigendum, veniendum est. Interdum gummi myrrhae, cum sale martis et cortice chinae (N. LXXI.) porrectum hîc profuit. Si ulcus pulmonis his pectoris symptomatis, et tabi, ut causa, simul subfuerit; nec ista, nec alia quaecunque, vitam servabunt remedia.

De profluviis *purulentis* loquendi, hîc locus esse, videri quidem posset; sed, praeter illud, quod pars

plurima eorum, ad *chirurgicae* magis forum *scientiae* pertineat; aliorum, *pyorrhoeae* praemittenda, cognitio morborum, — ne ordini Naturae, cum *nosologis*, violentiam faceremus, nos pauca, quae his de fluxibus dicenda sunt, alia in loca transferre induxit.

LIBER V.

DE PROFLUVIIS

PARS II.

LECTORIBUS

JO. P. FRANK

Provecto et adulto jam operi denuo praefari, tum patii eidem interpositi, tum temporum conditio jubet. Ac primo quidem cum *Bacone Verulamio* dicamus: *Non ullam aut vim, aut insidias hominum judiciis fecimus aut paramus; verum eos ad res ipsas, et rerum foedera adducimus; ut ipsi videant, quid habeant, quid arguant, quid addant, atque in commune conferant. Nos autem, si qua in re vel male credidimus, vel obdormivimus, et minus attendimus, vel defecimus in via, et inquisitionem abrupimus; nihilominus iis modis, res nudas et apertas exhibemus, ut errores nostri, antequam scientiae massam altius inficiant, notari et separari possint; atque etiam ut facilis, et expedita sit laborum nostrorum continuatio. Atque hoc modo, inter empiricam et rationalem facultatem (quarum morosa et inauspicata divortia et repudia, omnia in humana familia turbavere) conjugium verum et legitimum, in perpetuum, nos firmasse existimamus* « (*.

Si quis porro vitae nostrae anteactae, et officiorum, i diversis Europae regionibus nobis impositorum, ra- iones, partim jam alibi **) *expositas, aequo animo*

*) In Biographia propria.
**) De Statu Scientiar. Praefatio.

perpenderit, *condonabit is certe, mentem tot aliis laboribus distractam, oppressam, ab opere incepto hucusque deflexisse. Fieri vero aliter haud potuit, quin a tempore, quo prima istius volumina in lucem prodierunt, fata res medica experta sit varia; et quin meliora passim in ea innotuerint: quorum partem nos ipsi, saltem aliquam, habuimus, discipulis, — quin unquam nostra nobis vindicare contenderimus, commissam: ut igitur* horatianum *illud praeceptum, quo* nonum opus premi in annum *jubetur, in re quavis alia, quam* poetica, *ad ipsius* gloriam *scriptoris, minus, quam ad scientiae, quam alios perfectiorem ille docuit, promptius incrementum conferre dicendum sit. Quam nos quondam opinionem de* novo medicinae systemate, *inter ultimum, ac praesens hujus operis volumen, per omnem fere Europam expanso, exposuimus,* *) *eam ultro profitentes, cur nominum a recentioribus civitate donatorum usum hic fecerimus, dicendum nihil habemus. Aptiora illa sunt pristinis; sed quod primas et incognitas eheu multorum morborum causas haud satis attingant, certe non aptissima.* Pathologiae *sic dictae* humorali, — *minus quidem ac nostrae aetatis plerique alii, sed magis adhuc quam justum fuisset, quondam adhaesimus. Etsi vero illam penitus ex medicina excludendam esse nec nunc quidem arbitremur; plures tamen de multiplici* humorum acrimonia *hypotheses, utpote non satis firmas, hoc in libro evitandas esse censuimus. Sic etiam, cum* febrium divisionem *aequo simpliciorem nos quondam dedisse eximii quidam viri edixerint; tantum abest ut in eo quidem argumento nos peccasse judicemus, ut illas, saltem continuas primarias, quotquot existunt, ad genera modo duo, sic ut intermittentes quoque, reduci posse existimemus.*

Auditorum quondam nostrorum aliqui, suspensi diu hujus laboris continuationem in semetipsos suscipere voluerunt. Quo jure et quo demum successu id praestiterint, alii dijudicent. Jam octo fere per lustra in amplo artis medicae exercitio diversos inter populos constituti, de

*) In praefatione ad Josephi Frank. rat. Instit. clinici Ticinensis.

oc tamen argumento tam arduo, — quod juventuti es facilis videtur, nos ipsi magis magisque scribere eremur. Quod interim inchoavimus, hoc, quidquid eo sit, modo vires et officiorum ratio id praestare oncedant, nos ipsi terminabimus opus.

Caeterum, si quem hoc in libro scriptionis inaequalitas et incompta dicendi ratio offendat; is, partem illius fere mediam, undecim retro ab annis, in alia, — *alteram, in* Germania, — *ultimam vero,* ossiae, *favente bonis litteris, in Imperio, filo sermonis frequenter intercepto, compositam fuisse intelligat.*

Dabam Petroburgi, mense novembris

A. 1805.

CLASSIS QUINTA

PROFLUVIA

ORDO III.

PROFLUVIA CRUENTA

DE MORBIS VASORUM SANGUINEORUM, ET DE PROFLUVIIS CRUENTIS IN GENERE.

§. DLX. *Transitio.*

Profluviorum naturam et causas generales contemplati jam sumus (§§. CDLXIV — CDLXIX), nec esset, cur ea, quae *fluxus cruentos*, quos nunc speciatim considerandos adgredimur, concernunt, universali dictione complecti vellemus; sed tanta est purpurei humoris ex ingestis in animalem jam protinus naturam conversi prae aliis nobilitas, ac tantae ex notabili et repentina ejusdem jactura hominem aerumnae exspectant: ut altera hujus maximi in re medica argumenti hîc facta commemoratio, tum illorum, quae de *serosis mucorisque profluviis* jam diximus (Lib. V. P. I.) intelligentiam promovere, — tum rerum, quas dicendas assumimus, et quas proxime futuro, *de Retentionibus*, *Libro* referemus, clariorem in omnibus suppeditare imaginem debeat.

§. DLXI. *Sanguis. — Pars sanguinis rubra; — serosa; — Mucosa et lymphatica. — Moles sanguinis universi.*

Hoc silicet vitali ac perenni ex fonte, singuli, ex captis lymphaticorum ostiis, rivuli animales ubertim

hauriunt; — ad hunc, omnes, nec absorbentium genere excepto, ut communem in alveum, festinant, ac advecti liquoris in ipsum cruorem conversionem sollicitant. Hic *cruor* est, qui, omnes inter animalis humores, fibras cordis motrices potentius exstimulat, contractionem hujus visceris, quovis novo sub impulsu, novas, ac facto impulsui aequales, impetrat; et solo vasorum sui luminis imperio plerumque contentus, massae liquidorum totius per vasa minora circulum vel maxime secundat, vasorum libertatem, dimensiones, reciproca commercia, et quae ab istis potissime pendent, secretiones, excretiones sustentat. Nec tamen hujus miri indoles fluidi vel a longe quidem perspicitur. Pluribus, ac variis, quos deinde parturit, liquoribus praegnans, modo unam, ac fere similem ubique undam constituit; nec tam diversam, quam creditur, in diversis calidae naturae animalibus (ut *transfusionis* non infelix in multis eventus docuit) indolem manifestat. Sed quaecunque per ostia praecipitet, *commistos* sibi tenuioris naturae humores simul secum rapit, ab istis, subtiliore vasorum systemate detentis, per canalium angustiam aversum, non ipsum in fugam abripitur, suis tamen principiis orbatur, flumen rubicundum. Cum vero mucosi, lymphatici, — vel subtractis tenuioribus, vel pigrius propulsi, humores facile spissescant; sanguis, — vel suis ex alveis, sat multus effuxerit, — vel propriis serosi humores ex vasculis aufugerint, vel, cordis, arteriarum culpa debiliorum, lentius ille decurrat, — nisi *quies*, coagulo amica, accesserit, *tenuitatem*, plerumque majorem ostendit. ac indolem vix non aquosam, in sua quasi principia dissiliens, resolutus ac pallidus, assumit.

Quo major est partis in sanguine *rubrae* ad serum proportio: eo majori cruor securitate suis in canalibus apud *sanos* coërcetur; sed eo potius, perfracto istorum repagulo, mox *primus* praecipitat: dum interim animalis pars liquidi tenuior peculiari systemate servata, ac magis a loco *cruorem* fundente remota, flumine tardiore advehitur, ac fugam lentiorem molitur.

Aucta partis *aquosae*, vel per liquida ingesta, resorpta, vel per rubrae jacturam, in sanguine quantitas: ad morbosam cruoris tenuitatem, haec, celeriter per-

duceret; sed inconstans, ac prona, vaporis, sudoris, urinae sub specie, in fugam illius est indoles; ac ipso hoc menstruo natura ad eliminandas per renes et cutem inutiles, vel et noxias materias utitur.

Pars interim illius, per gluten animale, seu *lymphaticum*, *mucosum*, nutriensque principium, cum parte sanguinis rubra ligatur. quod ipsum principium dum ob longiorem cibi nutrientis penuriam, vel ob causas morbosas (§§. VIII. — XCII. — CDLXVI.), quantitate, qualitate, a lege sanitatis aberrat; robur fibrarum frangitur, ac sanguis tenuior, sub aucto corporis, partium, per causas quascunque, motu, per vias non suas, morbosas, facilius aufugit. Magnam hoc sanguinis principium, secretionis morbosae vitio, vel sola stagnatione, mutatum, profluviorum multorum, infarctuum, polyporum, ac pseudomembranarum partem agnoscit.

Sed vel ipsa *cruoris moles* universi, sub statu salutis (casu interim sat raro, et vix sub alia, quam instantis in systemate vasorum debilitatis ex stimuli superabundantia oriundae, conditione, §. CDLXVI.) praeter modum augetur: *plethoram* dixerunt. Sub certo nempe corporis, quod alibi jam diximus, sed quod hîc ulterius monuisse juvabit, ab hominibus aequali, ad adspectum, sanitate instructis, non aliter quam ipsis a plantis, eodem solo vegetantibus, vel ex pauco alimento, pars nutriens ab istis, facilius, copiosius, quam ex multo, ab aliis extrahitur. Sunt quorum corpora sicciora, firmiora, abundantiore sub victu, perpetuo macilenta incedant, ac fluidum fere omne, *non in tela cellulosa*, ut alii, crassiore sub habitu, *sed in vasis*, plerumque amplioribus, *circumferant*. In aliis, sub motu corporis licet exiguo, ac sub pauco virium dispendio, ventriculus, per longum satis tempus, et cibos uberius expetere, et ingestos celeriter subigere, — hinc nutrientis copiam materiae, quotidiana consumptione longe superiorem, vasorum systemati cedenti transmittere observatur; ac nascitur, ad istud, *plenitudo*, cui expeditius movendae, dirigendae, sub corporis imprimis accedente exercitio, cor vires non habet, aut si habeat, ob vasorum repletionem oppressas, suffocatas, exercere non potest. Alii, sub victu consueto lautiore, sanissimi, sed

parte corporis conspicua mutilati, majorem robusto ventriculo, quam tot ramis orbatum systema vasorum tam facile suscipiat, moveatque, nutrientis materiae copiam elaborant, ac in circulum assumunt.

§. DLXII. *Vasa. — Morbi vasorum.*

Haec igitur (§. DLXI.) culpa fluidorum in quibusdam contingunt. Ast, vix longiorem per moram, hanc *solida* violentiam patiuntur; sed stimulo cordi continuo oblato, extensum praeter morem vasorum systema vel potentius in commissum sibi cruorem invehitur, ac, leviori ex causa superaddita, *inflammatoriam* mox febrem (§. CXIV.) accendit; vel, inducta corporis et ipsius ventriculi inertia, ciborum desiderium, subactio languescunt, et nutrientis in sanguinem materiae affluxus imminuitur, suspenditur, plenitudo corrigitur; vel tenuiorum resorptio humorum praepeditur, ac tumor aquosus, subcutaneus, *anasarca*, aut et *hydrops plethoricus* succedit; vel ad partes spongiosas, laxiores, sanguinei infarctus, vasorumque dilatatio morbosa, et viscerum compressio, sub variis symptomatis sequuntur; vel demum ipse sanguis per vias non proprias, morbosas, prorumpit, et *cruentum* inducitur *profluvium*.

Sed frequentius solo *vasorum* ex vitio, fluidorum in illis copia praeter modum, nunc in toto eorundem systemate, nunc ad partem modo unam, vel alteram, augetur.

Obscura parumque exculta est, sed certe ab illa *haemorrhagiarum* sejungi non debet, morborum, quibus *cor* aeque ac *vasa* subjecta sunt, doctrina; atque dum mota non ita pridem *de cordis nervis* dubitatio, insignem apud *Ticinenses* in rebus anatomicis virum, ut has partis nobilissimae potentias vindicaret, excitavit; *nervorum*, qui *arterias venasque* circumdant, comitantur ac subeunt, — si paucos, eosque notabiles magis ramos, vel illos, qui celebris *Goettingensis* anatomici industriae debentur, excipiamus, adhuc languet historia. Scilicet quo tempore a scholis praecipuae morborum origines, *fluidorum* magis culpae adscribi, quam a *solidis* derivari solebant; oportuit minorem vasorum, a fluidi contenti conditione in totum, ut putabant, pendentium dignitatem videri: ac licet va-

orum, quibus vasa subjecta sunt, vitiorum cognitio ntiquis tribuenda sit vix tamen alia, quam quae vasa *atiuntur*. — non quae ipsi canales sanguinei *inducunt*, eteribus perspecta fuerunt.

§. DLXIII. *Irritabilitas.*

Ipsa certe fibrarum, arterias, non minimas, amientium compages, quasi unicum, ac licet pergracilem, — protensum tamen ex corde, ac sua longitudine vires upplentem, *tubum musculosum*, vel quasi *cor unicum* *ramosum*, per partes animalis fere omnes extensum, onstituit. Quod si clarorum tentamina virorum has bras, *carnosas* haud esse, aut, ut tales, quocumque ub stimulo surdas mansisse docuerint; sunt quoque lii, quibus non semel experimentum felicius succesrit, ac arteria, vel vivo in cane dissecta, mox adeo, t sanguinem, licet non tenuis diametri, effundere essaret, se contraxerit; vel sub ferri attactu, mox satis anifeste responderit; et oportet, potentias vasorum itales, non *majoris* adeo, — quam sibi *magis adversi* d leges stimuli, sub certis modo rerum positionibus, noveri. Ipsa saltem, quae fibras musculares habere escimus, — *irritabilitatem* conspicuam tamen produnt, c aperta, stimulata, se contrahunt, *vasa lymphatica*; ec sanguis, si modo elasticos, non vitali et contratili principio instructos canales arteriae offerrent, — eleritate, qua corde expulsus est, post tot obstacula uperata, vix non eadem, aut saltem haud longe miori, rediret. Saepe *dicrotus*, ut vocant, interdum *naequalis*, *frequentior* in una, — sanus ac lentior n altera arteria, — qui, dissimilis, uno a corde penere non potest, est pulsus. Sub partis inflammatione ocali, licet febre quis careat, ac totius systematis rteriae de aucto cordis impetu testimonium haud dant, vibratio vasorum in parte affecta, sana est *najor*. Similia vel solo sub capitis dolore, sub febre sthenica, nervosa, quae cum humili cordis impulsu ncedit, ad arterias carotides, temporales, quin ipsas ugulares ad venas, — vel ad ipsam in abdomine ortam, coeliacamque arteriam, sub spasmis, — ut neurysma non raro hîc loci mentiantur, contingunt. Post praegressam in ventriculi, intestinorum incendio,

summam arteriae radialis, in filum contractae, duritiem, exorta his in visceribus lethali gangraena, — saepe plena fit, et ampla, et mollis, — spe medicum inani haud raro fallens, arteria. In apoplecticis plerisque, arterias, sub cordis motu lentiore, *majores*, ac sanguinis impulsui plus aequo cedentes, — in membro a paralysi correpto, praeter maciem, calorem minorem, pulsum magis languidum, quam sana in parte, persaepe reperimus. In febribus nervosis, seu asthenicis, sub extremo aegrorum languore, arteriae saepe falsam plenitudinem, — ac, ut frequenter observavimus, sanguinem ad latera vasorum molliter diffluentem, manifestant. In moribundis adeo hominibus, arteriae non raro turgescunt, ac fibrarum contractili principio jam vix non omni carentes, sanguinem a corde susceptum, quasi insciae, majori unda transire sinunt. Si, per longos aliquando tractus, *osseam* ad indolem, in senibus maxime, arteriae accedant, nec tamen circuli humorum hos illico beneficio privent: — id, quod propria illarum contractio sanguinis ad motum nil faciat, necdum demonstrat; et *cordis* ipsius fibras in osseam ex parte substantiam mutatas, quin sanguinis circulus cessaret, non minus exempla loquuntur. Gangraenas ex ossea aeque, quam ex nimis dilatata arteria, secutas esse; — et majorem sanguinis partem in arteriarum magnarum, in osseam substantiam conversarum, concavitatibus stagnasse legimus.

Est igitur suum arteriis, — vel a *carne musculari* hoc pendeat, vel a *fibra cellulari*, non omni vitali potentia privata, derivandum sit, *contractile*, — vel ex solis morborum effectibus jam satis elucens, — *principium*.

§. DLXIV. *Sensibilitas.*

Sed vel una sit ac eadem, vel diversa ab isto (§. DLXIII.) *nervorum potestas*; non minor est *pulpae sentientis* in vasa auctoritas. Pauci quidem, et modo exiles plerumque nervorum trunci arterias venasque majores, — nisi forsitan difficilis cruoris per easdem decursus sit, carotidum, vertebralium exemplo, comitantur; sed copiosi mox surculi illarum ramulos ductusque excretorios, hederae in modum, circumdant,

c plenos elegantiae plexus nervosos super illis componunt. Quamvis interim vasa his a filis nervosis, tenaci erumque membrana firmatis, mechanice constringi, x admittere queamus; non tamen ob id solum, quod erebro, medulla spinali, irritatis, destructis, sedato onvulsionum impetu, nulla in motu vasorum mutatio nbintrare dicatur, inanem hîc loci, tam sollicitam, ervorum divisionem esse putamus: et instituta cum nimalibus, sub diris cruciatibus ac terrore, qui stiuli levioris actionem tam facile suffocant ac delent, xperimenta, non exiguam observatoribus errandi ccasionem dedisse videntur. Nec ex eo, quod in nembro paralysi correpto, cum vel sensus, vel motus hoc omnis ablatus est, arteriarum nihilominus pultio haud raro continuat; nulla erit *nervorum* in istis, ui aliam magisque *remotam* originem agnoscunt, uctoritas. Frequenter certe brachii, a paralysi corepti, arteriam, alterius brachii illa, longe debiliorem bservavimus; et exempla sunt, ubi pulsus in parte aralytica non modo *debiliores*, quam in sana, sed t simul *lentiores* fuerunt. Quae sub animi pathemate ortiore, ad hominis vultum subitaneae mutationes, — quae universo in corpore phaenomena compareant, — quam celeriter ille nunc sanguine suffundi, nunc odem ad extremum pallorem privari, — quam valide ordis et universi systematis vasorum motus nunc erigi, unc dejici, ac vix non suspendi videantur, in vulgus unt nota (§. CDLXVI.). Quae tot nervis vinciuntur, nodo tenui epidermide contecta, vasa *labiorum*, quam de haec medicum in morbis non paucis periculi admoneant, nullus ignorat. Potissima in sanguinis cohiendo profluvio remedia, vix ad vasa pertingunt; sed olo nervorum ventriculi attactu efficaciam exserunt. spersa ex improviso humeris, sub narium haemorrhaia, frigida, in multis hanc illico suspendit (§. DXCIV.); t admota genitalibus externis contusa glacies, ruentem x utero cruorem, modo, ex inducta debilitate haud atis eruendo, non raro coërcet. Non vana est apud *redulos*, amuletorum, quae collo, vel carpo, vulgus ppendit, — aut verborum magicorum, quae risum rudentibus movent, in sanguinem e vasis fugientem otentia; nec fabulam sapit Veterum de veneno ser-

pentis (haemorrhous), cruorem undique ex vasis provocante, traditio. Quam facile *periodicam* profluvia cruenta, — nec illis, quae violentia externa induxit, ubique exceptis, indolem assumant, — quanta cum rerum constantia in feminis vel sanguine pauciore dotatis, vasa uteri, vel alia, per dies sat fixos, sub lumborum, pelvis, uberumque tensione, dolore, repleantur, — post istos, — etiam cum cruoris excretum nil fuerit, mox placide considant, — febres ipsas, quae typum intermittentis assumunt, hinc inde sub specie *profluvii cruenti* absolvi, Vos certe non latet; — quae singula, et alia, nisi eorum, qui vasis implicantur, *nervorum* actioni maxime tribuenda sint; alteri, quod melius rem explicat, principio tribuere nescimus. Quod si haec ita constituta sint: oportet sane morbos, quos *irritabilitatis*, *sensibilitatis* (vel si in *unam* has res qualitatem contrahere, ac *incitabilitatem* appellare magis placuerit) sano a tramite declinatio aliis in partibus inducit, vasorum quoque systemati, nunc omni, nunc certis modo in locis, sub datis conditionibus, adscribi; et affectus spasmodicos, convulsivos, atoniam, paralysin ad vasa non minus, quam alibi locorum, subnasci. Arteriarum venarumque observata *inflammatio*, et quae hanc ipsam comitabantur symptomata, abunde haec docent: ac sola jam pulsuum, sub tenerae aetatis irritabilitate, sensibilitate majoribus, frequentia, mobilitas; — illam, quae in homine adulto, vel sene, occurrit, longissime superans, — quam insignis principii vitalis in sanguinis ductuum systemate auctoritas, in sano non minus, quam aegrotante in homine esse debeat, abunde demonstrat.

§. DLXV. *Membranae vasorum.*

Sed antequam de istis ulterius loquamur, de caeteris, quae morborum ex propria vasorum structura pendentium historiam concernant, hîc mentio facienda est.

Scilicet intermedia fibrillis arteriarum carnosis strictissima tela, — vel et illa, quae has inter et extimam intimamque arteriae, affinem structura, tunicam collocatur, non minus frequentem, — aut laxa nimis, aut nimis stricta, concreta, compressa, aut peregrinis

materiis referta, aut incisa, exesa, consumpta, — morborum sedem constituit. Sub fortiore aortae phlogosi, cellulosam, quae fibras musculares arteriae utrinque investit, manifeste tumuisse conspeximus, ac in ipsis pathologicis Museis, tum *Ticinensi*, tum *Vindobonensi*, a nobis magno cum labore erectis, conservatam, crassiorem, auditoribus ostendimus. Similis quoque tophaceae, aut subosseae materiae, flavi sub specie succi, qui callosus primo, dein osseus fit, inter tunicam carneam intimamque effusae, qua scilicet arterias in duros, squamosos, ac rigentes canales converti jam diximus, sedes est. Memorabile hujus morbi, de puero novenni, cujus et pater et avunculus eodem vasorum vitio laboraverant, exemplum alibi descripsimus; atque *universum* fere arteriarum systema, pluribus in locis, in osseam naturam conversum, Musco *Ticinensi* pathologico commisimus. Steatomatum, abscessulorum in arteriae tela cellulari externa frequenter repertorum, — tumoris hujus membranae, qui cavum arteriae arctabat, — spissitudinis auctae parietum arteriae, sicut a nobis, ita et ab aliis exempla notantur. In subcutaneo hydrope, dum omnis cellulosa ab aquis infarcta est, membrana quoque arterias exterius investiens, iisdem non parum repletur; nec dubium est, ecchymoses, maculasque scorbuticas profundas, hanc sedem, cum vario compressionis vasorum effectu, agnoscere. In ipsis scilicet arteriarum, venarum ramis, tot vasculis, quae sanguinem illuc conducunt avehuntque, irriguis, cum phlogosis easdem prehendit; lympha, in cellulas effusa, coëundo, spissitudinem tunicarum adauget: unde propria his vasis elasticitas increscit, ac ab impetu sanguinis, vel quovis alio, facilius hi canales rumpuntur; aut tubercula, abscessuli hinc inde nascuntur: qui profundius aperti, — quod in femina *Ticinensi*, subitaneam per mortem abrepta, et nuper in juvene *Viennensi*, praeviis modo inter scapulas doloribus, — sub ipso ad alvum deponendam nixu, illico enecto, ex *aortae abscessu*, cordi vicino, factum esse novimus, — sanguinem quamplurimum, lethali cum effectu, ad interna profundunt; aut modo partem arteriae rodentes, ut externae laesiones quoque faciunt, ad *aneurysma* disponunt.

Sed saepe phlogosin vasorum, ut aliam quamcunque per lymphae morbose secretae, solius *transsudationem* absolvi (§. CXXV.), sat multa nos docent. *Puriformis* haec materia, ad inflammatae arteriae internam superficiem tenaciter hinc inde haerere a nobis conspecta est; ac nuper in viri pictoris, hydrope febrili ac scorbuto enecti, — pulsu, dum viveret, exili, sed *durissimo* instructi, cadavere, aortam omnem, a corde usque ad suam in crurales arterias bifurcationem, deteximus *inflammatam*, ac non modo multis obsessam maculis albidis ex lympha coacta illinc defixa, — sed et veris *excoriationibus* notatam demonstravimus. Pars maxima illius lymphae, a sanguinis torrente abstergitur, abripitur; sed in cruorem converti. quod coagulum morbosum jam experta sit, non amplius idonea, inflammatoriis tum hypersthenicis, tum asthenicis in morbis, et in aliis, qui phlogosin localem comitantur, per renes, suo tempore, excernitur, ac *albi* in urinis *sedimenti* sub specie, felicem in multis exitum promittit; in aliis, metastasis iniquae, aut lentae, ex chronico incendio, febriculae, ac tabis, sine ulceris praesentia, effectum, discrimine plenum, nobis exhibet. Haec ipsa est polyporum (§. DLXXII.), qui ad latera cavorum cordis, arteriarum, toties, — non certa sola a morte, ut aliqui defendunt, sed in vivente ad multas miserias homine, adhaerent, aut cava haec opplent, materia. Sub hujus in vasis non magnis et a phlogosi tumentibus, abundantia, ea ipso non difficulter superficie interna, vel uno, vel pluribus in locis, concrescunt, et solidam nunc indolem, ac formam ligamenti, — quod vel ipso in trunco aortae descendentis, ac in ramo arteriae coeliacae splenico factum esse constat, — prorsus assumunt; nunc *pseudo-abscessus*, seu materiae puriformis sine ulcere collectiones, interrupta, nodosa, efformant.

Ex his apparet, nec internam arteriae tunicam vitiorum esse prorsus expertem: et quamvis a sanguine per vasa fluente *acriori*, et, ut multi contendunt, quasi *caustico*, eandem erodi, consumi, ad hypotheses pertineat; eae ipsae tamen causae, quae omnes arteriae membranas, — haec et solam hanc, primum afficere queunt: et sicut haec ipsa potissimam phlogosis sedem

in conspectis a nobis arteriae inflammatae exemplis constituit; ita et *polyporum* (§. DLXXII.) arcta cum hac tunica in multis connexio, morbosi quid huic ipsi contigisse, manifestat. Facta, per causam quamcunque, hujus membranae laesione; facilis est sanguinis per caeteras arteriae tunicas insinuatio.

§. DLXVI. *Effectus morbosi. — Motus cordis perversi. — Palpitatio cordis; — Arteriarum.*

Aegritudines hinc non paucae ex vasorum et cordis *principio vitali* (§§. DLXIII. DLXIV.) non minus, quam ex tunicis et lumine canalium vitiatis oriuntur: ac sicut illae praecipua machinae animalis instrumenta pessumdant; ita motus in istis a sanis diversos induunt, et eosdem nunc maxime intendunt; nunc vero infringunt, aut protinus suspendunt.

Scilicet *cor* musculus est multiplex, cujus fibrae, non diversim ac aliae hujus generis, a stimulo fortiori aequo magis excitantur, sub minori quam par est, languescunt, et a variis in sanguine movendo obstaculis turbantur. Ubi animi affectus, convulsio febrilis, aut motus corporis violenti, sanguinem copiosum cum impetu per vasa praecipitant, et uberiorem cordi cruoris undam, quam ut istam placide amplecti, et susceptam per angustas pulmonum vias tam facile urgere queat, transmittunt; oportet sane, ut major ac simul celerior cordis robusti succedat, extensa per arterias, vibratio. Ubi stimuli hoc viscus moventes temporis ratione inaequali distribuuntur; cordis motus *inaequalis* sequetur. Si forsitan diuturnior ac fortior, quam par est, hujus actio stimuli in cordis fibras continuat, aut his aequo applicatur frequentius; hujus visceris *palpitatio* et quasi convulsio, seu motus cordis vehementior, abnormis, cum pulsu arteriarum non simul aucto, frequenter sano minore, hinc a sola *vibratione* diversus, locum habebit. Si flumine cruor tam exiguo advehitur, ut hujus musculi vitalis cava implere, distendere non queat; motus cordis *obscurus* et *exilis* aut *tremulus*, — si unda sanguinis nova lentius aut nulla succedit; *lentus* observabitur, aut *intermittet*, aut prorsus *suspendetur*.

Varia autem ad cordis hos motus morbosos contri-

buunt, quae vel hoc ipso in viscere, vel in vasis ac partibus vicinis, vel in locis remotis, ob nervos affines consensu majore instructis, quaerenda sunt. Ubi sanguis cordis atriis, ventriculis advectus, vel istorum ob vitia organica, ob fibrarum muscularium sensibilitatem, irritabilitatem aut nimiam, aut justo minorem, ob contractum aneurysma (§. DLXVII.), ob indolem callosam, aut osseam, ob vulnus, phlogosin, abscessum, ulcus, aut suscipi, aut moderata contractione expelli omnis non potest; — ubi corpus peregrinum, polyposa, fungosa, ossea, calculosa concretio ad contractionem continuo cor stimulat; — ubi valvulae cordis, ob contractam rigiditatem, duritiem, aut fere penitus connivent, aut ad latera reflexae, concretae, aut a corde solutae, vel sanguinis e corde exitum, vel refluentem ex arteriis pulmonali, aorta, cruorem a corde non satis avertunt; — ubi serum, humor puriformis, purulentus, ichorosus, sanguis ipse, pericardio inclusa, tam mole, quam indole perversa, continuo nobilissimam hanc partem lacessunt; — ubi ipsum pericardium cum corde, ob phlogosin praegressam, aut alias ob rationes, concretum, aut crassius ac durum, aut vicinas ad partes morbose adhaerens, vel adeps multus, cordis circa basin collectus, hujus musculi libertatem infringunt; — ubi cruor a dextro ventriculo per substantiam pulmonum, obstaculo quocunque, mechanico, spasmodico, praeclusam, expelli non potest; — ubi magna arteria, vel rami istius majores, aut tunicarum ex vitio arctiores, aut polypis, tumoribus oppleti, aut exterius compressi, irruenti obicem cruori ponunt, — vel, praeter modum dilatati, vel in osseam substantiam mutati, sanguinem susceptum propellere recusant; — ubi major in partibus remotis, in abdominis praecipue visceribus, a vermibus, saburrali, venenosa materia, vel a spasmis ac flatibus, ventriculo, intestinis detentis, vel a miasmate, contagio, irritatio, cordis nervos in mutuos consensus rapit; — his omnibus in casibus oportet motum sanguinis per cordis cava, et ex istis, per vasa pulmonum et corporis universi, non parum turbari.

Non satis acute auctores, in ea, quam *ad vasa* di-

xerunt, *plethora*, ad solam istorum diametrum et capacitatem, sanguini ferendo minorem, hydraulicis modo legibus innixi, respexerunt. Nec etenim sola vasorum tanti est *elasticitas*, ut cruoris quantitati moderatae, tum quieto, tum exercitato in homine, capiendae sit impar; sed maximum in vasorum *sensibilitate morbosa* est positum rerum momentum: sub qua scilicet, ut in teneris et chloroticis puellis, in juvenibus delicatulis, et literatis in hominibus videre est, cum solitis ex utero, naribus, aut venis ani forsitan profluviis cruentis, tempore exiguo privantur, aut corpore vel animo quidquam commoventur, mox singula *plethorae*, qua certe non laborant, symptomata, pulsusque duros ac plenos, cum febre, *inflammatoriam* mentiente, manifestant.

In tantos vero motus cor ipsum, sub his obstaculis, aut stimulis excitatur: ut ejusdem *palpitatio*, *vibratio*, pectore tam nudo, quam vestibus aut stragulis obtecto, oculis non modo tactuque distingui, sed et plures interdum ad passus, ac ipsis prae foribus, thoracis, quasi a malleo intus percussi, sonus audiri bene queant. A vi cordis hunc in morem convulsi, ac suis in vicinum thoracem vibrationibus continuo arietantis, costae sua ex sede expulsae, aut sternum cum illis in tumorem extrorsum elevatum, aut haec ossea pectoris repagula, ut super incudine metallum, *extenuari*, ac demum diffrangi conspecta sunt. Tantas nos quoque in homine. cui omne arteriarum venarumque omne systema inflammatum erat (§. CCVI.), cordis vibrationes observavimus: ut regio iliaca sinistra eadem, qua pectus, vehementia in altum, sub quovis cordis ictu exsurgeret; nec tactum aeger sinistra thoracis ac abdominis parte, sine summo dolore, perferret. In pluribus aegrotis, ex hac sola cordis arteriarumque vibratione insigni ac prorsus rebelli, vasorum in cordis viciniis phlogosin praedicare, et praesentem in cadaveribus ostendere potuimus; sed longe haec *cordis vibratio* distat a *motu abnormi*, quo viscus hoc *palpitat*, quin simul cum eodem convellantur arteriae.

Si, quae dictos in corde motus morbosos producunt, causae, *arterioso* applicentur systemati; hoc ipsum similes ex parte effectus, majoribus in vasis,

manifestat. Hinc vigente in parte corporis a corde remota, stimulo locali, arteriae hinc inde, adinstar cordis irritati, vel solae, nunc *vibrant*, *palpitant*, *subsiliunt*, *convelluntur ac tremunt:* nunc inaequales, debiles, obscuros modo ictus, sub cordis motu sat vegeto, edunt; nunc, per magna satis intervalla, intermittunt, aut protinus pulsare cessant, et ignota cordi et sorori arteriae *asphyxia* laborant.

Sunt, quibus, sub bona in caeteris valetudine, inaequalis ac saepe intermittens arteriarum est pulsatio; et quibus accedente in febribus stimulo insolito, haec in sanguinis motu vitia, ut nos ipsi quoque sumus experti, illico disparent.

§. DLXVII. *Aneurysma verum.*

Quae vero tam insignem fluidorum molem continuo movent, et tanta per spatia urgent, cor atque arteriae; haec, in humana, tot animi affectibus exposita, certe magis, quam alia animalium in classe, non raro, et diversis a causis, violentiam patiuntur, parietibus cedunt, et varios in sensus, praeter ordinem sanitatis, dilatata, partem imperii in sanguinem sui, sensim sensimque amittunt: *aneurysma*, morbum, veteribus, ob raram corpora humana secandi occasionem, vix cognitum, dixerunt. Hoc igitur est tumor ab expansa, per sanguinis torrentem, morbosam in molem arteria.

§. DLXVIII. *Aneurysmatum diversitas. — Aneurysma spurium. — Aneurysma cysticum. — Aneurysma folliculosum. — Aneurysma mistum. — Aneurysma varicosum.*

Non magna, nobis quidem, ratio subesse videtur, cur *verum* hoc *aneurysma*, (§. DLXVII.) dicentes, alterum, quod magis ad *continui laesiones*, — ac sanguinis ex incisa, excsa, disrupta arteria in telam cellularem vicinam et in spatia musculorum adjacentium effusi ratione, ad *ecchymoses* (§. CCCLXXXIX.) pertinere videtur, — seu *spurium*, ut speciem, eidem subjunxerint. Quis etenim similem a sanguine *venoso* in cellulas vicinas effuso nascentem tumorem, quin venae diameter sit aucta, *spuriae varicis* nomine dignum judicaverit?

Est interim, ubi laesa, per cuspidem lanceolae, brachiali arteria, et sanguinis profluvio, compressionis beneficio, cessante, hac demum, priusquam vulnus arteriae sanatum sit, sublata, — aut eodem hoc vulnere, immaturo sub motu brachii, denuo distracto, sanguis de novo stillare incipiat. Nascitur tunc parvus primum, eodem in loco, tumor, qui, ob sanguinem lente in telam vicinam cellularem, a facta compressione jam quodammodo cum laesae ac inflammatae arteriae parietibus externis cohaerentem, effusum, ac in speciem folliculi susceptum, paulatim augetur, colorem cutis conservat, circumscriptus, rotundus est, compressus cedit et pulsat, vel tremit: *cysticum aneurysma*, ac *spurii* varietatem vocarunt.

Huc certe pertinet tumor magnus, in viro *Placentino*, post saltum, ad tibiae anteriora, non longe a genu, natus, cum osse tibiae arcte cohaerens, qui folliculum referebat, ac digito quodammodo cedens, aneurysmatis adinstar, fortiter pulsabat. Hic tumor, crure resecto, ac *Ticinum* docto a viro transmisso, dissectus est: sed nulla in arteriis vicinis laesio se obtulit, ac ipse folliculus cum parvis modo ramulis illarum commercium alebat. Interim sanguis ex cryptis quamplurimis, in sacci crassioris superficiem internam patulis, ad hujus cavum delatus, pulsationem in eodem, sine quavis arteriae tibialis dilatatione, sat longe ab ista remotus, evidentem excitaverat.

Est, ubi expansum jam nimis *verum* aneurysma (§. DLXVII.), vel sponte, vel ob novam violentiam, rumpatur, et sanguis vicina in loca effusus, tumorem, *misti* sub nomine *aneurysmatis* venientem, constituat.

Mistum aliqui *aneurysma* quoque dicunt, et quidem *externum*, ubi tumor a sola membrana cellulosa arteriae *externa*, internis ejusdem duabus membranis diruptis, generatur; — *internum* vero, ubi membrana arteriae *interna*, extensa, inter duas ejusdem membranas *externas*, solutas, urgetur ac morbose distenditur. Sed primum quod attinet, aliud certe id, quam veri aneurysmatis varietas non est; etsi cum recente hac de materie scriptore non dixerim, in omni vero aneurysmate provecto, semper internam arteriae membranam, ac tunicam musculosam esse ruptas. Ad alterum

quod spectat, quam idem hic auctor existere negavit, nimis certe communis venaesectionis incautae, alteriusve laesionis arteriosae effectus est.

Est etiam, ubi vena cum arteria subtus jacente simul feriatur, et — forsitan, ubi, facto in venae inflammatae substantia abscessu, hic ipse ad contiguam arteriam penetraverit, cruorque ex ista, cum impetu ac sibilo in illam ascendens, venae parietes in tumorem, adinstar aneurysmatis communis, sine cutis colore mutato, salientem, mollem, digitisque cedentem, attollat: *aneurysma varicosum* vocarunt.

Sed haec singula complicationem magis symptomatum aneurysmatis, quam species hujus mali diversas, vel malum origine ab ipso aneurysmate diversum constituunt.

Nunc vero tum cordis, tum arteriarum aneurysma, ex una modo parte est: ut in illo, vel una, vel altera *auricula*, — *ventriculus* aut anterior, aut posterior, capacior sit justo; in istis, ut, vase ab osse vicino, vel aliter magis firmato, pars ejus adversa seu liberior modo turgeat, *saccumque*, nunc simplicem, nunc divisum, — ut a costis per saccum aneurysmaticum ab invicem remotis et hoc ipsum aneurysma quasi duos in saccos dividentibus, factum esse legimus, — efformet; nunc autem cor omne, aut tota arteria in molem sana ampliorem, ac enormis interdum magnitutidinis dilatatur; utroque vero in casu, arteria nunc fere rotundum, *circumscriptum*, nunc autem *diffusum* ac longiusculum tumorem producit.

Sic et aliae aneurysmatis differentiae nascuntur ratione *originis*, vel *externae*, — scilicet vel a vulnere extimas per arteriae membranas penetrante, vel a pure, ichore has ipsas exedente, ab osse fracto, luxato, carioso, a distensione, contusione percussione, distractione, thoracis incurvatione, compressione apud artifices, aut literatos apud homines perpetua, a nixu sub partu difficili, luctatione, gestatione, a cursu, saltu, lapsu, tubarum, fistularum inflatione, clamore, cantu acuto diutius protractis, a vomitu, tussi, sternutatione, risu intentis, a majorum compressione vasorum, ab iis, quibus fulciuntur exterius arteriarum parietes, subtractis, etc. — vel, cujus interim indoles plerumque ignota est,

interna, quae nunc omne vasorum systema, nunc modo partem istius, tenere videtur. Non tam rarum est nempe, *aneurysma spontaneum* per omnem arteriarum extensionem paulatim oriri, vel uno per manum chyrurgi ablato, mox alterum, in alia arteria, externa, interna, subnasci: qui morbus vix aliter, quam ex fibrarum muscularium distantiis lateralibus, sanguinis illuentis ab impetu, a nata hîc illic *phlogosi*, ac *materiae puriformis*, in coagulum pronae, *interpositione*, praeter modum adauctis, vel interna arteriae membrana his in spatiis, ad exteriora, in speciem sacci, lumini arteriae contigui, cedente, — vel ex ipsa fibrillarum laxitate, atonia, paralysi, — vel ex continui, excepta vasis interna tunica, per causas internas laesione; interpretandus videtur. Hinc longus excitantium, vini, alcohol, aromatum, opii, mercurii, aliorumve, quae corporis motum sat valide intendunt, simulque vim fibrae contractilem paullatim consumunt, exstinguunt; aut occultas arteriarum in systemate phlogoses accendunt, totamque vasorum cellularem, fibris muscularibus intermediam, puriformi materia infarciunt, distendunt, abusus, — animi pathemata hujus generis: ira inprimis ferox, aut repressa, gaudium extremum, amoris incendia diuturna; febris vehemens hypersthenica, vel ipsa inflammatio in praecordiis praegressa; motus sanguinis in parte corporis conspicua, vel ipso in corde, obstacula, ut a polypo, excrescentia, calculo, valvularum tricuspidalium, mitralium, arteriae majoris, pulmonalis in osseam substantiam conversione; membri conspicui amputatio, aortae imprimis angustatio, pinguedo cordis nimia, — hinc spasmi, dolores violenti, asthmata, dyspnoea, quacunque ex causa producta, animi pathemata deprimentia, moeror, terrorque summus, aut rodens invidia, debilitas, aut perversa constructio, dispositio *nativa*, *haereditaria*, aut nimio exercitio inducta nervorum laesio, — hinc denique acre, solidorum nutritioni, cohaesioni infensum, inprimis syphiliticum, potissimas aneurysmatis spontanei causas nobis sistunt.

Cum vero morbosam arteriae dilatationem aneurysma formare monemus; non igitur, quod interdum ita se habet, membranarum *tenuitas* ubique hoc vitium co-

mitatur; sed saepius crassities istarum, in ipsius expansionis ac temporis ratione, a materia polyposa, tunicae arteriae, quo loco dilatata est, applicita, augetur; interdum sacci hinc inde ossescunt parietes; aut sanguine ac lympha per quietem aliamque rationem coactis, sibique in lamellas superimpositis, tenacibus, obducuntur, densantur, iisque vel solutis, vel ipsi parieti adhaerentibus, plus minus replentur.

Caeterum, quamvis a viro conspicuo, thalamorum *cordis* dilatationi, *aneurysmatis* nomen, ex eo, quod crustaceae sanguinis concreti lamellae desint, ac symptomata sint alia, negatum sit; nullum tamen hoc de re dubium superesse nunc potest. Hoc vero mali genus, arteriis certe, quam cordi communius, frequentius *auriculas*, quam ventriculos cordis, — atque anteriora magis hujus visceris cava, quam opposita, afficere videtur. Alii, ventriculum *posteriorem*, licet magis robustum, prae altero, — ac auriculam *dextram*, prae sinistra, aneurysmate tentari monuerunt. Pro utraque assertione, exempla cumulantur: quae singula difficile est sat aequum ad calculum reducere. Sinistri cordis ventriculi et auriculae annexae aneurysmata diuturna, facile ventriculo auriculaeque dextris vim inferunt; ac, vice versa, dextra cordis auricula in aneurysma dilatata, aortam vicinam aliquando sua mole attingendo, eandem compressit, distorsit, sanguinisque ex cordis ventriculo sinistro effluxum haud parum praepedivit. Ex arteriis, si de illis, quae laesioni externae subjectae non sint, est quaestio, frequentius *aorta*, inprimis quo loco in *arcum* inflexa, descendere incipit, nec non rami illius majores, aneurysma patiuntur. Arteria *poplitea* frequentius, quam externae aliae arteriae, a vero aneurysmate corripitur. Interim vix ulla, vel quidquam conspicua, habetur, quae aneurysma non subinde contraxerit, arteria; nec aetas, nec sexus conditio, hoc a vitio immunes dicendae sunt; sed ipso adeo in *foetu* non tam rarum est aneurysma ad cordis auriculam reperiri; atque tum ista, tum maxime ventriculus posterior, hinc inde locum ac veluti foramen pellucidum ostendunt: quo fibrae manifeste dehiscunt, ac solis membranis, interna et externa, quibus sanguinem contentum coërceant, infirmo nimis, pro vita longiori, repagulo, cohaerent.

DLXIX. *Aneurysmatis effectus.* — *Cor voluminosum.* — *Aneurysmatis cordis et aortae effectus.*

Aneurysmatis *effectus*, pro partis ab eodem prehenne dignitate, positione, pro causae agentis, et pro ueti voluminis ratione, diversi sunt. Ob summum ordis in caetera imperium, summa quoque ex illius neurysmate, quo vel ad ipsam hujus visceris substanam, vel *coronarias* ejusdem ad arterias est, vitae ncommoda redundant.

Non omne interim cordis, aut sinuum auricularumue volumen consueto majus, *aneurysmatis* mox noiine est dignum; sed mira est visceris illius, quoad abitum externum, magnitudinem, pondus, propriiue contextus firmitatem, varios apud homines divertas: quin igitur effectus, quos tamen necessario, in ano non minus, quam aegrotante in homine, haec ngula inducunt, satis innotescant. Nunc etenim, non aucis in cadaveribus, cor exile, ponderis exigui, et uasi *tabescens*; — nunc vero amplum, torosum, grave, utroque in casu mox laxae, mox vero firmioris onsistentiae, quin aut vitae anteactae, aut morbi, uo istam amiserant, historia, aut corporis totius conitutio diversa, tam insignis uno ac primo simul in scere, differentiae rationem offerrent, non sine aliquo upore conspeximus. Est quidem certa, nec satis inlleeta, et viscerum aliorum, ut hepatis, splenis, sine orbi evidentis ac proprii apparatu, ac sine vasorum ostructione, in majus consueto augmentum proclivis; nec semper sine partis contiguae confiniis simulie officiis infractis, illorum extenditur imperium; sed ordi certe major caeteras in partes, quam ut aliquid el addi, vel demi, sine labe totius, queat, concessa t dominatio: et in hac cordis ad arterias, aut istaam ad illud, — et singulorum vasorum ad sanguiem proportione mutata, latent magna temperamenorum non minus, quam certa multorum in morbos e vi nimia vitali testantes, vel contrarios in affectus, ndelebilis dispositio, et aneurysmatum, profluviorumue multorum prima rudimenta. Non sine omni raonis fundamento *cor magnum*, ut virtutis eminentis ynonimon ad nos usque pervenit; et si maxima fun-

ctionum omnium libertas, mentisque ipsius felicior dispositio, a prompto cruoris per organa sensoria decursu, ac singularum perfectione secretionum dependeant; oportet sane quamplurima *cordi vegetiori*, quae aliis principiis tribuuntur, adscribi. Caeterum cordis, volumine ac pondere, quascunque ob causas, aucti, profundior plerumque, deorsum extenso diaphragmate, positio, pulsatio est: quod *cordis prolapsum* dixerunt. Ex parte cordis in *osseam* substantiam conversa, non modo pulsus intermittens, dolorque sub costis sinistris; sed et *vomitus* assumptorum, ex compresso per cordis partem osseam, diaphragmati impositam, ventriculo, originem sumpserunt.

Hinc arteriarum, quae ex corde proficiscuntur, extensio, capacitas, divisio, libertas, quae viribus istius respondeant, et neque cedant nimis, neque imperent, morbum hoc in systemate organicum, ut vocant, non facile admittent; sed conspicuae mox turbae sublatum in utrisque aequilibrium sequentur, nec aliam originem aneurysmatum cordis in prima hominis aetate frequentia, quam vasorum corpusculi humani brevitatem, ac nimias, quas cordi opponunt, resistentias, vel congenita in cordis structura vitia agnoscere videtur. Pericardii cum corde concretionem, morbosamque crassitiem, duritiem, positionem cordis iniquam, unde motus hujus visceris praescriptus impeditur, pinguedinem nimiam cordis circa basin collectam, steatoma, vomicas, abscessus, in cavo pectoris, mediastini exorta, thoracis osseae conformationem perversam, subclaviarum axillariumque arteriarum exiguam diametrum, *aortae* aneurysma induxisse, — hujus magnae arteriae angustias, aneurysmata, polypos, palpitationes diuturnas, sanguinis torrentem cohibendo, cor ipsum dilatasse; — quae spiritum cavo pectoris, sub nisu fortiore, includunt, aut cruoris per pulmones contractos, compressos, infarctos, transitum diutius impediunt: haec, sinui cordis anteriori et auriculae, vel et cordi universo, violentiam intulisse, complura in fastis medicorum adnotata testantur exempla.

Cordis vero dilatati haec vitia, prout vel sinum, auriculam, ventriculum anteriorem, vel posteriorem occupaverint, oportet quidem ut distinctos ac proprios

cuique speciei effectus, sub suis initiis, producant: sed fatemur dolenter, vix ullos ex istis, qui satis certa significent, nec saepe ex aliis longe morbis descendant, a medicis intelligi. Interim applicita thoraci, ad anteriora converso, manu, vel aliquis et insuetus hic motus, vel nullus, — palpitatio aliqua, interdum vehementissima, vel nulla, — licet signa aneurysmatis in praecordiis haerentis caetera non desint, sentiuntur. Pulsatio diuturna, insolita, vibransque, respiratio difficilior promptiusque sese manifestans, anxietates majores, — aut *auriculae*, aut *ventriculi sinistri*, aut *cordis* totius, aut *aortae* aneurysma, — motus vero insolitus, vel nullus in praecordiis, vel talis, qui nullam, nisi venarum jugularium pulsationem sive fluctuationem diuturnam, animi deliquia frequentiora, inducit, — *venarum cavarum* in cordis viciniis, aut *auriculae*, aut *ventriculi dextri*, aut *arteriae pulmonalis* dilatationem non raro, aut saltem vitium aliquod, cujus sedes in cavis dextris cordis sit, significant. Tanta vero in cordis, arteriae magnae, vel majorum ex ista ramorum aneurysmate est pulsatio, vibratio tam insignis, ut vel auribus adstantium percipi, et a spatio longinquo oculis distingui non raro queant; ut claviculam, tam firmis ligamentis cum sterno junctam, ex articulo coëgisse, ac sternum caeterasque, vel seorsim vel simul, ut de corde *palpitante* alibi jam diximus (§. DLXVI.), in magni speciem tumoris elevasse, fregisse, sint visae.

Sed alium aneurysmatis, tum cordis, tum alterius majoris arteriae effectum in *ossa* vicina propius tetigisse juvabit. Non raro scilicet haec ipsa, vel vivente aegroto, a contiguo aneurysmate consumi, et conteri, confringi, vel quasi carie destructa, a morte cernuntur. Ossis sterni, ab arcu aortae dilatato, magna ex parte destructi, — et cutis superimpositae, cum interitu aegroti celerrimo, disruptae, nos bina in *Museo pathologico Ticinensi* exempla conservavimus, ac plura ab aliis descripta sunt. Ipsas adeo dorsi vertebras, ad spinalem fere usque medullam, consumptas esse, ex fida observatione habemus: ut male, non pauca aneurysmata ex ossis arteriae vicini carie, quae saepe *effectus* illius modo est, venisse sit dictum. Nec certe

caries, cum ossa ex aneurysmate laeduntur, *vera*, plerumque hîc subest; sed ictu vehemente arteriae dilatatae, qui toties locum ossis semper eundem arietat, hic idem, ut gutta cavat lapidem, contunditur, ac tenuem in lamellam extenuatur. *Cartilagines* huic magnae aneurysmatis violentiae restitisse, ac suam integritatem elasticitatis, qua instructae sunt, beneficio conservasse, conspectae sunt. Cum interim hae vires ad ossa confringenda sine dubio sufficiant; fateri simul oportet, ossis ita perfracti cariem, et causas istius, non ubique deesse. Scilicet pulsationis ac vibrationis in arteriae loco dilatato vehementia, tum ossis contigui periostio, et vasculis nutritioni osseae substantiae dicatis, infensa est; tum ad morbosam secretionem haec ad loca, et ad saccum aneurysmatis, contribuit. Multa nempe latentem in membranis arteriae quamplurimum extensis *chronicam* quasi *phlogosin*, ostendunt; ac dolor sub fine aneurysmati accedens, ac junctus subinde externis tumoribus rubor, haec ulterius confirmant: quo certe rerum sub statu, inique secretus humor, tum ossa vicina, tum ipsum aneurysmatis saccum arrodere, consumere, ac ut citius hic ipse rumpatur, disponere potest.

Ex cordis vero praeter modum dilatati, et arteriae majoris, aneurysmate correptae positione ac sede, non minora in partes et viscera vicina, ex istorum compressione laesisque functionibus, discrimina redundant. Sic a corde, vel sacco aortae aneurysmatico praemagnis, in vicinos pulmones, tam pondere, quam mole agentibus, tussis inanis, continua, dyspnoea, anxietas insignis, sub decubitu in dorsum plerumque crescentes, pectore antrorsum inclinato aliquomodo, sub initio, sopiendae; impedita in nonnullis deglutitio, somnus interruptus, laboriosus; difficilior sub motu corporis respiratio; molestiae, doloris sub sterno, ad scapulam sinistram, ad dorsum brachiumque sensatio, aut stupor in isto; pulsus parvus inordinatusque, sanguinis per tracheam rejectio in aliis, hydrops pectoris, nec minus vertigines, insultus apoplectici, paralyses, convulsio, extremorum frigus, syncope, ac tandem suffocatio sequuntur. Sub tantis vero causis malorum, interdum haec singula *remittere*, aut quasi ex toto *disparere*,

ac novae spes vitae concedi observantur; quae interim mox novo ac fortiore insultu deletur, aut ipsam in mortem commutatur.

Frequentius autem aortae, ramorumque istius, aut arteriae pulmonalis membranae, cum ad summum jam gradum dilatatio ascenderit, praevio sat saepe dolore acuto, ex improviso *rumpuntur*, et plurimus mox cruor in loca vicina, vel in partium cum sacco aneurysmatis concretarum cavitates, in pericardium, tracheam, bronchia pulmonis, oesophagum, — ad cavum abdominis, in ventriculum, intestina, vel inter mesenterii, ut experti sumus, laminas, sub morbi longe alterius facie, et cum celerrimo aegrotantis interitu, profunditur. Arteriae magis a corde remotae, externae, sanguinem, diruptae, musculorum cellulosa inter spatia eructant, et *spurium*, ut appellant, et cujus nos chirurgis disquisitionem et curam relinquimus, *aneurysma* conspectui produnt. Vidimus arteriam brachialem sub venae sectione simul sauciatam, ac *vero* sensim *aneurysmate* correptam, quin evidens tunicarum laceratio contigisset, *sanguinis quasi rorem* subtilem, per cutem, a maximo tumore non minus extensam, plorasse.

Sed antequam talia contingant; tum in cordis, aortae, tum aliarum arteriarum in cavis dilatatis, *lymphatica coagula*, quae vel sacci ipsius, ut diximus, formam in lamellas sibi superimpositas concreta, assumunt; — vel in variae figurae, magnitudinis, extensionis, densitatis, *polypos* (§. DLXXII.), nunc libere his in antris fluctuantes, nunc interne istorum superficiei adhaerentes convertuntur, succrescunt. Hi polypi, tam stimulo, quem loco arteriae dilatato, sensu necdum omni per *pseudomembranas* spoliato, inferunt, sacci, ac reliquae arteriae, quin cordis ipsius aliquando, vibrationes fortiores excitant; quam sua, qua truncum arteriae coarctant, mole, quod sola jam vasis dilatatio partim efficit, cruoris per reliquam arteriam motum infringunt, pulsationem arteriae a sacco exeuntis imminuunt, debilitatem, atrophiam in membro affecto suscitant; aut prorsus intercepto sanguinis per arteriam fluxu, nisi alia hunc parti vasa suppeditent, pulsationem vasorum, calorem, ac sensum omnem in ista exstinguunt, lethalemque gangraenam inducunt. Hos interim

effectus ab imprudente tumoris per manum inexpertam vexatione, decubitu in illum, ac polypi fluctuantis, ex sacco aneurysmatis in contiguam arteriam recessu, provocari, ac ipsam adeo mortem subinde induci exempla funesta monstrarunt. Docuit quoque observatio, aneurysma aortae praemagnum, quod sternum inter costasque sat diu comparuerat, vitae ultimo sub mense, sese visui tactuive, — scilicet mutata, a sacci pondere, tumoris positione, subtraxisse. Facile quoque est, aneurysmata, dissoluto sensim coagulato ac inter polypi lamellas haerente, vel alio sanguine, praecipue si vera inflammatio in vicina aneurysmatis orta est, *abscessuum* similitudinem assumere, et chirurgos minus cautos, locique, arteriis conspicuis instructi, et causarum praegressarum immemores, ut tumorem adaperiant, cum lethali effectu, inducere.

§. DLXX. *Diagnosis aneurysmatis externi; — aneurysmatis interni.*

Ex his (§§. DLXVIII. DLXIX.), quam gravis, quamque simul obscurus sit morbus *aneurysma*, satis elucet.

Externum quidem cognoscitur, si causis hujus mali, quas diximus, praegressis, tumor, loco, quo conspicua arteria decurrit, ex fundo arctiore in saccum assurgit, et pulsationem, cum illa cordis conspirantem, manifestat; si hic tumor, a cutis consueto colore, saltem a principio, non abludens, sub levi pressione, vel ipsa arteria tumorem adeunte sat fortiter compressa, evanescere, vel minui, — cessante vero pressione, cum sibilo, vel strepitu aliquo interdum, redire solebat, aut adhucdum solet; si arteriae a tumore decurrentis pulsatio exilis et simul inaequalis est, — membrum vero, hac sola forte arteria instructum, pallescit, frigescit, oedoematosum laxumque reddi observatur. Sed facile sub adulto jam aneurysmate, ubi densae, et polyposa materia infarctae sunt vasis affecti maembranae; ubi sacci aneurysmatici fibrae jam omnem, quo, stimulo respondeant, irritabilitatem amiserunt; ac tandem ubi cordis jam major subintrat debilitas, pulsatio, ac digito cedens mollities tumoris disparent. Subinde ex sacco aneurysmatis enormiter extenso, ac simul tenuiore,

sanguis contentus pellucet, et, ut nos ipsos conspexisse jam monuimus, exsudat; aut vascula cutis distracta, inflammationem, suppurationem, vel adeo gangraenam, concipiunt, ac praecipua sic aneurysmatis signa, nisi prima in morbi principia attentis, aufugiunt.

Sed major sub *interni* aneurysmatis suspicione, diagnosis difficultas nos premit. » Praecordiorum quidem aneurysmata, ut verbi gravissimi hac de materia scriptoris, quae supra docuimus, confirmemus, plerumque ab universali quadam, et quasi spasmodica, arteriarum adfectione, quae postremo in corde, aut summis in vasis determinatur, incipiunt. Hoc fit, ut aegroti utplurimum de vaga, atque huc illuc per collum, et artus errante arteriarum palpitatione conquerantur. Mox intra pectus malum consistit, saepe tussis urget, cor salit, et gravius pulsat; mox sepultus, ac brevi fugitivus corripit dolor, qui postea pertinacius haeret, et modo ad alteram scapulam, claviculámque, modo per brachium, quandoque usque ad cubitum propagatur. Tandem profunda persentitur pulsatio, elevantur alicubi costae, aut sternum, caeteraque succrescunt gravia et prorsus miseranda atrocis hujus mali phaenomena, subita utplurimum morte terminanda. « — Pulsus etiam, *internis* sub aneurysmatibus, utplurimum, ob sanguinis iter a corde in arterias, per polypos, aliaque obstacula, impeditum, contractus, renitens, convulsivus, et intermittens, praecipue viciniore in brachio, sentitur. Sub decubitu in partem vel istam, vel illam, inprimis supino, a corporis exercitio, vel a febre, plerumque haec symptomata increscunt, ac frequens functionum sensorii communis suspensio, interdum convulsio, paralysis succedunt. Interim complures sunt morbi, ab aneurysmate non parum diversi, sub quibus non minus haec signa occurrunt; vel ista, sub ipso aneurysmate, sat diu distingui non queunt. Fortissima cordis, aortae descendentis, vel ramorum istius principalium pulsatio haud raro in morbis spasmodicis, flatulentis, apud hypochondriacos, hystericas, — sub aliquo tumore, aut scirrho pancreatis, mesenterii, vel alio, haec vasa comprimente, sentitur: quin igitur sectio pathologica praecipitem medicorum de latente aneurysmate sententiam confirmet. Interdum

steatoma, abscessus sub sterno delitescens, hoc ipsum elevare, exedere observatur. Sub ipso aneurysmate interno, arteriarum caeterarum pulsatio saepissime, ac per omne vasorum istorum systema est *vehemens*; aut sub magno jam malo, licet debilis, naturali tamen ordine absolvitur. Vel sola cordis *moles* ad triplum aucta, cum *pericardii adhaesione*, in puero, ventriculi et pectoris oppressionem, cibi solidi sub esu crescentem, somnum perturbatum, dyspnoeam, tussim siccam, sinistri thoracis dilatationem, costarum elevationem, palpitationem in cordis regione vehementem, anxietatem, suspiria, decubitus in dorso latereque dextro difficultatem, cum pulsu debili, sed nec celeri, nec inaequali, tandem vero inordinato minimoque, ultimo hydropem, ipsamque mortem, *sine ullo aneurysmatis* vestigio, induxit.

§. DLXXI. *Causae aneurysmatum.*

Non esset, cur de *causis* aneurysmatum, post illas, quas hucusque tradidimus, plura moveremus; interim juvabit hoc obscuro de morbo nec ea hîc reticuisse, quae ex sola ratione, ac symptomatum ex indole deducta, experientiae ipsius adhuc fulcro indigere videbuntur.

Ac primo quidem, quod partim vir eximius jam monuit, aneurysmata *interna*, *spontanea*, quae, aut simul, aut unum post alterum, pluribus in locis, sine causa manifesta, comparent, plerumque *systematis arteriosi totius*, — vel malo ad certam modo partem extenso, saltem non raro, primae, seu *congenitae structurae a vitio*, modo temporis spatio magis magisque evoluto, morbum constituere censemus.

Ad alterum quod spectat, cum omnes, ut credimus, praeter unum, scriptores, causam *veri* aneurysmatis, in arteriae adfectae *laxitate* quaesiverint; nos certe, quamvis istam, ipsamque fibrarum muscularium arteriae *paralysin*, contra summi quondam viri opinionem, ut causam interdum subesse, conspicuis exemplis inducti, admittamus, plerumque tamen aliam, et contrariam laxitati originem aneurysmata, — tam ea, quae ex causis internis procedunt, — quam partem illorum, quae causis externis adscribi oportet, majorem, habere putamus.

Scilicet ab eo, quo primum *arterias* venasque internam ad faciem tam frequenter, vel sponte *inflammari* conspeximus, tempore, — et ab eo, quo alterius industria viri sanciatas alicubi venas phlogosin conspicuam non raro concipere, suppurari, intelleximus; dubium nobis superesse non potuit, morbos vasorum complures, hucusque nequicquam intellectos, hac sola ex origine, tam acutos quam chronicos, scaturire. Ad hos utique, nisi omnia nos fallant, *aneurysmata*, — non certe omnia, sed plurima saltem, spectare videntur.

Ac revera, si quis illa, quae complura aneurysmata praecedunt, comitantur, sequuntur, consideret; fateatur is oportet, singula docere: quod *phlogosis arteriae*, quo loco dilatata est, — vel causa, vel effectus tumoris ea fuerit, — vel maxime conspicuum aneurysmatum multorum phaenomenon constituat.

Praecedunt aneurysmatum tumores non paucos injuriae externae, nec non causae internae (§§. DLXVII. DLXVIII. DLXX.), quae, principium vitale stimulando, arteriae, ut partium aliarum, *inflammationes*, in floridis maxime ac robustis hominibus, excitare sufficiunt. Sequitur has causas, in multis, *dolor*, haud raro *acutus*, diuturnus, ad locum eundem, quo arteria in saccum citius aut lentius dilatatur, rheumaticis non absimilis. Sub interni aneurysmatis generatione, universalis hinc inde arteriarum adfectio, levis et vagus dolor, ardores, molestiae sensus, occurrunt.

Comitantur aneurysma jam factum, vel oculis conspicuum, vel ad interna latescens, pro sede, extensione diversis, tum dicta symptomata, tum vibratio ingrata vel modo ipsius tumoris, vel universi, apud alios, arteriarum systematis. Haec *constans* aneurysmatis *pulsatio*, vibratio, cum *debilitatis* in parte solida majoris hypothesi non satis conspirat: ac licet ipsa in *chlorosi*, cor utique, sub scalarum ascensu, aliisque a causis, vibrationem sat fortem experiatur; non tamen perpetuum semperque aequalem cruoris motum haec sistit, — cum interim in exiguo aneurysmatis tumore, se quasi *cor novum in ipsa arteria collocatum* manifestat. In plurimis, qui aliquo jam tempore subsistunt, aneurysmatum saccis, ut aliis in partibus

a phlogosi vexatis contingit, materia, ex lympha coacta conflata, subnascitur; pseudomembrana ex pluribus lamellis sibi superimpositis composita, parietes vasis internas obducit; alia, informes in massas coacta, ab istis pendet, vel libere cruento in lacu suspensae quiescit. Hucusque a sanguine hoc in sacco collecto, ob concessam sibi quietem, polyposam hanc materiam, ac pseudomembranas generari est creditum; sed nimius est advecti cruoris per communicantem cum sacco arteriam impetus, — tumoris est nimia, et reciproca in sanguinem ab arteria vectum vibratio, quam ut quies coagulo spontaneo necessaria, ac nequidem sufficiens, tam facile supponi hîc queat. Sanguinem per annos in folliculo sub mento collectum (Haematoma), quin coagulum subivisset, alibi descripsimus; atque tum loci calor, tum continua cruoris contenti renovatio motusque perpetuus, vix prius, quam sub syncope aliqua, sub ultimis vitae momentis, vel sub maxima sacci dilatatione, lympham a cruore separari, ac in massam polyposam coire permittent. Hinc pro phlogosis, vel acutae, vel chronicae, vel localis, vel hypersthenicae, vel asthenicae, ad internam arteriae tunicam latentis, effectu (§§. CXXVIII. CXXXIII.), puriformem hanc, in sacci confiniis haerentem, et in pseudomembranas tam pronam materiam habemus: qua, copiosis jam condensatisque lamellis, parietibus arteriae apposita, ac sensu istius, tam ipso hoc tegmine, quam fibrarum extensione infracto, sacci vibratio, modo novo ac fortiore a stimulo reditura, suspenditur; vel, penitus oblato vitali illarum principio, in totum exstinguitur.

Sequuntur aneurysmata, praeter enunciata symptomata, — non *placida* cruoris ampliora in spatia *effusio*, sed *impetuosus* continuo, ut ad loca inflammata solet, humoris purpurei *affluxus*, ac perpetuum tumoris pulsantis incrementum. Sub isto, non infrequens est cutis, aneurysmati impositae, *rubor* ac *phlogosis*; nec desunt *abscessuum*, super ipso tumore arteriae, in tunica adiposa natorum, et *gangraenae* exempla: quae certe, cum lenta sit pellis extensio; — non istius, sed inflammationis a vase dilatato in telam cellularem vicinam transeuntis, effectus sunt. Accedit, quod humor ex

sacco aneurysmatis exsudans (§. DLXIX.), non minus ac ille, quem, ut frequentem inflammationis effectum, descripsimus (§. CXXV.), infensam partibus vicinis et ossibus indolem manifestet. Sed et ipsam ad superficiem aortae internam, lamellis osseis obsessam, *ulcera* reperta sunt; ac saepe hac in sede aneurysmatum, *erosionis* vestigia, — quae non ubique osseis arteriae morbosae ex *spiculis*, hanc ipsam suo sub motu laedentibus, derivanda sunt, — non aequivoca haeserunt.

Cum interim natum arteriarum in sinu incendium pro causa multorum aneurysmatum potiore agnoscimus; non igitur hypersthenicam ubique, sed asthenicam plerumque, alias vero modo localem inflammationis arteriosae esse indolem, supponimus. Sub ista, ut ex phlogosis membranacei canalis cujuscunque historia patet, *puriformis* copiosa est materiae generatio: quae materia ad superficiem non minus canalium, quam in telam tunicae cellularem, exprimitur, ac mollem sub initio his in cellulis infarctis pultem, extensionis capacem, — lapsu vero temporis *rigidiorem*, et qui, fortiore cruoris ab impulsu, facilius *rumpatur*, saccum arteriae constituit.

Duplicem hinc aneurysmatum spontaneorum, totius systematis ex vitio venientium, originem admittimus: quarum una, quod jam *Archiater Romanus* notavit, ex causis fibras stimulantibus, et aucto praeter modum, unoque vasis in spatio, principii vitalis, cum inducta abhinc phlogosi, vigore, — altera ex causis deprimentibus, atque ex stimulo nunc minore, nunc majore, quam par est, seu asthenica arteriae ex phlogosi, procedat. Quod vero ex causa *locali* oritur aneurysma; illud, nunc congenito cordis, arteriarum ex vitio natales trahit (§. DLXVIII.), nunc vero ex arteriae structura, a causis laedentibus varium in modum adfecta, mutata, derivandum est.

§. DLXXII. *Polypi. — Polypus ramosus. — Polypus membranaceus. — Polypus tubulosus. — Polypus informis. — Causae. — Polyporum effectus. — Polypi cavorum visceralium.*

De *polypis*, vasorum adfectione, jam plura exposuimus (§§. DLXI. DLXV. DLXVI. DLXVIII. DLXIX.

DLXX.): et sicut illi, morbi alterius praegressi *effectus* esse solent; ita eum semel adoleverint, horrenda symptomata, etiamsi hanc veteres originem malorum prorsus ignorasse videantur, et ipsi producunt. A figura, quam refert, vermis aquatilis, vel *sepiae octopodiae L.* appellatus est *polypus*, nequaquam cum *excrescentia* circumscripta membranae mucosae narium, pharyngis, vaginae, uteri, etc. cujus, eodem sub nomine, alia est indoles, confundendus.

Est autem *polypus*, lymphae, in cavis canalium morbose secretae, adversum functionibus istorum, coagulum. Sedem haec concretio figit primum, vel ipsis in ductibus sanguineis, vel aliis, quibuscunque in cavis, in quibus morbosa secretio lymphae praegressa, nec satis haec educta est. Interdum polypus ex primo, in quo natus est, loco, in cavum vicinum, cum isto communicans, ut ex pelvi renali, per ureteres, in vesicam urinalem, ex sacco aneurysmatis, in liberam arteriam, defertur. Alias, cum tunica cavi interna cohaeret, ac firmiter connascitur; vel cruore circumseptus, fovetur. Varia est polypo forma, — extensio, pro cavo, quod occupat, multiplex. Ex cordis auriculis, non raro vicinum in ventriculum, — ex isto, in arterias contiguas, longissimos interdum per tractus, — tot caudis, quot ramis arteriae, venae, recipitur, instructus, extenditur. Mollis ab initio, et ex tremula gelatina confectus, a canalis, vel a sanguinis alluentis actione, nunc arteriae, venae, sinuum cerebri, tracheae, bronchiorum, intestini ad latera, in *pseudomembranas*, ex totidem lamellis, ceparum in modum concentricis, compositas, densatur; — nunc *tubuli* in formam, qui sanguini, aëri, urinae, transitum largiatur, concrescit; ac interdum, aut vermis sub imagine, ex vesica, — aut arteriae sub aspectu, ex bronchiis, — aut, intestini sub forma, ex ano rejicitur. Nunc in *massas densiores*, inaequales, vel cavo, in quo haeret, conformes, tot ex stratis membranaceis, sibi mutuo incumbentibus, ad centrum firmioribus, constantes, efformatur. Color polyporum, pro varia concretionis aetate, ac pro varia secretionis morbosae ratione, nunc ex albo flavescens, nunc albus, ac distinctis in punctis splendescens, nunc, cruoris portione

adhuc aliqua lymphae coactae permista, vel inclusa, rubescens, vel sanguinis quasi filis, lamellas inter decurrentibus, distinctus est. Consistentia polypi, tam pro lymphae in coagula nisu minore, majore, — quam pro temporis ratione, et pro vasorum, a quibus illa solidiorem in massam compingitur, conditione, diversa occurrit. Vasa quidem sanguinea, arteriarum venarumque in polypis hucusque non vidimus; sed talia a nobis in *pseudomembranis*, recentibus licet, conspecta (§ CLXXXVI.), ac plures ante annos, *Ticini*, expertas per manus cum hydrargiro injecta, et *museo pathologico* commissa, faciunt, ut illorum in polypis canalium superficiei adhaerentibus generationem, ut facilem, concedamus.

Non tam facilis est, ac pridem credebatur, coaguli in lympha morbosi explicatio. Polypos ex sanguine, sub ejus *motu* vel plurimum *imminuto*. *intercepto*, vel prorsus *cessante*. — sub *caloris* naturalis conspicuo *defectu*, — sub *aëris attactu*, nasci, est dictum. Clarorum interim virorum instituta hac super re experimenta, hanc non penitus fundatam esse opinionem docuerunt. Qui aqua submersi, vel alia ratione in asphyxiam inciderunt; his immotus quidem diu haesit, sed non coactus fuit sanguis. Vena jugulari, utroque fine ligata, canis vivi e jugulo resecta, et glaciei posthinc commissa, — e gelu quidem contentus cruor coivit; sed calore eidem restituto, pristinam hic illico fluiditatem acquisivit. Facilius sub antlia pneumatica, quam sub aëris attactu, cruor coivisse est visus. Etsi vero haec ita se habeant; virium tamen vitalium, quae massam humorum coire impediunt, ipsas ad leges, pars lymphatica istius partim solidescit, et quae ex solidis detrita, consumpta, laesa fuerunt, resarcit. Quemadmodum vero morbi sunt, sub quibus corporis nutritio, ac solidae adpositio materiae fere omnis arcetur (tabes, atrophia, marasmus); ita sub aliis, haec ipsa in parte una, prae aliis, abundat, et omnis fere lympha in illam deponi, et, quin forma, lumina vasorum, aut functio ejusdem tollantur, coire observatur (Physconia, moles aucta). Alii sunt morbi, a quibus lymphae coagulum, ut a morte subitanea, fulminis ab ictu, a ventriculi contusione violenta, sub priapismo, etc. impediatur. Sunt alii, in quibus, ut

in *gangraena*, sanguis illico in vasis adfectis condensatus reperiatur. Atqui cum sanguinis fluiditas, a virium vitalium imperio, cujus effectus est motus humorum, pendere videatur: tam parum tamen, hoc ipso vix non in totum sufflaminato, illa ubique mox perit: ut non modo in asphyxia diuturna, in animalibus a gelu duras quasi in massas coactis, ut diximus, — sed ipsam adeo interdum post mortem, substitisse, conspecta est. Nec minus habentur morbi, sub quibus, vel ante, vel promptius post mortem, cruoris contingat coagulum: ut igitur nec vires vitales quidem ab isto semper quemvis defendant; nec illarum defectus, sanguinem coire ubique mox jubeat. Partium, quae sanguinem constituunt, globulorum rubrorum, seri, et lymphae ab invicem separatio, istius quidem coagulum promovere est dicta; sed ipsa haec *separatio*, effectus, non causa, dicenda est; nec in parte *viva*, tanta sanguinis in partes suas divisio, quanta quidem ad polyporum generationem requiritur, quin alia subintrent, exspectanda est. Nobis interim videtur, lymphae partes, quae solida resarciunt, praeter suam a cruore et a sero separationem, et in loculis, quibus susceptae fuerunt, condensationem, vix aliquid requirere. Aliud vero de *morboso* lymphae coagulo ac polyporum de genesi dicendum esse. credimus: ut quae, nisi perversam lymphae, qualis sub partium inflammationibus contingit, secretionem pro origine agnoscat, — hanc ipsam nos protinus ignorare ingenue fatemur. Non tam *chemica* principiorum diversorum, oxygenis, alcohol, acidi mineralis, veneni, contagii, — quam *stimulante* istorum in solida actione, polypos ex lympha, his satis custodita, produci, verisimile nobis videtur. Hinc, si frequens animi deliquium, asphyxia, terror pavorque summus, frigus febrile extremum, ac multas in horas, ut *algida*, *perniciosa* in febre, protractum, aneurysma, varix, valida arteriae compressio, constrinctio diuturna, pulmonum infarctus, aut sanguinis per eosdem decursus impeditus, aër frigidus ad uterum cruentum a partu, aut vulneri admissus, lymphaticas concretiones ac polypos produxisse sunt dicta; haec magis de causis, quae illa ipsa primum induxerunt, dicenda esse videntur.

Qui polypos *vivente* in homine nunquam, sed modo post *mortem*, generari dixerunt; hi, quamvis de plurimis, in corde ac arteriis concretionibus ab obitu repertis asseri hoc queat, ultro quam par est, negando processerunt. Evidens polyporum in homine vivente existentium, ex iis, quos saccus aneurysmatis, jam pulsare cessantis, tam saepe, vel ipsum ad tactum, circumdat, quorumque in cavum arteriae tam plena est periculi reversio (§. DLXIX.), argumentum desumitur. Alterum, quod has lites componat, ex ipsa aneurysmatis polyporum praegnantis excisione chirurgica habetur. Nec minus ligata duobus in locis animalis arteria, — lympha sanguinis eidem inclusi, brevi mora in polypum concrescit; ac eadem in cruris humani arteria, amputatione peracta, per fascias munita, non multos post dies contigisse sunt visa. Post mictum cruentum, post haemoptysin, non raro ex sanguine in vesica urinali, in bronchiis collecto, concretio polyposa formatur, et magno sub labore interdum expellitur. Nec facile, cum alia praegressorum symptomatum in morbi historia, aut in cadavere ratio non subest; ac durior, exsucca, fereque tendinea concretio, arctissime cum cordis aut arteriae superficie interna connexa in conspectum se prodit, — de morbi origine hoc ipso ex polypo, dubitare prudenter quis potest.

Quamvis vero haec ita constituta sint; non tamen ideo *polypi interni* tam certa sunt symptomata, ut illius ex istis praesentiam asserenti, non magna in judicio errandi praebeatur occasio. Praecipua, quae auctores signa polyporum in praecordiis haerentium commemorant, sunt: istorum angustia, dyspnoea, minori corporis sub motu adaucta, cordis tremor, palpitatio, spasmodicus ad sternum, vel fixus in cordis regione dolor, pulsatio carotidum, subclaviarum vehementior, torpor brachii ex latere adfecto, pulsus in eodem obscuritas, motus arteriarum nunc parvus, tardus, nunc vibratus, sed maxime inaequalis, ac saepe intermittens, quasi aquae corde cadentis, ipsius aegroti ab auribus percepta sensatio, lipothymia aut syncope frequens, et pedum oedema. Sub polypo in *dexteris* cordis caveis, quod frequentius a morte observatur,

haerente; pulsus arteriarum vibrantes esse, aut minus exiguos, ac interdum frequentes, — jugularium venarum distensionem, fluctuationem, faciei ruborem, livorem, sopores, apoplexias occurrere, — concretione in corde *sinistro* defixa, pulmonum a cruore infarctorum signa. dyspnoeam, tussim, haemoptysin subinde, pulsus obscuros et exiles, inaequales, et intermittentes adesse, est dictum. Sed quantum haec singula ab ipsa refutantur experientia! ut quae toties in illis, qui polypi nequidem vestigia in cadavere offerebant dum viverent, accusata fuerunt; aut, polypo, haud exiguo satisque duro, in uno, aut utroque cordis in cavo post mortem stagnante, nec uno quidem excepto, defuerunt. Certe, quae ipsa aneurysmata, quae hydrothoracem, pericardii hydropem, aut arctam cum corde cohaesionem comitantur, symptomata, — ea cum dictis polyporum indiciis quoad plurima conveniunt; ac si multa ex illis adesse, — potissima ex istis deficere videantur; *suspicari* quidem polypum vasorum aut cordis, — sed minime ut certe praesentem asserere, licebit.

Clarior longe, et certe frequentior est polyporum multorum, qui aliis, quam *vasorum* in cavis, ex iisdem principiis, nascuntur, proventus. Post *haemoptysin* non raro, ex lympha in bronchiis concreta, polypi, istorum figuram, — vel cavi si fuerint, sanguine, in medio ipsorum non ita pridem haerente, liberati, *arteriarum*, ut nos quoque conspeximus, quasi formam ramosam ac lumina assumentes, succrescunt: qui polypi, tusses feroces aridasque, dyspnoeam diuturnam, spasmodicam inducunt; donec felici subinde eventu per tracheam, — ut in *cynanche laryngea* membranas polyposas aegroti rejiciunt (§. CLXXIII.), expelluntur. Post *haematuriam*, similia in renibus, urethere, vesica, interdum succedunt; ac longi, diversique coloris, consistentiae variae polypi, — interdum cavi, tubulosi, ac fistulam urinae perviam, — aut vermes referentes, ex vesica urethraque excreti, extracti fuerunt. Similia post *vomitum cruentum*, tum in ipso ventriculo, ac intestinorum in cavo, — similia in utero puerperarum, post praegressa hoc e viscere profluvia cruenta, contingunt, magnamque malorum, ad singulas has partes, seriem inducunt.

§. DLXXIII. *Venarum adfectus. — Venarum inflammatio. — Varices. — Sedes. — Varicum effectus. — Causae varicum.*

Non aliae in *venis*, quam in ipsis arteriis, diversis licet symptomatis stipatae, aegritudines se produnt: et quamvis obscurior in illis, quam in istis, *nervorum* sit historia, — quamvis nullam venae, sub experimentis, *sensibilitatem*, *irritabilitatem*, ostendisse referantur; manifeste tamen in virgine, cui singulis mensibus saphena interanın ad malleolum insigniter, uterinae evacuationis in locum, tumebat, — in viris, quibus venae spermaticae praeter modum turgebant (*cirsocelen* has *varices*, nomine inepto, vocarunt) haec vasa doluisse, — vix referendo ad loca vicina molestiae sensu, compertum habemus: ac frequens venarum inflammatio, tum spontanea, tum maxime per externas laesiones inducta, de proprio his vasis sensu sat aperte testantur. Hinc similes in venis, a phlogosi per internam superficiem diffusa, effectus, pruritum, ardorem, dolores, tumores oblongos, funisque tensi, aut variis nodis intersecti, figuram assumentes, abscessus, concretiones, duritiem tunicarum admitti oportet: quae singula, recentiorum observata, et sectio pathologica confirmant.

Sed ex eo, quod minor venis, quam arteriis, membranarum sit crassities, ac majorem sui luminis ad parietes rationem venae agnoscant, — quod magis cordis imperio subtractae sint, — ac demum quod majora sanguini redeunti, a pondere cruoris proprio non minus, quam a nixu musculorum diuturno, vel a nimia istorum quiete ac inertia, vel ab ipsius respirationis impedimentis. et causis morbosis diversis, obstacula ponantur, frequentius venae, quam arteriae, praeter modum dilatantur, — et vel uno, vel pluribus in locis, in tumores sensim crescentes, circumscriptos, inaequales, ab initio molles, compressioni cedentes, mox ab ista, sine propria pulsatione, resurgentes, doloris plerumque expertes, ad partes externas, a sanguine pellucente, ex rubro coeruleos, subnigros, elevantur: *varices* dixerunt.

Venarum inter valvulas hi tumores praecipue occur-

runt; sed et illis in venis, quibus valvulae negantur, systematis venae portarum, uterinis, pulmonalibus, cerebri interioribus, ac minorum adeo venularum, nullis certe valvulis praeditarum, in retibus, varices, nunc *solitariae*, nunc vero *gregales*, nodosae, oblongae, haud raro comparent. Crurum pedumque frequentius venae praeter modum et maxime conspicuos in nodos turgescunt, — praecipue in gravidis, aut partum expertis mulieribus, in bajulis, equitibus. Genitalia feminarum non minus, quam venae virorum spermaticae, utriusque sexus venae recti intestini ad finem collocatae, ac tunicae oculi albugineae, labiorum oris ac palati, ut vidimus, ramuli venosi, haud raro tumoris hanc speciem patiuntur. Quamvis interim omnis huic morbo vena subjecta sit; ex *internis* tamen partibus, praeter dictas, frequentius varices ostendunt corticalis substantiae cerebri, cerebelli anfractus, plexus choroidei, pharynx, oesophagus, ventriculus, intestina, vesica urinalis, urethra, ipso cum utero vagina, cordis adeo superficies externa, pulmonum substantia.

Varii sunt varicum, pro venae dignitate, magnitudine, sede, divisione, — pro ipsius tumoris venosi aetate, amplitudine, extensione, — pro causae hunc morbum inducentis differentia, effectus, — externis in partibus manifesti, ad internas obscuri, ac non raro funesti. Plerumque *secundarium*, *symptomaticum* varices morbum, cujus causa saepe longe ab illis distat, aut aliis, vicinis in partibus haeret, constituunt; sed ipsius saepe venae *locali* ex vitio, interdum, ut nobis videtur, totius systematis, ut supra (§. DLXVIII.) de arteriis aneurysmate multiplici, spontaneo correptis monuimus, ex effectu, varices descendunt. Sub trunci venosi majoris varice conspicua, singuli, aut praecipui ac vicini mox rami sanguinem difficilius exonerant, ac ipsi, multarum quasi rete varicum efformant, facileque oedema partis, unde venae ascendunt, producunt. Ad canales excernentes, angustos, ad ostium vesicae, ad urethram, extensae in visceris venae, liquidorum effluxum ex parte, vel in totum, periodica interdum actione, intercipiunt. Ad fauces, oesophagum, ciborum ingressum, — ad anum, faecalis excretionem materiae, difficiles reddunt, aut penitus

suspendunt. — Ob vaginae varices, concubitum cum viro mulieri molestum, et facile cruentum, sat saepe observavimus. Viscerum eavorum ad superficiem expansae varices, non modo naturalem istius laevitatem tollunt; sed membranae villosae, mucosae tensionem, sensibilitatem adaugent, et chronicae quasi phlogosis statum, majore sub infarctu, in eadem inducunt. Hinc ad bronchia, tracheam, dyspnoeam ac tussim, — ad vesicam urinalem, retinendi, mittendi lotii difficultatem, — chronicum, in stomacho haerentes, vomitum, — ad anum, continuum pruritum, tenesmum progenerant. Vicinas, extensae nimis venae, partes molliores distrahunt et comprimunt, ac varias sic cerebri, cerebelli, medullae spinalis, ac nervorum, qui ab istis egrediuntur, turbas, dolores, vertigines, soporem, paralyses inducunt. Arteriae vicinae adposita varix, in motus illi naturales haec abripitur; vel illa forte laesa, exesa, ac sociam in venam adaperta, a cruore, aliquando cum strepitu, irruente, arteriae in modum attollitur, et pulsat (*aneurysma varicosum*, §. DLXVIII.). Ubi tela cellulosa varicem laxior circumdat; extenditur facilius venae saccus: donec major distensio, aut fluidi indoles stagnantis, dolorem ac phlogosin hic excitet. Sub istis humor puriformis ex venae superficie secretus, et in cellulas vicinas effusus, vel pseudoabscessus in istis efformat; vel easdem arcte cum venae dilatatae membranis connectit, crassiores, densiores has reddit, aut cum cute, forsitan vicina, strictissime colligat. Cutis ipsa, jam dudum a tumore extensa, durior, callosa hoc in loco, et a statu sanitatis aliena, phlogosis fit particeps: quae, si forsitan verus ad venam abscessus nascatur, erosa, dirupta, difficilis curae in ulcus convertitur. Interdum varix, aut nimis extensa, aut, illata violentia, rumpitur, et sanguis sub cute in cellulas vicinas effusus, *ecchymoses* (§. CCCLXXXIX.) constituit; aut ipsa pellis, forte tenuior, simul adaperitur, nigrumque cruorem, — nunc, sub aliquo symptomatum levamine, nunc saltem sine damno, nunc vero cum summo aegrotantis, a sanguinis jactura, discrimine, eructat. Si ad partes haec internas, et ad viscera contingant; pro sanguinis effusi copia, et loci ab eodem inundati natura, peri-

cula augentur, ac rupti aneurysmatis interni effectus, tardiores plerumque, sequuntur. Sed interdum sanguis varicis in antro stagnans, phlogosis occultae ad internam venae varicosae superficiem actione, densiorem ac fere polyposam in massam convertitur. Mutatur tunc, et oblongam, vix digito cedentem, figuram assumit varix: unde major in partes subjectas compressio, cutis superimpositae tensio, squalor, durities a frequente, quo invaditur, erysipelate adaucta. Sub fortiore his in partibus phlogosi, quam saepe stagnantis in varice corruptio materiae inducit, ulcus iterum, profundum, ossibus vicinis non raro funestum, rebelle, ac facile gangraenosum, subsequitur.

Quamvis vero haec toties externas ad varices contigisse sint visa; vix tamen, ut diximus, *internae varicis* indicia sat certa noscuntur. Interim non semper vanam istius suspicionem nutrimus; ubi partem externam, cum internis continuam, venulis varicosis obtectam, ac symptomata visceris aegroti, quae facile huic causae tribuantur, conspicimus. Frequenter in senibus, copiosis oculi albugineam varicibus obsessam, ac morbi soporosi, *apoplexiae* imminentis vestigia simul observavimus: ubi facile ad eandem venarum cerebri, quam oculorum ea apparuit, conditionem conclusimus. Sub *dysphagia*, cardialgia, vomitu chronico, interdum eructo (§. DCXIII.), inprimis periodicis, quorum aliam, quae magis satisfaciat, rationem non detegimus; ubi venulae pharingis quamplurimum varicosae cernuntur, — si eundem venarum oesophagi, ventriculi statum esse suspicamur, non semper a vero aberrabimus. In colicis doloribus, tensione abdominis, si recti venas intestini turgere videamus; aliarum sub causarum defectu, non sine fundamento ad abdominis infarctum localem venosumque concludemus. Sub tumente ex venis haemorrhoidalibus recto, si urinae vel retinendae, vel mittendae difficultas periodice recurrat; sat aequo judicio in venarum, quae vesicam, aut istius cervicem exornant, habitu varicoso, aut saltem infarctu sanguineo, morbi causam collocabimus.

Haec singula majorem certitudinis gradum, si ad causas, quae varices inducunt, et quas forsitan prae-

gressas esse constat, respicimus, acquirent. Quae sanguinis per venas ad cor reditum sat diu aut repetito in parte vel difficilem reddunt, aut quodammodo impediunt, — varicum ut causa potissima haberi merentur. Nativa forsitan venarum, vel omnium, vel partis alicujus, debilitas, major corporis in longum extensio, proceritas, — haec ad vitia disponunt. Innumera sunt, quae sanguinis iter per venas retardare, et sicut fascia brachio circumducta, hujus venas stringendo, ita reditum cruoris ex parte quacunque intercipere queunt. Moles uteri gravidi noto hîc exemplo est: quae toties in feminis, vel uno, vel utroque in crure varices inducit. A partu absoluto, hae varices disparent; sed frequentior, brevi spatio annorum, graviditas, has denuo venas in tumorem attollit, ac inducta demum locali vasorum *debilitate*, varices perpetuas relinquit. Eundem ad modum tumor quivis in venas vicinas, aut sibi subjectas, agit. Hinc vicina exostosi, tuberculis pulmonum, glandulis infarctis, scirrhis, cysticis aliisque tumoribus vasa venosa sanguine turgent, et varicum quasi plexus efformant. Hinc viscera obstructa, faeces duriores in crassis intestinis collectae, toties praegrandes ad anum varices inducunt. Pulmonum infarctus, vel alia respirationis obstacula frequens in corde dextro et auricula, aneurysma, ut diximus (§. DLXXI.), generarunt; sed omne venarum systema eadem a causa adficitur: hinc venae jugulares, faciei ac cerebri, sub longa acutoque cantu, sub flatu tubarum, sub longa oratione, turgent, nec raro violentiam, nervorum origini funestam, patiuntur. Diuturna ac spasmodica musculorum, quos inter venae decurrunt, contractio, nixus repetitus, diuturnus, ponderum graviorum gestatio, huc spectant. Nimia ventriculi, intestinorum, per cibos ingestos, aut per flatus, extensio, venarum in illis tenorem infrangit, sanguinisque per easdem aequali decursui obest; sed major est spasmorum, dolorum, in reditu cruoris perturbando, potentia. Sub frigore febrili, diuturno (§. VI.), sub terrore insigni, vasa cutis constrictae collabuntur et sanguis majores modo ramos vasorum internos transcurrens, enormes in praecordiis angustias inducit. Similes fere, thoraces, fasciae, et vestes arctiores in

corpus effectus exercent; atque, plures ante annos, praegrandem ex caligis angustis in crure juvenis robusti varicem conspeximus. Intestina, herniae in sacco haerentia, abdominalem ad annulum longo tempore, quin major strangulatio sequatur, compressa, varicosas saepe venas ostendunt. Quae venas necessario motus musculorum moderati privant subsidio, — vita deses, otiosa; quae cordis, arteriarum actionem in systema venosum sat longam per moram imminuunt, ac valide infringunt; quae venas partis debilitant, — contusio, concussio; vel demum quae sanguinem in illam magis invitant, — pediluvia, clysterum calidorum, carbonum accensorum, quos hieme cruribus subdunt feminae, abusus, huc pertinent: nec minus est cruoris reflexui, ex diuturna corporis incurvatione, obstaculum. Erecta corporis, in pedibus, vel ad equum positio longa multumque in tempus continuata, varices haud paucis ad illos inducit, aut praesentes volumine auget. Qui ob ossis fracturam, luxationem articuli, ob podagrae dolores, diu crure extenso supini jacuerunt; illis, quamprimum pedibus insistere, incedere conantur, — hi ipsi non modo tument, sed livent quandoque ac summopere dolent: eo quod venae cruris, ob longam hujus inertiam, elasticitate sua privatae ac debiliores, in varices exsurgant, et, nisi fascia munitae, musculorum motum vix non omnem intercipiant.

§. DLXXIV. *Prognosis aneurysmatum; — polyporum; — palpitationis; — varicum.*

Prognosis, quae morbos vasorum conspicuos, inflammationem, aneurysmata, polypos, palpitationem, varices, concernunt, argumenta jam satis ex dictis (§§. CXX. CLXXXIII. DLXVI. DLXVII. DLXVIII. DLXIX. DLXX. DLXXII. DLXXIII.) elucent.

Aneurysma *internum*, ubi signis sat certis se prodit, vix unquam perfectam medelam admittit; et quae istam admisisse referuntur, — ea, magnam, alterius naturae morbum subfuisse, suspicionem relinquunt aneurysmata. Qui ex istis decedunt; hi, vel ex sanguinis profusione, nunc subito, nunc aliquot spatio horarum, vel ex partis adfectae, compressae, suoque sanguine privatae, gangraena, vel dolorum effectu, vel ex cordis

i cruore recipiendo, expellendo, movendo, impotentia, — suffocati, hydropici, aut forti sub haemoptysi moriuntur. Juniores ac robustos magis homines, citius, quam aetate provectos debilesque, — celerius viros, quam feminas, ex aneurysmate perire, docet observatio. Aneurysma *varicosum* sine magno periculo perfertur. *Externa* aneurysmata, nisi causas internas agnoscant, a manu chirurgica, si accessus huic detur, non raro auxilium admittunt; modo vasa, quae partem, exsecta arteria, nutriant, non desint.

Polyporum, sicut incerta est diagnosis, ac plurima cum aneurysmate complicatio; ita prognosis quam maxime est dubia. Quod si polypi, cordis aut majorum vasorum in cavis revera existant: quo magis adolescunt; eo certe duriores redduntur; nec nota sunt, quibus similes concretiones solvantur, remedia. Majora sunt ex polypi recessu ex loco, quo sanguinis fluxum haud prorsus impedivit, in alterum, pericula; ac mortem subitaneam induxisse ille visus est.

Palpitationis, nisi cordis aut vasorum ex vitio organico, vel ex polypis venientis, haud tanta esse solent discrimina: quae interim cum tussi, dyspnoea, syncope, faciei pallore incedit; ea certe non exiguam attentionem meretur; ac pro causae, ex quae pendet, differentia, prognosin diversam agnoscit. Interdum ab arthritide, ab impetigine ad cutem comparente, a fluxu haemorrhoidum, vel alio, restituto, — a vermibus excretis cordis palpitatio disperditur. Sunt, quibus longam per vitam palpitatio, sine damno istius, molesta fuit: qui tamen *juvenes* hoc malum jam experti sunt; hos fere omnes praepostere et ante senectutem periisse, docuit observatio.

Varicum externarum, moleque parvarum, simplicium, et a causis localibus venientium, haud magna est significatio: interim neglectae ad insignem non raro magnitudinem ascendunt; et profluviis cruentis, interdum lethalibus, ac ulceribus malignis, internis, ut alibi docuimus, ansam dedisse compertum est. *Internae* varices, si modo sat certa est diagnosis (§. DLXXIII.), pro loci, quem occupant, pro causae, unde descendunt, ac pro suae extensionis ratione, periculi plerumque sunt plenae similemque aneurysmati exitum

minantur. Caeterum varices, morbi, cujus ipsae *symptoma* esse solent, prognosin sequuntur.

§. DLXXV. *Cura aneurysmatis.*

Cordis vasorumque vitiis, ut vocant, *organicis*, internis, perfecte mederi, supra humanam plerumque est positum potentiam; ac omnis in eo, ut symptomata moderentur, et funesti, quam diu possunt, effectus arceantur, versatur scientia.

Felicior haud raro in externis his malis tollendis *chirurgia* est: cujus interim ab aliis vobis exponenda, tentamina, systematis universi dispositio, adfectio morbosa, frequenter eludit.

Quamvis vero spes modo exigua successus in curando aneurysmate supersit; non igitur ea mox omnis deponenda, sed eo major in causis morbi tam rebellis indagandis solertia adhibenda est. Si forsitan syphilis, scorbutus, scrophulae, vel alia solidis infensa ratio (§ DLXVIII.) aneurysma praecesserit; ad hanc primum omnis convertenda est attentio. Cum vero frequentius aneurysmatum causa in arteriae locali *inflammatione* sit posita (§. DLXXI.); major in hanc ipsam, quamprimum violentia externa, vel causa interna, huic similis, praecesserit, superandam, dirigenda est cura. Sub communi aneurysmatum theoria, licet omnem haec culpam illorum in arteriae dilatatae *debilitatem* conjiceret; oportuit nihilominus fateri, *victum tenuem*, *quietem corporis et animi*, *venaesectiones repetitas*, *medicamenta, ut vocant, antiphlogistica*, potiorem in hoc morbo, licet jamjam provecto, felicius tractando partem constituere: nec desunt exempla arteriae, sub venaesectione simul incisae, ac largo sanguinis, vel ad syncopen usque, profluvio ex eadem concesso, solius splenioli impositi, aut fasciae, qua artus omnis involvitur, ope, quin aneurysma succederet, feliciter sanatae. Interim ut hanc ipsam cum pristina hypothesi experientiam conciliarent; principales in sanando aneurysmate indicationes, in eo, ut *nisum fluidorum* in vasa *imminuerent*, et ut vasorum *renisum* in eadem haec fluida *augerent*, a viris conspicuis sunt positae. Hos vero non parum inter se ipsos pugnare fines curationis, cuilibet sponte apparebit; ac, de *interno*

eurysmate loquendo, qua methodo attingi hi queant, noramus. In *externo* hoc vitio, a causis violentis ducto, in homine robusto ac laute nutrito, venaectio ac methodus debilitans, — fracto vero jam mulo locali, aliqua arteriae compressio adhiberi cum entu sat bono possunt: vidimusque nos ipsi, *verum* teriae brachialis aneurysma, post infaustam venaectionem exortum, ad anserini fere ovi magnitudinem ovectum, per *argillam*, cum *aceto scillitico* communiam, ac tumori molliter, donec siccior argilla fieret, rum iterumque adplicitam, trium fere mensium rriculo, ad nucis juglandis volumen fuisse imminum; et cum femina impatiens, hoc, tam aequali ac ita compressione agens auxilium deponeret, tumomque, insano certe empyrici consilio, cum oleo ungeret, ad insignem mox molem increvisse. Sed aut *interno* aneurysmati auxilii hoc genus, vel alia mpressio, vel corroborans medicina applicari, quin ista, nisus fluidorum in vasa, aut istorum in illa, igeatur, nequit; ita simul et motus sanguinis infrin-, ac tempore eodem dilatatae arteriae contractio tineri non potest. Compressionem arteriae majo-, internae, in tumorem, et exterius, ad jugum, inter costas, elevatae, complures, — sed efctu vix non semper iniquo, tentarunt; ac omne, e flebili sub rerum positione, subsidium, in illis, ae vim cordis in saccum aneurysmatis imminuant, venarum repetita hinc inde sectione, in victu parum triente, in opportuna corporis quieti positione, in cto excretionum moderamine, aut in blandis, quae vum exonerent, remediis, est positum. Nec ipsum extremitatibus *oedema*, aneurysmatis non raro coes, quin vena, urgente in casu, tundatur, ubique pediet; ac saepe, restituto cruoris liberiore circulo, mor ille disperditur. Interim vis vitae jam plurimum pressa, ac instantis ex hoc ipso hydropis periculum, nites et huic, precario certe in tantis jam angustiis, xilio ponet; nec celandum est, quosdam, aneurynate vetusto correptos, sub ipsa cruoris missione, - vel quod tumor, ob aucto tunc cordis motu, disiret, vel nimis jam exhaustos, periisse. Accedentes nç inde calamitates majores, instituta pedum cum

pannis asperis frictio, aut extremitatum in tepidam immersio, aliquando sublevabit. Nec *opium*, licet sanguinis motum augendo, sub aneurysmatis principio noceat. sub extremis, ac toties ab animi pathemate deprimente adauctis his turbis, optatum hinc inde effectum negabit. Quae alia laudantur ad *spissum*, ut esse volunt, sanguinem solvendum, vel ad *tenuem* nimis, quod iterum in aliis gratuito supponunt, inspissandum, remedia; ea certe singula, ut ratione non minus, quam felici effectu destituta, rejicimus. *Alterantia*, ut vocant, medicamina, nisi nota sit vitiorum, quae fluidis inhaerere creduntur, vera indoles, meliore vix jure, quam ea, quae diximus, aegrotis offeruntur. *Adstringentia*, — vel sanguinem, ut talia, intrare, sine validis argumentis supponantur, — vel nervorum consensu ex abdomine in partes distantes agere dicantur, — vel partes quascunque stimulando, suos edere affectus credantur, concessa etiam *locali* ad saccum aneurysmatis *debilitate*, talia tamen, quae in hunc praecise locum, non in omne arteriarum systema cum damno operentur, nos quidem ignorare fatemur.

§. DLXXVI. *Cura polyporum.*

Sub tanta *polyporum* ambiguitate (§. DLXXII.), quae salutem attulisse referuntur, auctoritate haud magna instructa esse queunt, remedia: quos vero *sectio cadaverum* polypos confirmat, — horum certe lethales reliquiae curationis adhibitae methodum perparum commendant. Quae lympha, morbose secreta, in partibus tenore vitali adhucdum instructis, coivit, — nec ipsa vivum vasisque ornatum in solidum mutata fuit, aut intime cum illis concrevit; ea quidem vi partis eandem amplectentis vitali, per artem, aut in febribus, adaucta, longas adeo temporis post moras resolvitur interdum. Quod vero lymphaticum morbosumque concrementum, vasorum apparatu dotatum, cava corporis morbose implevit, ac in unam eandemque cum iisdem substantiam concrevit, aut ab istorum amplexu, dominari ac regi ut queat, nimis separatum est; hoc, — quidquid de polypi, cadavere extracti, promptissima diversis in menstruis solutione sit dictum, — qua

ratione per artem possit subjugari, ignoramus. Quod si perspectas nobis causas polyporum rimemur, easque vel in sanguinis motu lentiore aut vix non suppresso, vel in phlogosi interna quaeramus (§. DLXXII.); sequetur, ut medico, istarum effectum inhibituro, incumbat, ut vel has causas praevideat, et ab homine avertat, — vel demum, his positis, quod a nimia quiete zoire, aut a phlogosi cogi, concrescere incepit, promptissime eliminet, ejiciat. Stagnantes in cavo corporis aquae, gluten animale, seu matrem polyporum, non raro ad viscera, — vel citius eductae, vasis ad fundum deponunt. Post internas inflammationes, saepenumero humor puriformis parietibus adfectis adhaeret, et apud multos aegrotos in urinis comparet *sedimentum puriforme*, quod ex lymphae, a phlogosi in parte adfecta mutatae, ob subfluidam adhucdum naturam resorptae, nec tamen amplius in sanguinem convertendae, rudimentis conflatur; et per vias urinales, per alvum, per sudores viscosos expulsum, tum viscera obstructionis, cohaesionis morbosae a metu, tum systema vasorum, quem retenta inferret, a stimulo et a metastasis iniquae formidine absolvit. Hinc si quid ab arte exspectari hîc potest; erit hoc, ut post causas lymphae coagulo faventes, — istius principia, priusquam duriores in massas concrescant, nunc vires cordis augendo, nunc easdem infringendo, per opportuna colatoria expellat. In casu igitur symptomatum, quae polypis a motu cruoris intercepto oriundis attribuere licet, — excitantia remedia, pro variis istius causis diversa, infusum arnicae, serpentariae virginianae, moderatas alcali volatilis, camphorae, mercurialium, ammonialium doses, et quae simul urinae secretionem promovent, salis vegetabilis alcalini solutionem in vino rhenano, vel in succo petroselini, vel dauci hortensis cum mellis portione superaddita, aquam calcis, aut martialem, commendamus. In casu, quo phlogosis vasorum, aut febris inflammatoria, seu hypersthenicae naturae, praegressa, polyporum in causa fuisse videatur, — nec minus in eo, quo polypus aequales aneurysmati tumultus arteriarum in systemate excitaverit; ea ipsa, quam hoc in malo proposuimus (§. DLXXV.), antiphlogistica medendi ratio, sub iisdem cautelis locum inveniet.

§. DLXXVII. *Cura palpitationis cordis.*

Aneurysmatis, polyporumque cura vix exsposita (§§. DLXXV. DLXXVI.), cum ex ipsis his malis tam saepe *cordis palpitatio* descendat (§. DLXXII.); istius simul pertractandae rationem ex parte jam dedimus. Tam multiplices vero hujus vitii sunt causae (§. DLXVI.), ac tam saepe illud aliorum modo *symptoma* morborum est; ut ex istorum magis, quam ipsius palpitationis ex indole, plerisque certe in casibus, quaerenda sit indicatio. Omissa interim hîc loci aegritudinis ex alia pendentis consideratione, si ex cordis actione nimis intensa, ex aucta visceris vitalis irritabilitate, palpitatio procedat; ea ipsa, habito ubique ad causas respectu, debilitantem per methodum minuenda est. Cordis contractionem violentam quam maxime sollicitant, sanguis, quantitate, vel impetu majore illius ad cava allidens, vel stimulus quicunque, instrumentis cruorem moventibus inhaerens. Hinc victus tenuior; potus aërque frigidus, quies, venaesectio, fluxus cruenti naturalis, aut soliti, ac forsitan suppressi, per applicitas ano, pudendis aut naribus hirudines, provocatio, circuli humorum per partes resistentes restituta libertas, pediluvia, blanda intestinorum evacuatio, — hinc stimuli latentis correctio, vel alias in partes, minus nobiles, directio, potissime conducunt. Si *debilitas* majorque *sensibilitas* ad cordis contractiones convulsivas contribuant: tunc, non neglecta et hîc causarum indagine, methodus corroborans, victus nutriens, vinum generosum, corticis peruviani decoctum cum vitrioli elixirio, martialia remedia, vel et opium, moschus, aether vitriolicus, assa foetida, valerianae radix, salesque volatiles indicantur. Malo hinc consilio venae sectio, quocunque palpitationum sub casu, a multis instituitur; pluresque abinde in lethalem pericardii, thoracis hydropem inciderunt. Interim nec hîc, solo ex *pulsu*, forsitan aut pleno aut magno, virium mensura haurienda est; ac saepe sub illo solum venaesectio subsidium constituit.

§. DLXXVIII. *Cura varicum.*

De *externae varicis* cura, quae chirurgis incumbit,

sermo hîc esse non potest; et quam difficulter *internos* venarum tumores Medicina dignoscat, aut forsitan praesentes constante effectu dispellat, fassi jam sumus. Quod si varicum ad causas (§. DLXXIII.) respiciamus: mox venas ex alieno magis, quam proprio ex morbo, tumere, — atque hinc auxilia magis illi, quam isti, opposita indicari patebit. Omnis scilicet *varicum internarum*, in eo, ut obstacula reflexui cruoris contraria tollantur, ac venae nimis extensae debilitas cum remediis, quo fieri id possit, loco adfecto vicinius admotis, corrigatur, est posita medela. Cum vero primae indicationi satisfacere ubique et in omnibus haud liceat; hinc, ut *locali* magis vitio medeamur, ac, — suppressae penitus per tumentes haemorrhoides urinae, vel et faecum excretionis exemplo, — ut urgenti occurramus periculo, cruorem ex venis externis, quibus certum cum internis commercium esse novimus, interdum lanceolae aut hirudinum auxilio evocamus, compressionem, tensionem ac stimulum imminuimus, ductus excretorios turgentibus a vasis occlusos, impeditos reseramus, et concessis quodammodo induciis, morbi causam primarii superare conamur. Hoc praestito, venosae dilatationis effectus aut vasorum debilitatem, tum recta vivendi ratione, sub debito corporis exercitio, frictionibus, positione partis pridem adfectae opportuna, — tum petitis ex classe roborantium remediis auferre studemus.

§. DLXXIX. *Profluvia cruenta. — Definitio.*

His igitur, quae sanguinem (§. DLXI.), — et quae ipsos, quos hic percurrit, canales (§§. DLXII. — DLXXVIII.) concernunt, — perspectis, — illis vero, quae *vasorum lymphaticorum* morbos concernunt, alium in locum reservatis, proprius ad ipsius *profluviis cruentis* considerationem accedimus.

In generali profluviorum definitione (§. DLXIV.), *haemorrhagiae* quoque illa continetur. Scilicet ubi cruor, praeter legem sanitatis consuetam, sine impetu, copia minore, ex parte corporis guttatim, extra profunditur, *sanguinis stillicidium*, — si cum majore vehementia, quantitate, celeritate, vel exterius, vel clandestine in corporis cavum aliquod prorumpit, *proflu-*

vium cruentum vocamus. Alio quidem *macularum, ecchymosis*, sub nomine venit, ubi sanguis telam cellularem subcutaneam inundat, et in ista restagnans, coloris in pelle mutationem inducit; sed partim profluvium cruoris a solidis vicinis circumscriptum id sistit; ac pro tali, *petechias*, *ecchymomata*, et *maculas scorbuticas*, ac tamen a classe morborum, non sine rationum magnarum fundamento sejunctas, habemus (§§. CCCXVII. CCCXCII.).

§. DLXXX. *Ordo rerum tractandarum.*

Cum vero multa sub speciali profluviorum doctrina melius, ac suo quaevis loco ordinentur; paucis modo praemissis, potissimas hîc fluxus sanguinei species considerandas aggredimur; ac licet menstruus, qui feminis ad partum maturis ex lege naturae fluit, cruor, vel tempore, vel mensura limites praescriptos non raro excedat, ac primo sic ordine morbosus hic fluxus collocandus videatur; alium nihilominus hîc eligere, ac primum, *capitis*, — mox viscerum *pectoris*, *abdominis* in cavis positorum, mox partium *urinae* secretioni, excretioni dicatarum, ac demum *genitalium* jacturas cruentas exponere praeferimus.

§. DLXXXI. *Diversitas.*

Quod vero de profluviis in genere jam diximus (§. CDLXV.), hoc de *cruentis* non minus retinendum est: scilicet quod alia *internas*, — *externas* alia, ob causas nascantur; alia, ex *primario* vasorum, aut *totius* systematis, aut *locali* tantummodo, aut *composito* demum vitio, — atque nunc ob nimium illorum in fluida impetum (*haemorrhagia activa*, *hypersthenica*), — nunc ex negata istis resistentia (*haemorrhagia passiva*, asthenica) procedant; — alia, alterius vi morbi (*haemorrhagia secundaria*), — nunc sub evidente istius decremento (*haemorrhagia critica*), — nunc sine isto, vel potius cum damno (*haemorrhagia symptomatica* auctorum), propullulent; — alia, cum *febre* varia, tam continua, quam intermittente, — alia, sine istis. — atque nunc *vaga*, quovis sine ordine, nunc *habitualia*, ad certae leges *periodi*, decurrant. Ratione sedis, vel *externa*, vel *interna*, seu

bscondita, est; atque nunc *arteriarum*, nunc *venarum*, non facile semper distinguendis ex ostiis apertis, venit haemorrhagia. *Epidemico* hinc inde imperio haemorrhagiae aegrotos eodem tempore quamplures exhauriunt; in aliis, certe per *haereditatem* in haemorrhagias varias dispositio, peculiaris structurae ac solidorum ex culpa, subnascitur. De profluviis *spontaneis* nobis maxime hîc sermo est: quas externa violentia (*haemorrhagia traumatica*) inducit; has, *chirurgiae* ad forum spectantes, aliorum committimus solertiae.

§. DLXXXII. *Sedes, et frequentia haemorrhagiarum.*

Ex omni quidem corporis superficie sanguis hinc inde, vel in apertum, vel in cava vicina, stillasse est visus; sed facilius hic ex partibus sponte prorumpit, quae structuram spongiosam, rariorem, ac ramulos vasorum copiosos, tela minus firma custoditos, agnoscunt. Hinc interna superficies narium, bronchiorum, ventriculi, recti intestini, pelvis renalis, ureterum, vesicae, urethrae, uteri, vaginae, a sanguine copioso obruta, vel alio demum modo adfecta, hunc facile dimittit, ac habitualem cruoris apud multos scaturiginem constituit. Juniores inprimis, et alacris ingenii homines profluviis cruentis, a quibus interim nec ipsa debilitas, et sanguinis adeo inopia omnes defendunt, prae aliis subjecti sunt. *Activae*, frequentius verno, quam alio, tempore succedunt. Suae interim cuivis aetati *regiones* sunt, quae sanguinem lubentius, ac alio sub vitae stadio, eructent. Sic pueris, nasus, — juvenibus, pulmones, ventriculus, — alvus, vesica, adultis, cruorem facilius, quam partes aliae, fundunt. Jam senes, iterum ad nares, sed maxime ad cerebrum, non aequali utrumque ad locum sorte, sanguinem amittunt. In genere, illi, qui sub habitu corporis molliori, ciborum nutrientium, potuum spirituosorum desiderio ultro satisfaciunt, assumpta satis facile subigunt, nec tamen motu corporis, aetisque labore excretionibus, ea, quae ad partium incrementum, nutritionem impendi haud possunt, disperdunt, et quorum hinc vasa capaciora, debiliora, vel ipsum ad oculum cruore regurgitant, aut, saepius

majori, quam par est, *sensibilitate* instructa sunt (§. DLXVI.), profluviis cruentis, prae aliis, subjecti sunt. In universum, vix ullas haemorrhagias, aut arteriarum, aut venarum haemorrhoidalium, in brutis bestiis locum habere, sat recte est dictum.

§. DLXXXIII. *Symptomata generalia. — Prodroma.*

Nunc vero signa haemorrhagias spontaneas aliqua praecedunt; quorum interim nullum sat firmum, aut constans, aut cuivis ex illis commune, sed, pro *activi*, aut *passivi* profluvii natura, diversum est. Nunc, et saepius certe, sanguis inopinato, ac sine praegresso, saltem noto medicis, indicio prorumpit. Primo in casu, ad ea, quae oculis patent, loca, *congestio*, venarum inflatio, intumescentia levis, aut rubor longe lateque circa partem, ex qua sanguis prodibit, observantur; atque tum his in locis, tum ad partes profundas, ac nobiles, quae sanguinem expellent, plenitudinis, repletionis molestae, tensionis, titillationis, pruritus, caloris sensus, — interdum certus horroris gradus, cui calor, pulsus frequens, plenus, subdurus, ac vere febrilis succedunt, observantur. In illis, quas *asthenicas* vocavimus, haemorrhagiis, excepto, in multis, tumore *varicoso* (§. DLXXIII.), frequenter hae turbae locales deficiunt.

Sed vel haec signa profluvium cruentum praecedant, vel desint; pars certe maxima symptomatum, quae praecipitantem ex imis visceribus sanguinem in homine comitantur, ex *animi terrore* descendit; aut saltem cum effectibus istius miscetur, ab iisdem mutatur, ac alium longe, quam in aliis animalibus hoc a morboso phaenomeno aut parum aut nihil commotis, adspectum assumit: pallescunt, sanguine necdum orbatae genae cutisque; sudor frontem humectat, extrema frigescunt; anxietas praecordia, tremorque membra invadunt; cordis adest palpitatio, ac pulsus, qui forsitan huc usque pleni fortesque, aut vix sano a statu diversi fuerunt, contracti, exiles, celeresque redduntur. Hinc maxima interdum in profluvio *hypersthenico*, ab *asthenico* sat prompte distinguendo difficultas est, ac plurimi a medicis aegrotantium non minus, quam affinium terrore, a recto consilio distractis, ac in illa,

uae morbum praegressa sunt, in habitum aegroti, ausasque mali non satis attentis, committuntur errores.

Pro ipsius vero sauciati canalis hiatu, ac fugientis ìtalis undae diametro, celeritate ac impetu diversis, — pro varia partis, quae sanguinem aut rejicit, aut, ffusum coacervat, indole, functione, — pro causae, uae profluvium vel hypersthenicum, vel asthenicum nduxit, diversitate, — pro sexus, aetatis, constitu-onis ratione, alia aliaque, sub hac *praesentis* haemorrhagiae periodo, symptomata nascuntur. Sub lenta anguinis jactura, pars illius longe major, quam in ubitis illis haemorrhagiis, quae de violato vase majore estantur, sine tantis in aegroto symptomatis amitti otest; ac revera in lento malo, humores tenuiores, ui subtiliora vascula permeant, in evacuata vasa rubra uccedunt, massamque sanguinis reliqui sustinent et ugent. Sub magnis profluviis, vel antequam haec iant, cor, stimulo consueto privatum, quiescit, — asphy-ia primum, ac denique mors ipsa, sequuntur. Hinc aepe, ubi gravior urget cruoris jactura, mox summa nxietas suboritur; succedunt visus obnubilatio, osci-ationes frequentes, vomitus; tinniunt aures; lypothy-niae, et facile convulsio scenam claudunt lethales.

Est vero, ubi in ipsa, mortis alias praenuncia, syn-ope, princeps servandae vitae lateat remedium; atque ine magna in aegro suscitando, stimulando, sunt osita pericula. Sub *hypersthenico*, quod vis nimia itae excitavit, et quod ex signis istius jam expositis ognoscitur, profluvio, si modo amplioris non subsit aesio canalis, — nisi hujus, dimidiam ad partem perti, ostium, ab ea, quae adhucdum est integra; landi recusetur, — aut peregrinum nisi corpus, parti aesae infixum, istius contractionem praepediat, excreta anguinis, quae stimulum aluerat, portione, *corio*, ut ocant, *phlogistico* frequenter, sed certe non ubique, bducto, sub debita corporis ac mentis quiete, peraepe sensim sensimque imminuitur, ac sponte sistitur ruor fugitivus.

Contrarium plerumque in ea, quam *asthenicam* appellant, et quae ex infracta solidorum potentia scaurit, signisque istius ab *hypersthenica* distinguitur,

haemorrhagia spontanea succedit; atque in ipsa, quam aeger jam perdidit, cruoris unda, majoris latet jacturae origo.

Quo haemorrhagia, naturae, ut vocant, artificio sistatur, hoc non semper tam clarum est. Arteriam minoris diametri, sub vulnere recisam, sibique ipsi relictam, emissa cruoris sinceri portione, propria sensim sensimque contractione claudi, atque, ipso pro sanguine, liquorem primum ex pallido rubellum, dein serosum, mox vero nullum, transmittere, laesionum in parte molli docet historia. Non raro effusi portio cruoris, vulneris, cavi vicini, cellulosae in spatiis *coacta*, vasis laesi orificium obturat, vel in hoc ipso, — quod interim sectio pathologica non semper confirmat, delitescens, solidum sanguini fugienti obicem ponit. Sed in eo, quod sponte ex morbo contingit, profluvio, prout hoc ex causis nunc in omne vasorum systema, nunc in solam, quae cruorem evomit, partem, aut in utraque agentibus, nascitur: ita et ipsa haemorrhagiae cessatio, vel in totius systematis, vel in partis solius, vel in utriusque mutatione, ab illa, quae post mechanicam vasorum laesionem succedit, saepe multum diversa, quaerenda videtur.

§. DLXXXIV. *Causae. — Causae haemorrhagiarum hypersthenicarum. — Profluvium cruentum ex secretione morbosa. — Causae haemorrhagiae asthenicae. — Haemorrhagiae complicatio.*

Sed quemadmodum obscuritate hîc plena sunt omnia, sic et *causarum*, quae profluvia cruenta inducant, vacillat doctrina. Ex illis interim, quae de profluviorum rationibus in genere jam diximus (§. CDLXVI.), lux aliqua affulget, atque ipsa specierum consideratio, clariorem hac, attentis accendet.

Subtilius omnino, quam in omnibus vere, antiqui, conditiones vasorum, sub quibus sanguinem ex morbo transmitterent, posuere. Quamvis etenim illa, ut cruorem, quem continere deberent, emittant, vel laesa esse, vel interstitia nimis ampla seu poros aequo majores habere, vel humorem justa densitate privatum et ad fugam promptiorem vehere sit dictum (§. CDLXVI.); et quamvis canales cruorem vel ex dilatata nimis ostio-

um diametro (per *anastomosin*) eructare, — vel sejunctis ab invicem fibrillis adhuc integris, quasi per cribrum (per *diapedesin*) transsudare, vel ob cohaesionem fibrarum solutam laesamque (per *diaeresin*), nunc vi mechanica externa, secante, pungente, contundente, lacerante, aut ruptione a contentis distendentibus illata (per *rhexin*), nunc erosione ab acribus (per *diabrosin*) disperdere referantur; vix tamen ut simplex fibrarum sejunctio profluvium cruoris tam facile inducet, aut tanta sanguinis contenti acredo, quae vasa erodat, admitti potest: et si ostiorum dilatatio, ac laesio vasorum, non rarum profluviorum comitem offerre fateamur; haec tamen in morbis *internis* non adeo primam haemorrhagiarum rationem, quam alterius effectum causae, sistere putamus.

Non exigua nimirum inter causas, quae febrem hypersthenicam sive inflammatoriam (§. CXVIII.), veramque inflammationem (§. CXXV.), — ac inter eas, quae activas, *hypersthenicas* haemorrhagias inducunt, affinitas subsistit: ac revera, sicut inflammatoria adfectio nunc totum systema, nunc modo partem istius prehendit, atque nunc febrem accendit, nunc eadem communis incedit, et topicum magis vitium constituit; ita et cruenta faciunt profluvia, atque ipsius adeo inflammationis symptoma (sanguinis, sub ista, vel puriformi cum humore remisti, vel sinceri, per ductus excretorios rejecti, vel in telam partis inflammatae cellulosam effusi testimonio) vix non perpetuum nobis exhibent. Quod vero magis profluvii *activi* cum hypersthenicis adfectibus affinitatem ostendit, est illius forsitan per artem, aut casu, praepostere cohibiti, transitus in hos ipsos perfacilis; est sanguinis rejecti phlogistica plerumque indoles; sunt methodi debilitantis, atque fluxus ipsius cruenti manifesta utilitas; ae denique frequens partis, ex qua sanguis prosiliit, inflammatio, et in abscessum conversio. Hinc male nuper, vel quodvis cruoris profluvium morbosum ex sola *debilitate* scaturire est dictum: et quamvis haemorrhagiae ex majoribus quamplurimae hunc statum solidorum sat cito inducant; non tamen hic sanguinis amissi effectus, *debilitantem* mox a principio jacturae causam cruentae praecessisse, testatur.

Nec certe, ut sanguinis profluvium hypersthenicum esse dicamus, requiritur, ut impetus cruoris, *a tergo* ut ajunt, *venientis*, universi systematis actione in partem unam adaucta, ubique supponatur; sed sufficit major aequo in vasis organi *irritabilitas*, ut loco humoris consueti, mucosi, serosi, *cruentum*, marte proprio, expellat, aut, quod *sensu pathologico* nobis dicere liceat, *secernat*. Ad illa quippe, quae *activa* dicuntur, profluvia, *secretio morbosa* magis, quam actio mechanica contribuit: et quae, sub illa, vasorum repletio, dilatatio, aut simul ruptura, succedunt; hae, stimuli, qui secretionis opus aut invertit, aut novam inducit, *effectus* sunt. Hoc docent bronchiorum, urethrae, vaginae, intestinorum, a phlogosi correptae, ac primum *serosos*, dein *puriformes*, ac demum *cruentos* humores, stillantes superficies; — ostendunt frequentia haemorrhagiarum, non exiguarum, sine ulcere reliquo, vel cicatrice sanatarum exempla; commonstrat facilis profluvii unius in alterum ex illis conversio, aut fluxus, forsitan una in parte cohibiti, in altera successio; — ipsa uteri *periodica*, sine ulla, in multis plethora, *secretio*, — aut vicaria sanguinis ex uberibus, aut ex parte corporis quavis alia, distillatio (§. DCXLI.), confirmant. Si major aliquando sanguinis quantitas, quam ex minorum vasorum *secretione cruenta* exspectare valeamus, prorumpat; id utique majoris laesioni vasis interdum tribuatur oportet; sed saepe suum in cava viscerum ampla sanguinem vascula eructant, et quamprimum haec plena sunt, *collectum*, ac saepe jam coactum cruorem cum impetu rejiciunt; vel ille ipse, qui *sanguinem secernere* vasa coëgit, stimulus, alia, majora, dirumpit, et uberioris simul haemorrhagiam originis producit. Hic stimulus est, qui, lege ignota, humores ad vasa eidem subjecta allicit et convocat, secretionis rationem pervertit, immutat, ac vi fibrarum praeter modum adaucta, sanguinem per vasa minora, vix alios huic patula, urget, aut simul majora disrumpit. Sed ipse jam sanguis, vel ob extensos per omne vasorum systema tumultus, iniquo cum impetu ad vascula ex sua natura infirma appellens, — vel ob inaequalem ejusdem caeteras per partes distributionem, pro stimulo est vasis, quae ob spongiosam

c laxam organi, cui praesunt, structuram, se alio, uam cruento, liberare modo non queunt.

Sed quemadmodum hypersthenici causam profluvii ruenti, a partis, ex qua hoc ipsum contingit, maore stimulo, et aucta vasorum actione derivamus; a *asthenicae*, quas vocant, haemorrhagiae, ex aucta asorum incitabilitate sic dicta originem petunt: sub ua, locali praesertim affectu, sanguis in parte debili opiosius, quam par est, colligitur; ac minores hîc, uam alibi, ubi forsitan amplorum obstructio, compressio, constrictio spasmodica vasorum, circuitum humorum suspendit, resistentias experiens, has ipsas, acto, sanis ex vasis, cruoris impetu, leviore labore uperat. — Jam sola partis *suctio*, vel apposita illi ucurbitula, sanguinem vasorum imperio, sine cordis adhibita, vel aucta saltem, potentia, subducunt.

Haec vero *hypersthenicam* inter ac *asthenicam* haemorrhagiam differentia intercedit: quod, licet tam ına, quam altera, sub totius systematis affectione, ex vasis quibuscumque contingere queat; vix tamen prima, ex pluribus simul locis, sed potissime ex uno, ad quem impetus solidorum vel maxime dirigitur, prorumpat, cum *asthenica* profluvia (ut sub febribus asthenicis nervosis (§. LXXXVIII.), in scorbuto, sub ictero nigro, ac morbo *maculoso haemorrhagico*, ut aliqui appellant, videmus) indistinctim, nunc istis ex vasis, extensa per omne istorum systema cessione, facile, — quin igitur hos morbos *profluviorum ad classem* referamus, praecipitet. Non aliter hoc in casu, quam ubi, laesis, a lanceola chirurgi, arteriae tunicis externis, cruor membranam illius internam urget in saccum, seu aneurysma (§. DLXVII.) distendit, ac denique dirumpit; dempto, per *causas internas*, fibrarum arterias cingentium vigore, sanguis sub levi cordis aut partis impetu, resistentias vasorum minores superat, et vel hiantibus ex ostiis, vel ex reclusis canalium repagulis, aufugit. Frequentius haec in parte, quam in toto vasorum, — in *venoso* frequentius, quam *arterioso* in systemate contingunt; atque hinc plurima cruoris profluvia de *locali* vasorum vitio, cui *venae* prae arteriis subjectae sunt, testantur.

Est tamen non rara et his in rebus *complicatio*:

nec partis, ex qua sanguis profunditur, debilitas, ac *asthenica* profluvii his in confiniis indoles impediunt, quin totius systematis, ad sthenicos adfectus dispositi, a re quavis excitante inductus impetus ad illud vel plurimum contribuat. Sic femina, robusta simul, ac ab aliquo jam tempore medorrhoea insonte, — *locali* vitio nimirum (§. DXXXII.), — affecta esse potest. Huic, sthenica si febris accedat, sub impetu febrili, sanguis facile ex utero jam debili prorumpit: cui interim profluvio generalis venaesectio prudenter opponetur. Sic febris ejusdem prosapiae, in juvene vegeto, sed pulmonum locali debilitate, ac simul nunc bronchiorum catarrho (§. DXI.), affecto, sputum sanguinis non raro producet. Venaesectio hoc ipsum, quod sthenici habitus ac febris sub absentia auxisset, profluvium sedabit. Fateamur interim oportet, viscerum nobilium, aut partium, ex vitio locali humorum jacturae subjectarum, *asthenias*, vix diu cum totius systematis habitu *hypersthenico* simul incedere; illaque viscera, si suis minus praesint functionibus, aut partes infirmas, quae liquores necessarios disperdunt, mox reliqui systematis inertiam pedissequam habere.

§. DLXXXV. *Prognosis.*

Praecipua jam *prognosis* haemorrhagiarum momenta alibi (§§. CDLXVII. DLXII.) protulimus. Profluvium sanguinis *hypersthenicum*, quemadmodum frequenter ex rationibus inflammatoriae febris ipsiusque inflammationis causis affinibus exoritur (§. DCLXXXIV.); ita stimuli, vasorum systemati generali, speciali inhaerentis effectus, moderatum, saepe magis, quam ipsa venaesectio, corrigit, ac vel ipso sub morbi, inprimis *localis*, principio, criseos aemulatur beneficium. Quod vero frequenter hoc ipsum imminuit, est sanguinis ex viscere nobili, vel in cavum istius, vel in telam cellulosam vicinam, effusio, infiltratio, coagulum, impedita rejectio, corruptio, corrupti resorptio, et inducta ex illis, partium compressio, irritatio, functionis necessariae suppressio. Intempestiva hinc profluvii hypersthenici, quod vires non exsuperat, cohibitio, non paucos vel totius systematis, vel partis cruentatae morbos inducit, relinquit.

Profluvium *asthenicum*, ex *generali* vasorum affectione descendens, tam ut signum, quam ut causa, pericula minatur. Quae vero ex *locali* vasorum debilitate, repletione derivatur, haemorrhagia, ea, pro sede sua, et pro causis, non exigua quidem sanitatis incommoda in multis producit, aut indicat: sed ubi conspicuam cruoris jacturam non infert, — ubi alii, vel sanae, vel consuetae evacuationi pro supplemento est, — vel ubi diuturnam jam cum ea habitudinem aegrotus contraxit; non raro cum aliquo istius emolumento continuat. In genere, tum causae, tum quantitatis, celeritatis, ac subjecti, in dijudicandis profluviorum periculis habenda est ratio. Si talis est causa, ut auferri non queat; si sanguis multus in cavum corporis, quo educi haud possit, aut in visceris parenchyma effunditur; si subito, ex vase conspicuo, aut majore quantitate, aut longum per tempus, vel in viribus exhaustis, in gravidis, in sene, vel tenero infante haemorrhagiae contingunt; tunc majora ex hoc phaenomeno cruento rerum imminebunt discrimina: sanguis, rubris particulis, quae propriam sibi densitatem largiuntur, amissis, aquosum vix non in laticem resolvetur; fibras cordis motrices efficacia minori stimulabit; secretiones, quae sat valido cordis a motu pendent, imminuet; ac, praeter pallorem, languorem corporis universi, facile vel hydrops, vel febris lenta cum tabe, vel lethalis aliquando convulsio praedicenda sunt. Quod vero aliquoties, quacunque demum a causa, redivit, — id facile revertitur, et *periodum* assumit, non sine magna cautela supprimendum, *habituale* profluvium: ut igitur ab ipso, quod vasorum plenitudinem laxorum imminuit, auxilio, novae repletionis, vel *cruoris*, ut rectius dicamus, *intolerantiae*, porrigatur occasio.

§. DLXXXVI. *Profluviorum cura generalis.— Venaesectio. — Adstringentia. — Frigida. — Caloris actio in nervos. — Digitalis purpurea. — Opium. — Ligatura.*

Quas jam alibi (§. CDLXVIII.) regulas profluviorum curandorum generales adduximus; hae, ad *fluxus* etiam *cruentos* sufficiunt. Non tam certis interim praesidiis *Medicina* pro internis, quam *Chirurgia*, cui vasorum

ligatura, compressio, styptica, ustio, ad manus sunt, pro externis profluviis, suffulta est.

Princeps quidem in haemorrhagiis *hypersthenicis* in eo est posita indicatio; ut cordis arteriarumque in liquida contenta actionem frenare, simulque cruoris congestionem dissipare conemur. Atqui, cum ipse jam sanguinis fluxus solidorum potenter impetum infringit; sibi tamen relictus ille, ad mortem saepe usque, impulsus praecipitat cruor, *et quod hypersthenicum a morbi principio fuit, — hoc sub fine*, post pauca interdum temporis momenta, *asthenicum redditur profluvium;* nec facile est, rectum auxilii naturalis moderamen definire.

Ratio hinc, *spontaneam* haemorrhagiam in *artificialem*, cui pares, pro lubitu, sistendae foremus, convertere suaderet; ac saepe, praeter illa, quae (§ CDLXVIII.) proposuimus, auxilia, suscepta in parte sana et opposita, venaesectio, morbosum ac incertae mensurae sanguinis profluvium cohibere videtur. Ast vero, non semper, fracta alibi, per venae longinquae incisionem, resistentia, — haec, minor ac in loco, quem sibi morbus elegit, redditur; ac saepe sanguis vel utrumque per ostium aufugit; vel imposito venae sauciatae spleniolo, ex viscere sponte cruorem fundente pergit fluere rebellis. Quodsi tardius, quam par est, et exhausto jam viribus aegroto, vena tundatur; facile, quod reliquum est, vitae pabulum, ipsam per artem infauste disperditur.

Hae sunt, quae medicum ad lectulos premunt, — nec solae sunt, quae premant angustiae! congestiones quidem, tum eo ipso, quod vim cordis et arteriarum imminuimus, stimulumque generalem, specialem et cruoris ad partem affectam concursum moderemur, dividimus; tum vasa corporis a quavis compressione liberando, partes longinquas molli balneo fovendo, et sanguinis affluxum in easdem sollicitando, dissipare conamur; sed certius haec iterum in *inanimi*, quam *sentiente* ac semetipsam proprias ad leges movente machina hydraulica, pro voto succedunt; ac frequenter, quae *revulsionis*, *derivationis* sub titulo laudantur, cruoris nequicquam jacturae detrahere cernuntur.

His artis medicae inopiis, altera sese, non minor,

adjungit, quae ex praeceptiti profluviorum multorum indole emergit, difficultas. Saepe tanta mox vitalis liquoris ex visceribus profusio est; ut lenta causarum indagatio, et methodica rerum tractatio vix locum concedere, ac mortis ex profluvio imminentis discrimina, quaecunque demum artis vel minimis temporis intervallis succurrere cunctantis, tentamina eludere certantur.

Cum vero potentem in haemorrhagiis externis *adstringentium* virtutem medici spectarent; hanc, internis quoque utilem profluviis censebant, ac omnem in sanguinis cohibenda jactura, ne simul anima cum isto aufugeret, operam ponebant. Fateamur interim, nec in isto quidem artis praesidio, aut magnam actionis incertitudinem, aut adeo vim aegris non paucis funestam, ubique deesse! Vix etiam, quae *adstringendi* potentiam in solida exercent, lacteorum, ea, sibi vias vasorum non claudere, — aut, cum, diluta, has superent, virtute, qua, meraca, pollebant, ad sanguinem venire, dicendum est. Qualiscunque vero *adstringentium* agendi sit modus, et vel secundas ad vias ea pertingant; vel, quod nobis verosimilius videtur, potissime per *stimulum*, quem stomacho tuboque intestinali inferunt, aequalem longinquis in partibus actionem exerceant; verum tamen erit, haec ipsa remedia *hypersthenicis*, quibus major solidorum impetus pro causa est, profluviis stimulum superaddere, ac non magis in laesi vasis ostia, quam in omne vasorum systema agendo, resistentiae ad illa rationem imminuere. In *asthenicis* hinc profluviis haec utique arripimus auxilia; et quin, suspectum et nobis, *saturni* usum internum, licet nuper iterum laudatum, approbemus, in *alumen* potissimum ac ipsum in chinae corticem, fiduciam collocamus. Eodem fere modo *emetica* refractis in dosibus porrecta, vel pauca radicis ipecacuanhae grana, quae interim adstringentis actionem in viscera longinqua exserere haud possunt, abdominales in nervos vi sua stimulante, nauseante operando, in profluviis asthenicis non raro conducunt. Excitantia remedia in profluviis cruentis medici quamplurimi ex eo damnarunt; quod ab illis, motum sanguinis ad vasa hunc fundentia, augeri, fugamque cruoris promoveri, hydraulicis iterum

legibus, vivente in machina tam fallacibus, innixi, praetendant. Qui vero causas profluviorum (§. DLXXXIV.) intellexerit, ac multa ex his ultimis, vasorum ac nervorum ex inertia, ex spasmis oriri cogitaverit; hic exemplo haemorrhagiae in scorbuto, in variolis malignis, cum vino, cortice cinnamomi, facilius certe, quam cum sic dictis refrigerantibus cohibendae, meliora edoctus, fatebitur nullius esse momenti, quod ex calidorum, ut vocant, ac ipsius opii *vi pellente*, usui istorum in curandis profluviis *asthenicis* opponitur, argumentum.

Ab omni fere aevo, quamvis *frigus*, praeter *caloris absentiam* nil esse, vel quivis intelligeret; illud tamen *stringendi* vim magnam exserere est creditum; et cum robur partis animalis, *densitatis* rationem, sub iisdem conditionibus, sequatur,— frigus illud augere est dictum. Haec non ita pridem negata fuit *frigoris*, seu *caloris imminuti* potentia; fatemurque lubenter, medicorum non paucos hoc genere subsidii debiliores apud homines saepenumero fuisse abusos. Has quidem in lites, quamvis de re magna in medicina sit quaestio, hoc loco profundius descendere non possumus: sed certe tam aucti, quam subtracti caloris, nec eadem in corpus *vivens*, ac in mortuum est actio; nec effectus istorum, cum ignis illi superadditi, vel dempti effectu proportionem observant; sed magna illorum diversitas ex *nervorum* partis, cui calor aut gratus, aut molestus, aut major, aut minor, applicatur, varia sensatione, et ex consensu partium aliarum, derivanda est. Sub usu balnei calorem sani hominis (96.° *Fahr.*) aequantis, quod corium *exanime* relaxat, emollit, — pulsuum frequentia, vibratio imminuitur, ac vires in multis manifeste augentur. A gradu caloris externi longe majore, sanguinis viventis calor, licet arteriae sub eo frequentius pulsent, nequaquam, ut ille cadaveris solet, increscit; ac de canis exemplo constat, qui dimidiam per horam sub gradu caloris 236, sub quo carnis emortuae portio triginta trium spatio minutorum, satis cocta mollescit, illibatam valetudinem servavit. Non minus *frigoris* viventem in hominem effectus, ab illo, quam in mortuum caloris absentia exercet, summopere differt; ac sub gelu intenso, calor sanguinis apud om-

nes vix non idem servatur. Non igitur caloris vel majoris, vel exigui, in corpus vivum effectus, ex illis, quas in mortuis sequuntur, legibus determinari licebit; et summa ex *vitali principio*, quod illi inhaeret, diversitas redundat. Hoc vero principium, ubi frigida parti sanae affunditur, vel ubi pars pedis modo extrema gelidum in balneum immergitur, mox tam ad istam, quam alias longinquas ad partes, phaenomena producit, quae solius caloris, in parte exigua haud notabili, decremento, ut inductae *debilitatis* effectum, tribuere nequimus; sed potentiae *nervosae* excitatio manifeste, quin cordis vires imminutae sint, hîc subintrat.

Quodsi vero hos, aliosque effectus a *frigore*, quod istud in sola *caloris subtractione* consistat, derivari non liceat; an adeo hoc *nihil* sit, ut aliquid huic causae tribuatur, videndum est. Calorem, ardorem, ruborem, dolores a frigore non raro in parte affecta relinqui, pernotum est: quae phaenomena ex re *absente*, aut nulla, pendere haud possunt. Sed nonne *diffusus* omne per corpus vivens est *calor*, quem ideo, ut materiam *electricam* aequali ratione expensam, sine quavis molestia perferimus? Quamprimum vero major caloris portio partem corporis hoc principio magis orbatam subintrat; mox sui ingressus testimonium ex sensu ardoris, aut doloris habetur. Si corpus nunc aliud, minore calore instructum, seu *frigidum*, calidiori corporis parti applicatur; diffusus per istam calor *electricae* materiae ad instar, in alterum, hoc principio privatum, corpus, cum impetu ac molesto cum stimulo, quem *frigoris* vocamus, praecipitat. Est igitur, licet *frigus nihil esse* concedamus, *materiae calorificae in fuga* ex corpore vivente in aliud frigidum, illud ipsum, quod fibram sensibilem illius exstimulet; ac non minus in parte stimulata, quam in illa, quae cum hac ipsa *consentit*, contractionem, et illa, quae diximus, symptomata producat. Certe si corpus vivens et calidum, vel sat denso, ac se ipso quamplurimum frigidiore in medio *diutius* versetur, vel sub majore sensibilitate ex improviso, aut confestim, hoc ipsum in medium praecipitetur; tunc ipse hic stimulus, ex sublato materiae calorificae aequilibrio inductus, excitabilitatis rationem quam maxime infringet, — et, quod a *Jul-*

minea succussione electrica contingit, exhauriet, delebit. Hinc mortis subitaneae, ex hominis frigidissimam in aquam immersione secutae, non desunt exempla; et plures, quos in ista suffocatos esse contedunt, *nervosa* magis *apoplexia* ac vitalis suspensione principii, vel adeo convulsi, perierunt. Calorem quidem modo certos ad gradus amissum, homo sanus ac robustus mox renovat; quidquod a dicto vix stimulo moderate concussus, majorem aliquando, quam rebus aliis concesserit, sibimet ipsi restituat: ast vero, aut summa caloris animalis privatio, aut conspicua ejusdem a corpore infirmo et gracili facta jactura, vires vitae omnino pessundat, veramque *astheniam*, quin mortem ipsam aliquando, inducit.

Sed nec hoc reticendum hîc est: corpus vivum, vel partem illius, majore portione materiae caloris, vel stimuli cujuscunque, ad sanitatem necessarii, privata, *astheniae*, vel ipsius *asphyxiae* ad statum perduci: sub quo, eorum, ut vocant, *excitabilitas*, in contractae debilitatis ratione, augetur. Hac sub corporis animalis positione, et sub *astheniae*, quam *directam* nunc dicunt, conspicuae praesentia, stimulus gradui istius adaptatus omnino requiritur; major vero, noxas insignes, ipsamque mortem aliquando, pro effectu esset habiturus. Hinc, quae sanis beneque calentibus *frigida* dicuntur, —ea gradum caloris corpori animalis in asthenia, asphyxia constituti sufficientem, qui stimulum in illud exerceat, agnoscunt. Gelidae hinc portio non magna, hominis, *syncope* correpti in vultum conjecta, melius eundem totiusque, quam stimuli fortiores potuissent, excitare observatur; et quae hiemali a gelu rigent, vitaeque reliquae nullum adeo vestigium manifestant, corpora animalium, ipsorumque vegetabilium, —ea, non a calore *nobis* dicto, sed a nive et a frigida, quibus gradus caloris *sibi* correspondens inhaeret, ad lucem revocantur, majoresque ad stimulos perferendos tali modo praeparata, hos tandem sensim sensimque, cum laeto rerum successu, admittunt. Hinc tantam vel ipsis in febribus asthenicis a *potu gelidae*, quam pauperes, ut solam non raro medicinam, tam avide epotant, efficaciam, maxime si stomachus alium aversetur aut rejiciat, experimur. Hinc *frigidae*, sub typhi principio,

corpori affusae virtus, veteribus non ignota, et a recentioribus ultro confirmata, explicanda est. Ventris, in juvene a typho correpto, insignem meteorismum, solius *glaciei* contusae cum impositione, *Ticini* viginti abhinc annis, felicissime sanavimus; quamvis facies collapsa, singultus perpetuus, cum alvi obstructione sex jam per dies extensa, sudores frigidi, glutinosi, pulsus vix tactui sensibiles, lipothymiae, de hominis moribundi debilitate testarentur.

Concludimus ex istis: in *asthenicis* cruoris profluviis usum frigidae ipsiusque glaciei contusae, aut nivis, per intervalla parti sanguinem fundenti admotae, quem scilicet jam diu proficuum esse docuit ipsa experientia, nec sanae principiis theoriae refragari. Etsi vero *gelidam*, *hypersthenici* adeo profluvii cruenti ad ostia *diutius* admotam, per caloris superabundantis ac stimuli morbosi subtractionem, profuturam esse, posset videri; incauta tamen illius in fluxibus activis, vel in illis, quos, ob contractam cum iisdem consuetudinem, supprimi illico non convenit, administratio, contrarios, eosque pessimos, — suppressi quidem profluvii, sed aliam in partem magis conspicuam conversi stimuli, effectus saepe nimis exhibuit.

Remedia, quae cordis actionem pro tempore imminuant ac motum arteriarum magis placidum ac lentum efficiant, haud parum in profluviis cruentis *hypersthenicis* promitterent; ac ipsa, quae istis interdum accedit, *lipothymia*, potenter hos fluxus, scilicet jam tunc *asthenicos*, componit ac frenat. *Digitalem purpuream* hic plures laudarunt: quae certe, ad pauciora modo grana exhibita, insignem arteriis lentorem, et nostris sub digitis, plerisque in aegrotis, inducit. Est vero, qui turbas hoc a remedio induci solitas, prae ipso profluvio, vereatur vir clarus; et vis stimulans, quam hoc idem in *hydrope asthenico* tam potenter, ac tanto saepe cum effectu, manifestant, illius usum in profluvio *hypersthenico* omnino haud commendat. Frequens nunc nobis digitali purpureae in profluviis cruentis *asthenicis*, ac felix certe in multis, est usus. Si talia nobis essent, quae *animi deliquium* majore sine noxa inducerent; his certe in haemorrhagiis activis non minus, quam in ipsis inflammationibus, in herniis, os-

sibusque luxatis reponendis, in partu difficili absolvendo, cum magno fiduciae gradu, haud paucis in casibus, uteremur; sed hucusque latet nos aliud, quam ex ipsa sanguinis jactura, — non tutum ubique, ac minime in profluvio *passivo*, remedium. A *somno* quidem, syncopis imagine, et tensio solidorum et pulsuum frequentia non parum moderantur: sed quae istum per artem inducunt, — ea cordis plerumque actionem simul intendunt; ipsumque *opium* profluvia *hypersthenica*, cum ea, quae debilitas producit, haud raro potenter arceat, manifeste adauget.

Magna quondam fuit, sed a circuli humorum doctrina non parum infrangi credebatur, *fasciarum* in sanguinis profluvio sistendo auctoritas. Ispe quidem sanguis per venas, a ligatura arctatas, suo in itinere retentus, cruori novo per arterias contiguas advecto resistere, — hic vero, a corde, potentius irritato, liberiora in vasa urgeri, ac pervia vasorum per ostia facilius expelli videbatur. Haec interim cum rerum magistra, experientia, non satis et ubique correspondet theoria: ac licet aliquando nil, venas ligasse, conduxerit; est tamen in fasciis, recte, ne arterias majores simul comprimant, applicitis, non exigua sistendi profluvii cruoris *asthenici* utilitas. In longum quidem tempus hoc fasciarum non extendi videtur beneficium; sed jam summi momenti est, sub his extremis angustiis, *artificialis* haec, et singulos *ad artus* extensae, species *lipothymiae*, ac sanguinis a loco profluvii vel brevior aversio. Sub his scilicet, tum vasis, a sanguinis torrente extensis, contractionis spontaneae conceditur libertas, — tum cruoris, ut illorum ad oras in thrombum cogatur, occasio porrigitur; ac felix nonnunquam in viscere infirmo mutatio succedit.

An in homine, cui sanguis ad vitam necessarius, ob citioris auxilii defectum, sine vulnere lethali, ac alio sine morbo, mortis causa, aufugit, sub primo *asphyxiae* conspectu, *transfusio* suadenda est?.. Experimenta cum brutis feliciter suscepta, hoc genus auxilii commendare, — ac sanguinem non adeo, ut species animalium, diversum esse, docere videntur.

ORDO III.

PROFLUVIA CRUENTA.

GENUS I.

EPISTAXIS.

---

§. DLXXXVII. *Transitio.*

De *cephalicis* primum sanguinis profluviis agentes, possemus aliquo cum jure, ac duce viro clarissimo, illius, quae ad *cerebrum* haud raro contingit, descriptionem praemittere: interim cum morbus, quem effusus in calvariam cruor inducit, *apoplexiae* ut species habenda sit, ac illam, ut *genus*, inter *Nevroses* (Lib. VII.) collocandi non una sit ratio, — cum quoque signa evidentia ac certa, quae communibus profluviis concessa sunt, cerebro a cruore inundato in conspectum non veniant; hinc *internos* capitis affectus a latice tum *seroso*, tum *cruento*, aliisque ex causis communi effectu inductos, aliam morborum ad classem referentes, modo, ea, quae *exterius* ac sub oculis contingunt, profluvia hîc loci perlustrabimus.

§. DLXXXVIII. *Narium dispositio.*

Pars corporis humani nulla est, cujus vasa sub tenera inprimis aetate, sanguinem tam facile, quam *nares internae*, dimittant, ac simul tam cito, sine vitii vestigio, claudantur. Hinc nullibi tam frequens, quam hac ex particula, cruoris est profluvium: ut veteres,

quin locum designarent, *haemorrhagiae* sub nomine, illam, quae ex *naribus* contingit, intelligerent. Ad nos certe, partium structuram anatomice exponere non pertinet; sed arteriarum venarumque per nares reptantium doctrina, ut hujus morbi origo diversa eruatur, permagni est ponderis; ac illud saltem hîc nobis generatim, ob ea, quae dicenda supersunt, indicare licebit: *arterias* non minus *externae*, quam *internae, carotidis* ex ramis ad nares proficisci; — venasque susceptum ex istis eruorem partim *externis jugularibus*, partim vero, per conspicuos *cerebri sinus*, *internis* advehere, ex quibus *subclavias* in *venas*, utroque colli ex latere, confluat. Haec vasa tunicae mollissimae, per amplam antri nasalis superficiem expansae, irretita, per varios anfractus descendunt, dividuntur; et aquosi non modo vaporis exhalationi, sed et mucosi humoris secretioni praefixae, olfactus nervulos humectant, ac odorum sensationem praeparant, — ac simul ab aëre sicciore, et ab acribus atmosphaerae irruentis, impurae, particulis, molliter custodiunt, defendunt (§. DVIII.). Nervorum, ob *quinti* paris ramulos, summus est naribus cum oculis, lingua, diaphragmate inprimis, quin universo cum corpore, consensus: quem lacrymarum, a stimulo ad illas, profusio, sternutatio a solis aspectu, ingratus ad nares acrioris a cibi masticatione sensus, diaphragmatis ab illis irritati convulsio, ac odorum fortiorum in syncope fuganda potentia, abunde demonstrant.

Non vero aërem modo nares ex pulmonibus expressum, sed interdum sanguinem ex illis, ex auribus internis in fauces apertis, vel ex ventriculo cum impetu ruentem, — quin cibos potumque ex stomacho aut faucibus rejectos, hinc inde recipiunt. expellunt; nec ideo omne cruoris ex nare profluvium epistaxis vocabitur; sed illum propriis istius ex vasis prorumpere oportet. Nec opus est cruorem externa per narium ostia effluere; sed, quibus istae in fauces hiant, ambos per aditus non raro sanguis, supino in homine, ad pharyngem praecipitat, — ac profundo sub somno, ab infantibus potissimum, salivae sub specie, in stomachum defertur.

§. DLXXXIX. *Epistaxis.*

Cruoris igitur ex vasis nasi internis effusio, epistaxis vocatur.

§. DXC. *Differentiae.*

Raro in caeteris animalibus, nisi forsitan ab *hirudine* nares ingressa, — frequenter humana in specie, frequentissime in puero, sine causis externis hic fluxus (§. DLXXXIX.), ut vix pro morbo habeatur, occurrit: ibi cruor, nunc modo guttatim distillat; nunc placido satis rivulo, — utroque in casu per *unum* plerumque narium foramen, aufugit; nunc vero, torrentis adinstar, non utrumque modo nasi per ostium, sed simul oris aliquando per antrum praecipitat. In ea quidem hominis aetate, qua sanguis copia ad caput uberiore dirigitur, frequentius epistaxin contingere, a multis est dictum: interim, cum encephali caeteras ad partes proportio in tenero *infante*, illam *pueri* certe non parum superet; in hoc tamen, quousque pubescat, — licet alia *infantem*, nec pauca, profluvia *serosa* divexent (§. CCCLXXIII.), frequentius cruor e naribus prorumpit. Maxime hic fluxus apud illos, qui alacri ingenio, et corporis textura minus firma, sed sensibili et florida, instructi sunt, — nec tamen eadem immaturis in *puellis*, quam in pueris frequentia, succedit. Caeterum utroque in sexu, et quovis vitae sub stadio, in senibus laute nutritis forte magis, quam sub media aetate, sanguis hinc inde per nares, — nunc istarum, nunc viscerum aut partium remotarum ex vitio, nunc cordis ac vasorum ab impetu aucto, nunc istorum cessione ac inertia, — in istis febrium, scorbuti, hydropis, menstrui, haemorrhoidum suppressorum effectu aut bono, aut iniquo, — in illis, sine febris concursu; — in aliis, epidemicae constitutionis imperio, nec raro certae *periodi*, aut saltem *habitudinis*, — quin adeo *haereditariae* quasi constitutionis sub legibus, praecipitat. Sanguinem in febre nervosa cum summa cephalaea, *vix tepidum*, profuse, ac sine levamine fluxisse observavimus. Alii, sub scorbuto, ac morbo apoplectico, calore vix non privatum cruorem ex naso prorupisse adnotarunt.

§. DXCI. *Symptomata.*

Pro his vero profluvii cruenti ex naso differentiis (§. DXC.), symptomata nunc aliqua, nunc nulla, epistaxin *praecedunt*. Non paucis certe cruor, sine quovis sensibili indicio, sponte et quasi tacite, a parvis occasionibus, vel solo interdum attactu, mox effluit. In multis, profluvium annunciant vertigo, somnolentia, stupor, pavor sub somno, rubor, calorque genae unius, dolor capitis, splendor, levis phlogosis, caligo, lacrymatio oculorum, aurium tinnitus, susurrus, surditas, arteriarum ad tempora et collum intensior pulsatio, — plenitudinis, tensionis, siccitatis, caloris, pruritus, titillationis ad nares sensatio, ac alia symptomata. Interdum pulsus pleni, undosi, subsultantes, bis digitum ferientes, *seu dicroti*, epistaxin citius tardiusque instantem, — sed, ut saepius notavimus haud magna certitudine (§. XVI.), praedicunt. Hic pulsus *caprizans*, ut alii vocarunt, in *unius* modo brachii arteria nonnunquam se prodit: ac si *lienis* aut *hepatis* tumor conspicuus eodem in latere hypochondrium oppleat; futurum nonnunquam ex narium *lateris ejusdem* foramine cruoris profluvium indicat (§. DXCII.). Praesentis jam ex naso haemorrhagiae symptomata, cum illis, quae de profluviis cruentis in genere jam diximus (§§. CDLXVII. DLXXXIII. DLXXXV.), conveniunt. Non raro sanguis longum rubrumque in polypum, qui ex naso per labra propendet, densatur: sed eodem, ob stimulum molestum, protracto, vel coacta sternutatione expulso, uberior mox unda insequitur, — ac interdum ad multas ut nimis vidimus, libras, non exiguo cum vitae periculo, quin ipsam ad mortem aliquando, fluere continuat.

§. DXCII. *Causae.*

Sed juvat nos ad rectam epistaxis cognitionem, ex illa causarum, ascendere. Hae quidem ab illis, quas in genere profluviis cruentis favere diximus (§§. CDLXVI. DLXXXIV.), non differunt; interim sequentes potissime huc pertinent: *externae* scilicet, quae naribus vim inferunt: contusio, percussio, vulnus, polyporum, vibrissarum avulsio, ossium nasalium fractura, ozoe-

a, caries, acria, pulvis herbae nicotianae tabaci, re-
us suspectis, irritantibus commistus, — fumi, vapores
timulantes, naribus attracti, — insecta, vermes, iisdem
dvecta, sternutatio violenta; — quae partes vicinas,
aciem, aut calvariam, simili ratione afficiunt: laesio
uaecunque, inprimis cranii fractura, ac ossis circa
inum falciformem depressio; — quae sanguinem suo
timulo alliciunt: solis radii ardentes in caput nudum
ut pileis metallicis obtectum, agentes, — ignis vicini
ctio in faciem; — *internae*, quae vel motum san-
uinis ad caput augent: inflammatio, erysipelas, va-
iolae, morbilli inprimis, rheuma, catarrhus narium,
ra fortior, ac iterum sternutatio, studia protracta,
apitis profundior positio, cephalaea, dentium aurisque
olores; — vel quae cruoris regressum praepediunt:
error summus, erubescens verecundia, suspiria lon-
a, diuturna vociferatio, oratio, clamor, fletus, risus,
antus, tubarum inflatio, nixus quivis, tussis, dyspnoea,
norbi pulmonum, — cordis, venarum jugularium, a stru-
nis, alio tumore, collari arctiore, aut venae subclaviae
iversas per causas compressio; — quae circulum hu-
norum in genere cum impetu adaugent: cursus velox,
ectrica concussio, galvanismus, ut vocant, spirituo-
orum abusus, vigiliae protractae; — quae sanguinis
equalem distributionem intercipiunt: vestes arctiores,
umor, obstructio viscerum, uterus gravidus, ascites, —
entriculus, intestina, a cibis, flatibus, saburris re-
leta, a vermibus stimulata, — spasmi, inprimis abdo-
ninales, — convulsio, inprimis epileptica, — pedum re-
igeria, iniqua corporis positio, menstruae secretionis,
ut fluxus haemorrhoidalis assueti suppressio; — quae
asorum in genere, aut nasi prae aliis, resistentiam,
ua cruorem coërceant, imminuunt: scorbutus inpri-
nis, febres asthenicae, vasorum capitis, narium,
aricositas, contracta jam, sanguinem has per vias
nittendi consuetudo. Num *venae*, num vero *arteriae*
unc fundant, hoc arduum est dicere. In chronico
roflavio varicosam saepe indolem venarum subesse
ovimus: in eo, quod hypersthenicum est, arterias
unc laesas, nunc finibus, quibus rorem in nares ex-
alant, dilatatas suspicamur. *Secretionis cruentae* ex
tio (§. DLXXXIV.) cruorem ex naribus hinc inde stil-
re, non pauca nobis persuadent.

Qua vero ratione viscerum majorum, *lienis* praecipue ac *hepatis*, tumores, sanguinem, sub dictis arteriae brachialis, ex latere affecto, praesagiis (§. DXCI.), ex nasi *sinistri* potius, aut *dextri* foraminibus, eliciant, — diversa est auctorum explicatio. Plerique istorum, haec, mira satis, phaenomena ex impedita cruoris aequali distributione, et copia illius majore capiti advecta, derivant; sed genae modo *unius* rubores, arteriae in *uno* modo brachio subsultus, ac sanguinis ex lateris ejusdem, *non altero*, foramine nasali, effluxum, hi minus explicare videntur. Felicius hunc nodum solvit, alterius, qui *subclaviae* potissimum *venae*, in latere, quo haeret visceris obstructio *compressae*, haec symptomata attribuit, opinio. Thoracis certe cava, a pulmonibus, quos continent, perfecte replentur. Hujus visceris lobus superior uterque claviculae, per cujus inferiora, *subclavia* decurrit, respondet illique aptatur. Quotiescunque hinc diaphragmatis descensus, ab unius hypochondrii tumore, impeditur, nec pulmo per aërem susceptum dilatari hic potest, — oportet ut portio hujus visceris superior tunc suppleat, magisque expansa in plenis inspirationibus, alternatim in memoratam subclaviam insurgat, eamque nunc comprimat, nunc iterum relaxet. Sed cum *jugulares externae*, *internae* non minus venae, quam *axillares*, quarum radices sunt *brachiorum* et *scapularum venae*, in *subclavias* exonerari compertum sit: sequitur, ut in illis, redeunte ad istas compressione, sanguis remoram patiatur, et affluenti ex arteriis contiguis cruori resistat. Hinc brachii, ex latere affecto, arteria, si compressio subclaviae eo tempore contingit, quo haec ipsa est in *systole*, subsaltat, ac venae jugularis rami, per genam nasique cavum hujus lateris dispersi, turgent; rubet illa calet-que; in hoc vero, pruritus, tensio, — ac, repetita frequentius et in horas diesque, hac venarum resistentia, sanguis correspondente ex nasi foramine distillat ruitque sincerus. Eadem hinc inde succedunt, ubi ex pure, vel aquis thoracis in cavo collectis, — vel ex quavis, in abdomine, majore obstructione, pulmo ex uno modo latere dilatari *per vices* aut *interrupte* impeditur. Compressio subclaviae magis *constans* ac longior, vel in brachii, ex latere affecto arteria, pulsationes vibrantes,

certum hoc in artu torporem, vel ejusdem, aut terni thoracis, oedema, inducit. Non aliter ad *caput* s sese habere videtur. Quamvis etenim *sinus falcifor-s* superioris initium intra nares extendi, aut venas istis suscipere, vir magnus negaverit; sunt tamen, quibus venae anterius et superius a narium cavi-ibus oriantur, per foramina, ossibus nasalibus in-ulpta, tam extus, quam intus decurrant: ac ubi amen, quod *coecum* dixere, attingunt; in sinum emoratum depleantur. Hinc, licet non raro vel sola ncussio cranii, vasa narium simul dilaceret; ubi ad rticem, in sincipite, aut in fronte, os laesum est, l sursum et ad latera ossium bregmatis, — sanguis, sinus etiam praedicti compressionem, per nares acuabitur. Si vero os intropressum est versus tem-ra, et vasa disrupta in cavum calvariae, post tem-ra, sanguinem effundunt; ut plurimum iste ex *au-bus* et *ore* ejicitur.

Ex causis internis, vix major est ulli, quam *scor-to*, in promovendo sanguinis ex naribus effluxu, tentia. Interdum vero sat diu nullo se signo scor-tus, quam hoc ipso profluvio, prodit. Sic virum *clinicum*, cui *Ticini* praefuimus, *Institutum* susce-nus, cui sanguis ubertim ex naribus praecipitans s anxie in causas hujus mali inquirere permovit. c gingivae huic viro, sat forti, aut laxae, aut san-inem fundentes, nec maculae per cutem ullae, nec spnoea unquam fuerunt; modo lien, ut illis in terris let, praeter modum tumebat; arteriae pleniores, fre-entes, singulari duritie digitum feriebant, calebat ger. ac febris inflammatoriae fallacem offerebat ima-iem. Hinc venam, seducti, secuimus, et sanguinem nso mox corio obtectum, ad libram detraximus. l noctem, cruor multus denuo ex nare prorupit; l pulsum matutinas ad horas duriorem, pleniorem sterno, ac febris symptomata aucta reperimus. Re-eatur venaesectio, et cruor majore fere crusta obdu-ur. Post decem fere horas, tanto cruor cum impetu aecipitat: ut sex libris illius, vel brevi intervallo, nissis, auxiliis chirurgicis coërceri vix potuerit. Ab is, die sequente, pulsuum plenitudinem, duritiem, orumque nequidquam imminutas, — sed corporis

superficiem undique a *maculis scorbuticis* obsessam reperimus. Debilitante hinc methodo medendi relicta, illico ad vinum generosum cum succo citri ac saccharo confugimus: et roborantium, victusque nutrientis sub usu, aegrotum brevi temporis decursu restituimus. Alterum, post menses aliquot, exemplum huic simile habuimus in juvene, cui sanguis jam saepius, sed maxime cum clinicum Institutum adiret. ex nare prorupit. Corporis sub macie ac pallore, hic nobis pulsum vibrantem, plenum. ac frequentem, ut ille, exhibuit. Venaesectio, cruorem mox corio munitum eduxit; quin vero profluvium rediret, impedire non potuit. Interim, ob febrem pulsusque duritiem, plenitudinem adauctas, ad alteram, eodem cum sanguinis aspectu, pervenimus; sed frustra sic morbum dispellere studuimus. Hinc, licet maculae deessent, *scorbuticae* tamen *dispositionis*, inter Insubros haud rarae, satis conscii, ac prioris adhuc memores exempli chinae corticem, amphiore cum victu, ac vini melioris portione, praescripsimus; aegrumque, sub celeri melioris curationis effectu, resanavimus.

§. DXCIII. *Prognosis.*

Ex illis, quae de profluviorum cruentorum significationibus in genere monuimus (§§. CDLXVII. DLXII. DLXXXV.), et ex indole causarum, quae *epistaxin* inducunt (§. DXCII.), *prognosis* istius eruenda est. Levior plerumque apud pueros hic morbus est; ac, sublata per aetatem humorum ad caput congestione, vel sponte dissipatur. Interim qui aequo frequentius, et ex causis exiguis ex naso cruorem profundunt; his, aetate juvenili, *pneumonorrhagia*, seu haemoptysis, timenda est. Morbos alios, non paucos, ex *hypersthenia* ac morbosa vasorum capitis repletione pendentes, quin ipsam ejus indolis encephalitidem (§. CXLV.), promptissime interdum hic fluxus disperdit; nec raro alterius secretionis cruentae, suppressae, vices hic assumit: atque his non minus in casibus, quam ubi certam cum hoc profluvio consuetudinem quis contraxerit, — periculosa esse solet, multosque, capitis inprimis, morbos, vertiginem, cephalaeam, susurrus, tinnitus aurium, amaurosin, sopores, apoplexiam, convul-

iones induxit praepostera illius compressio. Epilepticos hac ex causa insultus, gravemque ac per novem jam dies continuatam *dysphagiam* conspeximus, quam ultimam, positis ad nares hirudinibus, ex momento sanavimus. In ipsis adeo febribus *asthenicis* cum gravi cephalaea incedentibus, hanc ultimam imminuit, etsi morbum principalem non parum adaugeat, epistaxis. Minor certe nunc temporis, quam apud veteres, *haemorrhagiarum criticarum* in febribus est numerus: ut quem frequentior in morbis hypersthenicis venaesectio haud parum infregit. Fatendum est interim, ex sanguinis, quem *per artem* educimus, eadem portione, ac illa est, quae *sponte* morborum sub fine, vel sub majore jam systematis vasorum quiete, ex naribus fluit, evidentius plerumque auxilium haberi. Sed vel ipsis in morbis, qui ex cruoris jactura subsidium exspectant, non raro spontaneus hic fluxus, quod limites excesserit, pericula adauxit. Tanto scilicet cum impetu hac ex corporis particula cruor apud multos praecipitat; ut artis fere singula eludat ac superet conamina: nec desunt hydropis, tabis febrisque lentae, quin mortis ipsius, hoc ex profluvio secutorum, et nobis partim oblata, exempla. In febribus asthenicis, contagiosis, in variolis, morbillis praecipue, ut vocant, malignis, in scorbuto, hydrope, tabe, spes saepe omnis curationis cum sanguine per nares aufugit; ac vel sola his in morbis ad vitalis jacturam humoris molimina, ac leve sanguinis per nares stillicidium, suspecta sunt. In senibus, huic profluvio minus assuetis, apoplexiae hoc idem aliquando est prodromus.

§. DXCIV. *Cura. — Cura epistaxis hypersthenicae. — Auxilia externa.*

Primum ac praecipuum curandi hujus morbi momentum, in recto, *num sisti cruor debeat*, judicio est positum (§. DXCIII.): quod ipsum, ex attenta causarum (§. DXCIII.), aetatis, constitutionis, habitudinis contractae, — ex cruoris amissi quantitate, et virium superstitum consideratione, eruendum est. Si *activi*, seu *hypersthenici* rationes, vel signa profluvii (§§. DLXXXIV. DXCII.) se offerant; tunc, ut alibi

(§§. CDLXVIII. DCLXXXVI.) docuimus, ipso in sanguinis effluxu moderato, tum praesentis haemorrhagiae, tum variorum, quae hanc forsitan inducunt, comitantur, malorum, habetur subsidium; nec alio plerumque apud pueros, vel homines succiplenos ac laute nutritos, vel demum sthenicis in febribus, indigemus auxilio. Interim, dum, energico sub habitu, majorem, quam par sit, cruoris copiam amitti veremur, — remotis, quae stimulum perpetuent, causis, calore conclavis temperato, victu nimis nutriente, ac potu spirituoso, vel calido, sepositis, alvoque per clysteres aperta, sub maxima mentis et corporis, erecti, in loco obscuro, quiete, sub summa, ne loquendo, sternutando, tussiendo, contrectando, nares irritentur, cautela, venam secamus, pedes sat profunde tepidam in aquam immittimus; ac, nisi ista sufficiant, ad ea, quae sanguinem cohibeant, externa remedia ascendimus.

Quod si vero, vel sub ipsa, quae *energica* fuit, sed in *adynamicam* nunc vertitur, epistaxi, pulsus vacillare, imminui, intermittere incipiat; si labia pallescant, oculi obscurari videantur, extremitates frigescant, — tunc certe, seposito omni vanaesectionis consilio, sistere profluvium conamur.

Si *asthenicae* epistaxis causae ac fida indicia (§. DLXXXIV. DXCII.) compareant; tunc tradita jam pridem curationis generalia praecepta (§. (DLXVIII.) valebunt, ac potior in morbum primarium causamque istius convertenda est attentio. Sic gravissimae interdum mulier parturiens haemorrhagiae per nares subjicitur; nec alio plerumque, quam partus per artem celeriter absoluti auxilio illa salvatur. Sic vermes, sic viscerum obstructio, periculosa haud raro profluvia cruoris inducunt; quae aliam, quam causae morbi primarii oppositam, opem non admittunt. Quod si vero cruor hac a methodo arceri recuset; — nisi forsitan sine virium jactura conspicua, habitudinis contractae ex legibus, aut in alterius, consuetae, sed nunc suppressae, excretionis supplementum cruor fluat, — sine multis induciis, ad ea, quae finem profluvio imponant, *externa* veniendum est. Haec vero tum alias ad partes, tum ipsas ad nares applicita, effectum ostendunt. Sub tanto scilicet *nervorum* in vasa sanguinea imperio (§. DLXIV.),

t sub *cutis externae* tam insigni cum ea, quae corporis se caveis insinuat, consensu (§§. CCLXXV. CCCLXXIII.), saepe illa, quae exterius adhibentur, conspicuam internas in partes actionem exercent. Ipse hinc vulgus, immaturo quidem in epistaxi *hypersthenica*, — sed proficuo sat saepe in *adynamica*, consilio, gelidam aegrotis, cum id minime exspectant, dorso aspergit. Profuit in aliis, glaciem genitalibus contusam, aut nivem apposuisse; ac vel solae *cucurbitulae*, hepatis regioni, occipiti impositae, — quod non tam sanguinem *revellendo*, quam sua in cutem sensibilem *suctione stimuloque* fecisse videntur, sanguinis profluvium ex naribus illico stitisse sunt visae. Itaque cum eximio interdum in epistaxi successu frigidam, aut solam, aut cum aceto ac sale ammoniaco remistam, calvariae, fronti, naso, genisque, saepius renovandam, imponimus; nec inutili consilio, tum crura tepidae immittimus, tum artubus fascias applicari suademus.

Sed et ipsi, quod sanguinem profundit, nasi cavo, auxilia, fortiore sub malo, applicantur necesse est. Hinc primum, frigidam, — ac, si haec sola non sufficit, eandem cum alcohole ac ichthyocolla, remistam, — et ipsum denique purissimum alcohol, cruentas in nares vel attrahi, vel injici conveniet.

Cum vero, quae liquida sub forma in nares inflantur, attrahuntur, injiciuntur, saepe citius, quam agere ut possint, has deserant; hinc et fili ex linteis carpti, solutione aluminis, aut vitrioli albi imbuti, vel turundae, quibus pulvis ex alumine ac sanguine, ut vocant, draconis, vel ex aliis similibus, albumine ovi susceptis, adhaereant, cavo narium profundius immittendae, ac longo satis tempore, filo, quo extrahi possint, munitae, in eodem relinquendae sunt. Ipsa interim turundae in vasa narium *compressio* aliquando hîc magis, quam involvens illas stypticum remedium, egisse videtur: ac interdum, cum istud, molliori turunda susceptum, nil posset, — haec sola, modo crassior magisque contorta, profluvium suppressit. Profluit interdum intestini partem suilli, — quod primum in aëre siccatum, posthinc madefactum, ac uno extremo, fili tenuis ope, ligatum est, — in ipsum, quod sangui-

nem fundit, foramen narium, spicillo duce, demisisse. Hoc facto, inferiori, quod patet, ostio intestini, frigida per sphincterem injicitur, et haec ipsa, superiora narium versus, ut aequali ratione interna comprimat, urgetur. Plerumque scilicet vasa sanguinea, in hominibus hoc morbo defunctis, eam narium ad sedem, ubi alae nasi, digito plus minus transverso, ab imis naribus cum osse committuntur, sunt magis dilatata, turgida: ut interdum, in viventibus, vel solo a digito compressa, mox sanguinem transmittere desiverint.

Ast vero nec ista interdum subsidia, cruorem, ex narium anfractu, quo turundae pertingere non queunt, ruentem coërceent. Quod si tunc nárium anteriora penitus obturentur foramina; sanguis cum impetu majore ad fauces, posteriores per narium aditus, descendit. Hinc alia a chirurgis adhibita fuerunt, nec a medico his arduis in casibus ignoranda, subsidia. Scilicet utrumque illi ad nares aditum ita claudunt, ut sanguis, egressu privatus, polyposam in massam, seu thrombum, cogatur, — ac vias, a quibus antehac aufugerat, sibi ipsi praecludat. Haec, vobis jam ab aliis exposita, methodus plerumque certe sufficit: sed in febribus asthenicis, in variolis, morbillis malignis, in scorbuto, haud raro sanguis, uno ex loco prodire impeditus, aequali, vel majore mox impetu per renes, intestina, uterum, aut ipsos per pulmones praecipitat; ac solis, morbo primario oppositis auxiliis, interdum, — nam saepius et ista deludit, frenatur.

Cessante ex naribus profluvio, aegrotus, per longam satis temporis moram, in ea, quam injunximus, quiete perseveret; nec factum in naribus coagulum, quocunque demum modo, donec sponte separetur, removeat. Pro causarum, unde morbus descenderat, — ac per virium, quae convalescenti supersunt, diversa ratione; aliis ille atque aliis, tum diaeteticis, tum medicis auxiliis tractandus est.

Cum vero opera tam facili, in junioribus praecipue, revertatur epistaxis, ut et illa, quae primam violentiae externae occasionem modo debuit, jam exiguis a causis revocetur, et quodammodo neglecta, mox duro habitudinis imperio hominem submittat; oportet sane,

t qui salutis hoc ex morbo pericula quondam suivit, qua potest, industria, illius recursum praeveiat. Non aequali vero hic finis intensione obtinebiar; sed prout vel *activae*, vel *passivae* fuit indolis rofluvium, et pro corporis vel in illam, vel in istam roclivitate, — ratio vivendi ad praecepta, quae cuique x dictis vel sponte patebunt, dirigenda est. In geere. quae sanguinem praeter modum accumulant, ut movent cum impetu, aut capiti uberius transmitant, — vel quae circulum per vasa abdominis praeipue, ac artuum aequalem intercipiunt; aut reditum ruoris jugulares per venas retardant; aut alias, naurales, ut vocant, consuetas excretiones subvertunt; a summo, et protracto in longum cum studio evientur oportet.

Suppressum forsitan praepostere ex naribus profluvium, pro varia morbi exinde generati natura, variam medendi sibi methodum exposcit. Plerumque anguinem ad nares revocare, fluxumque, inprimis i cerebri, oculorum inflammatio successerit, non ommissis et aliis auxiliis, per illas restituere juvabit. Calidae vapor aquae per nares attractus, vel nasi levior contrectatio, aliquando hoc praestant. Qui nares nternas cum errhinis stimulando, aut cum penna seratim incisa et fortius intrusa scarificando, hunc fluxum renovare contendunt; hi saepius majorem, quam prudenter optare potuissent, sanguinis jacturam inducunt. Hirudines modo duae, externis narium foraminibus, quo magis hiant principio, appositae, indicationi plerumque satisfaciunt, ac sanguinem pro lubitu arcendi occasionem, quod magni hîc faciendum est, non tollunt.

ORDO III. GENUS II.

STOMATORRHAGIA.



§. DXCV. *Ambiguitas.*

Frequenter quidem *ex ore* vel sponte fluit, vel screatur, exspuitur, vel cum impetu rejicitur sanguis; sed non ubique tam facilis res laboris est, mox veram cruoris hoc ex antro venientis patriam indicare: ac saepe, cum breve modo ex faucibus iter ille absolvit; ab aegrotis, nimia formidine perculsis, a pulmonibus venisse accusatur; — aut cum sanguis revera ex bronchiis et trachea subdole ascendit; a medicis, incauta morbi non tam gravis sub prognosi, ex faucibus stillasse perhibetur. Sunt adeo, qui, morbum epilepticum malitiose simulantes, res coccineo colore imbutas ore volvendo, quasi cruentam, sub fictis convulsionibus, salivam profundant: ex quibus, quam multum intersit, ut suum cuique profluvio nomen, ac sua, quibus differat, ab aliis, signa tribuantur, luculenter apparet.

§. DXCVI. *Definitio.*

Quod vero solius cavi, a labiis, genis, palato, veli penduli a fornice ac uvula, a tonsillis et faucibus circumscripti, ac partium hoc in cavo positarum a vasis propullulat, — hoc, *stomatorrhagia*, seu *oris haemorrhagia*, vocatur, sanguinis profluvium.

DXCVII. *Differentiae.* — *Stomatorrhagia labiorum.*— *Stomatorrhagia buccarum.*—*Stomatorrhagia palati.*— *Stomatorrhagia gingivarum.* — *Stomatorrhagia alveolaris.* — *Stomatorrhagia linguae.* — *Stomatorrhagia tonsillarum.* — *Stomatorrhagia pharyngis.*

Sanguinem ex *naribus* haud raro refluere, — interdum, post capitis inprimis laesiones, internis ex *auribus* ad illas descendere, jam diximus (§. DLXXXVIII.). Ex ipso *larynge*, ex *trachea*, ex *bronchiis*, eruorem sub tussi rejectum, saepe nimis venire, — in aliis, ex *ventriculo* scaturire, ac vomitu expelli, res nota est omnibus. Cum vero sanguis tam diversis origine, et ex parte longinquis a locis, oris antrum inundat; non minus quoque ex partium (§. DXCVI.) dictarum superficie in sat multis aegrotis, in quibusdam periodice, propullulat; juvabit primum hujus speciei proluvii praecipuas, — mox vero ea, quae singulas ex istis concernant, et ab aliis distinguant, accuratius exponere.

Ac primo quidem *venae labiorum genarumque* non parum in quibusdam dilatantur ac varices producunt. Duodecim ante annos, vir juvenis ac laute nutritus, has nobis, *Ticini*, varices ad labium oris superius, conspiciendas exhibuit. Universum hoc labrum, quasi saccum ex tenui membrana formatum, sanguine pellucente refertum, lividum, ac tam amplum sistebat; ut, ex alto propendens, oris ostium impleret, ac labium inferius obtegeret. Plures hoc ipso varicoso e sacco venae, non tam turgidae, quam planae, latae, ac lividae, versus nasum ascendere, ac similes palati fornicem obsidere cernebantur, — eximii tandem manu viri, eo ipso cum sacco labiali, feliciter, et quin sanguinem hucusque sua sponte sparsissent, exstirpandae. Ad ovi adeo gallinacei amplitudinem, ad labium inferius, has varices, sectione non minus auferendas, increvisse, docemur. Ex venulae ad internam ac supremam labii inferioris partem, varice, copiosum, per intervalla, cruorem stillasse, aegroti, haemorrhoidum simul fluxui subjecti, historia testatur.

Eadem *buccarum* ad internam superficiem contigisse, observationes, medicorum in fastis collectae, confir-

mant. Ad malae utriusque faciem internam, in aegrota, cujus pater simili prorsus morbo laboraverat, copiosae varices ex improviso exortae sunt. Has, ubi, dentibus disruptas, sugebat mulier; haud majores sequebantur molestiae; — si vero hoc usa non esset auxilio; extensus, magis magisque tumor varicosus, ad ipsam usque uvulam, ut pars haec turgeret, livesceret, valdeque doleret, extendi consueverat. Hoc ab ipso tumore ad fauces extenso, tum linguae, tum pharyngis, laryngis interceptis functionibus, suffocationis non raro imminuit, — uvulae duntaxat ad apicem sectione illico removendum, periculum. Cibum ore revolvere, masticare, quin sanguis copiosus hunc omnem penetraret, aegrotus non potuit; ac vires hoc quotidiano a profluvio, cujus nullibi vestigia hucusque patebant, sic plurimas amisit: donec detecta, postremam *ductus salivalis*, in oris cavum patentis, ad partem, varix, ferri demum candentis auctoritati cessisset.

Varicum magnarum per fornicem *palati* sparsarum mentionem jam injecimus, ac forsitan frequentius in isto, quam alio oris in loco, hae ipsae nascuntur. Sanguinem jam multos per annos reddiderat adolescens, cui tandem, majore sub aestu, sine pectoris molestia, cruor copiosus cum vitae discrimine ex ore prorupit. Depressa cum specillo lingua, scaturiginem profluvii vir eximius ex faucibus haerere intellexit, ac injecta aluminis solutione, feliciter occlusit. Interdum vero tum palato, tum genis internis, *vesicae cruore repletae* succrescunt, ac istum, disruptae, copiosum, certis nonnunquam sub periodis, effundunt. Tumorum albescentium, abscessus sub forma, palatum obsidentium, sed a facta sectione, loco *puris*, *sanguinem* fundentium exempla referuntur.

Gingivas quoque sanguinem in multis copiosum profundere, ex *scorbuti*, alibi a nobis describendi, historia inprimis patebit: *stomacace* vitii hoc genus dixerunt. Sed et alias ob causas, inprimis ob suppressas cruoris per uterum alvumque excretiones naturales, consuetas, plures interdum ad libras sanguis gingivarum e vasis varicosis prorupit.

Ex *dentis* recenter extracti *alveolo* insigne, apud multos, profluvium cruoris secutum est, et ex ipsa

dentis, licet exigua et fere inconspicua, arteriola, ad mortem usque aliquando, sanguis scaturivit. Ad *sex* fere *libras*, una sub nocte, ex alveolo feminae excelso loco natae, tunc utero ferentis, cum dentem sibi, nobis quidem dissuadentibus, jussisset, sanguinem prorupisse conspeximus. Tertio, quinto, quin octavo, post dentis evulsionem, die, cruor ex alveolo cum impetu et maximam ad copiam prorupisse visus est. Sunt adeo, quibus, dente nequaquam evulso, sanguis tamen, istum inter et gingivas, ab eodem quodammodo solutas, abunde, et magno cum periculo propullulat.

Nec minus ex *lingua*, conspicuis certe vasis instructa, sanguis interdum cum impetu, ac plurimus effunditur. Sub venae raninae, sub frenuli ad linguam sectione, laceratione incauta, arteriae linguales illinc, hîc vero venae non raro, laeduntur, ac plenam periculi haemorrhagiam patiuntur. Sub gravioris epilepsiae insultu, frequenter satis lingua per dentes eidem infixos perforatur, aut adeo ex parte disciuditur. Sub scirrho, tumore quovis, sub ulcere cancroso, scorbutico, scrophuloso, hanc partem comprimente, exedente, non raro varicosum venae habitum assumunt, ac sanguinem ubertim eructant. Ex *glossitide* gangraenam, ac lethalem ex ista sanguinis jacturam observavimus. A dentibus ordine perverso dispositis, cariosis, acutis, vel sub incauta ciborum masticatione, non parum saepe lingua offenditur, ac sanguinis profluvio occasio praebetur. Similia ex calculis sub lingua generatis timenda sunt incommoda. Quo tempore haec scribimus, ad linguae viri sinistrum latus, sine causa manifesta, varicem unius diei spatio exortam, et ad pisi magnitudinem turgentem lividamque conspeximus: quae varix vel sponte, ad alteram jam diem, disrupta, in exiguum ulcusculum, sine sanguinis jactura sensibili, conversa est.

Sub scirrho *tonsillarum*, frequenter venae hujus partis varicosae tumoris basin circumdant, aut illo per chirurgicam sectionem ablato, fundere cruorem, neglectae, aliquandiu continuant.

Sub ea, quam *habitualem* vocavimus, *cynanche* (§. CLXXI.), plerumque venae per *pharyngem* disper-

sae, indolem varicosam manifestant, ac levi ex causa sanguinem exstillant. In aliis, sine phlogosis praesentia, apertis vix faucibus, hae pharyngis varices, quasi retis in modum dispositae, mox oculis sistuntur, nec raro sanguinem vel sponte oris cavo affundunt. Feminae, cui sanguis per uterum ab octo jam annis non responderat, exemplum vir magnus reliquit, ac sputi sanguinis frequentis originem in posteriore *pharyngis* pariete eroso detexit. Sine quavis erosione, sanguinem sat multum ex vasis *pharyngis* varicosis manifeste ac saepius scaturiisse non ipsi conspeximus.

§. DXCVIII. *Symptomata.*

Non alia symptomata haec oris diversa profluvia, quam illa, quae *epistaxin* (§. DXCI.), aut morbum, cujus forsitan effectum constituunt, comitantur; ac saepe sine ullo indicio sanguis oris cavum inquinat. Plerumque sub majore cruoris has ad partes appulsu, vel congestione, dolor capitis, vertigo, faciei rubor, susurrus aurium, calor, titillatio, pruritus, tensio gutturis, oris, gingivarum praecedunt. Quo vicina magis laryngi aut copiosior est sanguinis effusio: eo potior exinde ad *tussim*, supina inprimis sub corporis positione, excitatio subnascitur; aut, si ad pharyngem magis cruor declinet, nausea, vomituritio sequuntur. Sanguinis adeo portio interdum, sub somno inprimis, ad stomachum defertur, ac *vomitu*, a novo sanguine ad fauces ruente, inducto, jam coactus a ventriculo, rejicitur. Hinc magna, ut diximus (§. DXCV.), hoc oris profluvium ab *haemoptysi* (§. DCIV.), aut ab ipsa *haematemesi* (§. DCXII.) distinguendi difficultas apud multos subnascitur. Interim plerumque vel sola oris, cum aqua sollicite saepiusque repurgati, inspectio, mox fontem, unde sanguis scaturiat, apertum ostendet; vel dispositionis, morbi praegraessi, symptomatum, causarumque attenta consideratio ad rectiorem nos diagnosin perducet. Certiores de oris primario profluvio reddemur, si capite ad anteriora converso, et ore declivi, et tussin et vomitum cessare, sed sanguinem nihilominus ex ore continuo stillare videamus. Nec facile *spumosus* hic sanguis, — ut ex pulmonibus, si paucus est, sub voce rauca, *rejici-*

ur; — sed purus, coccineus, fluidusque, nec muco, ec salivae tam intime commistus, *exspuitur* aut *effluit.* osae quoque partes, unde sanguis profluxit, sumpto lbo, vel potu, aut admoto gargarismate, ut nudae, olorem non raro persentiunt. Quae alia demum signa *omatorrhagiam* ab *haemoptysi*, *haematemesi* distin-uant, ex istarum tradenda mox historia ulterius atebit.

§. DXCIX. *Causae.*

Inter *causas* profluvii cruentis communes (§§. CDLXVI. LXXXIV.), oris illud frequentius *symptomatice*, ut upra jam dictum est, producunt scorbutus, ac fluxus anguinis alterius, naturalis, consueti suppressio. Hinc ictum est, ut aliqui, vetustissimo a tempore, si, ruoris stillicidio, per *anum*, morboso quidem, sed olito, ac forsitan periodico, cessante, sanguis nunc asdem ad leges ex *ore* prorumperet; nauseoso nunc atis *haemorrhoidum oris* sub nomine hoc profluvium alutaverint. Alias vero stomatorrhagiae ad causas quod pectat, has passim sub ipsa specierum expositione §. DXCVIII.) jam adduximus, ac praecipuae inter stas, sunt: dentis aut caries profunda, aut evulsio, ingivarum a dentibus, et istorum ab alveolorum perio-tio separatio, — violentia alveolis, mandibulae, palato, nguae vasis illata, — maxillarum, palati caries, — lcus oris sordidum, profundum, cancrosum, — tumo-es, calculi in oris cavo generati. An quoque interno urium ex cavo, per tubam in fauces patulam, san-uis in has ipsas interdum fluit?... Muci, puris, saniei escensus in morbis, verisimile id reddunt. Ab *hiru-inis* ad fauces haerentis suctione aliquando hoc pro-uvium venisse, ut veteres dixerunt, — quod facile ruoris, in formam illius coacti, portio incautos deci-iat, haud credimus; ac ipsa adeo, quae hirudinem um potu ingestam a ventriculo venisse, ac fauces ruentasse refertur, suspecta nobis est recentior historia.

§. DC. *Prognosis.*

Symptomatica ex ore profluvia, eam, quae morbo rimario est propria, *prognosin* sequuntur; primario-um, quae interim sat rara sunt, jam diximus, —

et ex communibus principiis (§. DLXXXV.) eruenda sunt, discrimina.

§. DCI. *Cura.*

Generalia profluviorum curandorum jam tradita praecepta (§§. CDLXVIII. DLXXXVI.), ad morbum, de quo agimus tractandum sufficiunt; et quae sanguinis, ex ore, alterius ex morbi affectu, jacturam concernunt: ea sub illius descriptione a nobis tradentur, curationis momenta. Primum certe, et hoc in profluvio sanando, est causae, ex qua illud proficiscitur, correctio; alterum, in sanguine praeter modum, ac virium vitalium cum discrimine, prorumpente, sistendo versatur. Hunc ad finem, externa magis, quam interna remedia, seu chirurgica potissimum auxilia, conducunt: in genere ablatis, quae cruoris per vasa oris circulo, aut illorum contractioni resistunt, externis obstaculis, adstringentia, ut vocant, remedia, frigida, acetum acerrimum, solutio aluminis, vitrioli albi, sacchari saturni, vini alcohol concentratum, tum oris in cavo tenenda, — tum loco, ex quo sanguis prorumpit, admovenda sunt. Vesicae, cruore repletae, ne suo volumine obsint, incidantur; — varices, quae sanguinem eructant, vel ferro, vel cauterio actuali auferantur oportet. Cum vero ea, quam cauterium inducit, eschara, dum plures post dies a parte sauciata separatur, novo sanguinis profluvio non raro occasionem largitur; cauterio plerumque praeferenda est loci, qui sanguinem profundit, suscepta, chirurgicae ad artis praecepta, compressio; ac saepius tum styptica fortiora, tum ferrum candens alveolo, qui sanguinem fundebat, immissa, hunc minime sistebant; cum aut fili contorti, aut charta scriptoria sub dentibus contrita, vel emplastrum alveolo cruento ad perfectam plenitudinem, intrusa, ac vel proprio, et hunc ad finem detecto, instrumento, vel digito, vel aliter sat diu compressa, mox finem profluvio posuerunt.

ORDO III. GENUS III.

PNEUMONORRHAGIA

§. DCII. *Nominis ratio.*

Si quis ea, quae de oris profluvio cruento, seu *puro* *creatu sanguinis*, hucusque sunt dicta (§. DXCV. — DCI.), cum morbo, quo cruor ex *pulmonibus* per tus- n expellitur, contulerit: is haud congruo satis nomine *aemoptysis* hunc ultimum, qui minime in *sputo san- uinis* consistit, venisse, ac melius *pneumonorrhagiae*, eu *haemorrhagiae pulmonum* sub titulo describi, lu- enter concedet. Semiotices diuturnae infantiae adscri- atur, si morbos origine revere diversos, profluvium cilicet cruoris ex *trachea (tracheorrhagia*, §. DCVII.), tque illud ex *pulmonibus* oriundum, eodem *pneumo- orrhagiae* sub titulo, signorum, quibus differant, con- antium et satis certorum inopia coacti, exponamus. psi quidem pulmones a contigua trachea aliter vix ifferunt, quam numero ramorum, ac tela cellulari, ivisionibus finibusque bronchiorum intermedia, spon- iosa, et vasculis ditissima; sed major est hominis, ui sanguinem tracheae, quam qui bronchiorum e va- s amittit, a funestis exulcerationis ac phthiseos effe- tibus immunitas: ac licet ipsa quoque aspera arteria os interdum experiatur eventus; ex justis tamen ra- onibus non aequalis utroque a sanguinis profluvio os timor premit ac angit.

§. DCIII. *Frequentia.*

Qui fabricam pulmonum spongiosam ac laxam con-

siderat; — qui visceris cordi tam vicini, arteriis brevioribus magnisque, venis autem, haud tantae diametri instructi, ac omni humorum massae transmittendae destinati nobilitatem summamque necessitatem perpendit; — qui facilitatem meditatur, qua in experimentis anatomicis, ax arteria pulmonali liquor in vesicularem pulmonis substantiam, et in asperam arteriam exhalat, — qua vicissim bronchio injectae aqua, ichthyocolla, in arteriam pulmonalem sibi viam aperiunt, — vel qua liquores tracheae impulsi . in venam pulmonalem descendunt, aut huic ipsi injecti, in asperam arteriam et vesiculas feruntur; — qui insignem, ac aëris solius attactui ferendo parem, bronchiorum sensibilitatem intuetur; — qui stratas huic organo insidias multiplices, magnasque, quas patitur quotidie, violentias contemplatur; — qui demum consensum hujus partis cum aliis strictissimum mente revolvit: mirari is desinet, si nullibi locorum, modo naribus exceptis, tam frequens, tam arduum, quam ad pulmones, profluvium cruoris occurrere dicamus. Est interim certa, quam rarissime hoc mali genus affligat, — alia, quam sat raro sibi subjiciat, aetas: infantum scilicet, puerorum, ac hominum aetate provectorum illa: quos nimirum, ad talia dispositos, alias ad partes magis divexant profluvia. Infames sunt hoc morbo aetatis anni decimo sexto circiter ac trigesimo sexto intermedii; ac juvenes floridissimos, cute tenera et alba, fibra sensili, ac ingenio felici instructos, prae puellis, menstruo modo fluxu dotatis, exitialis hic morbus sibi metit. Sed nulla est aetas, quae tanto generis humani hosti, aut comiti ejusdem, phthisi pulmonali, tributum cruentum non conferat, sexusque est nullus: ut pueros non minus, quam senes, feminas aeque ac viros, fortes eodem, ac debiles, furore, nunc citius, nunc tardius mactatos doleamus. Sunt variae, in quibus, prae aliis, dominetur hoc profluvium, — non semper aëris puritate inferiores eisdem, regiones. Sunt adeo certae familiae, quas, jure *haereditatis* sine flebili, sed magis solidorum, quam humorum ex vitio derivando, tum pneumonorrhagia, tum effectus, vel causa istius, phthisis pulmonalis, vix non integras, sub flore juventatis constitutas pessumdent, ac misere exstinguant. Sed et hoc sine titulo,

ui, pueri, frequentius epistaxi (§. DLXXXIX.) laborarunt; — qui corporis statura gracili, citius extensa, et ollo inprimis longiore, thorace angusto, compresso, t scapulis in alas quasi surgentibus instructi, genis oseo colore tinctis incedunt: hos certe, vel paucis nodo exceptis, exiguas ob causas, et sanguinem ex ectore effundere, et pedissequo pulmonum ex ulcere onsumi videmus.

§. DCIV. *Definitio.*

Est vero *pneumonorrhagia*, sanguinis sinceri, vel ex rachea, vel ipsis e bronchiis surgentis, fluidi plerumue ac spumosi floridique, sed et indolis alterius, praeio titillationis in faucibus, aliquando caloris, constriionis, doloris in pectore, sensu, per laryngem, vel xspirationis fortioris, vel tussis actione, rejectio.

§. DCV. *Divisio.*

Vel proprio ac *primario* ex vitio, vel morbi alterius ffectu *secundario*, trachea, pulmones sanguinem eruant: ac utroque in casu, vel *universi* culpa *systematis*, el *localis* modo affectionis imperio, cruor funditur: c primo in casu, aut ex *auctis*, aut ex *depressis* ninis *viribus* praecipitat. Exiguae vero causae, quod emel contigit, hoc *revocant*, ac *habituale* reddunt. 'rofluvii quoque alterius suppressi *vicarium* hoc idem *eriodice* recurrit.

Est vero alia, de qua hîc in longum disserere non ossumus, pulmonum haemorrhagia: *interna* scilicet, ua sanguis hoc a viscere, thoracis in cava effunditur. n peripneumoniis rarum non est, hydropem thoracis cutum (§. CXXXI. CLXXXVI.) oriri, ac paucarum atio dierum, copiosum simulque cruentum serum, leuram inter ac pulmonem, ex ipsa istius superficie xterna sudare. Sanguinem aliquando vix non sincerum îc reperimus; ac aliis quandoque in morbis cruorem epentine in thoracem effusum, per cadaveris sectionem, uin laesio vasorum manifesta pateret, deteximus. In ivene, cui tumor inflammatorius testiculi celeriter ubsederat, hoc ipsum evenisse observavimus; ac in corbuticis hominibus quibusdam, sanguinem in cava oracis ex pulmonibus effusum reperimus. Nunc sci-

licet vasa hujus visceris externa rumpuntur, ac interdum aneurysma aut varix huic subsunt profluvio; nunc vomica, abscessus, ulcera, canales pulmonum sanguineos erodunt; nunc vero vesicae, loco aquae, cruento liquore repletae, ad pulmonum superficiem exsurgunt, ac illum in cava vicina effundunt. In ipsum adeo pulmonum parenchyma sanguis aliquando penetravit.

§. DCVI. *Symptomata. — Prodroma. — Constitutiva.*

Non rarum est, et frequenter id nobis aegroti retulerunt, sanguinem sine praevio ad pectus, aut aliam ad partem, molestiae sensu, quasi *tacite*, tracheam ascendisse, ac modo larynge superato, faucium titillationem, oris saporem dulcem, aut salsum, induxisse.

Frequentius interim signa profluviorum sanguinis prodroma (§. DLXXXIII.), et quidem levis horror, lassitudo, ad faciem rubor calorque fugax, cephalalgia, spirandi levis, aut satis manifesta difficultas, tussis arida, — anxietatis, aestus interni, tensionis, ustionis, doloris sub sterno, ad dorsum, scapulas, in pectoris profundo, perceptio, — extremitatum refrigeratio, pallor urinae, aliqua interdum febris, et cordis palpitatio, praecedunt.

Vix primo cruoris sinceri sputo ab aegrotis perspecto, succedunt multa, quae hunc ad morbum absolute non spectant; sed ex terrore nascuntur, rectumve de indole profluvii judicium non parum obfuscant, symptomata (§. DLXXXIII). Sed nunc stimuli ad fauces haerentis sensus diram iterum iterumque tussiendi necessitatem nolentibus imponit: cui, si paulo constantius resistant, aut exiguis conatibus satisfacere conentur; praeviis ingrato ad tracheam sibilo, aut stridentis materiae sonitu, dyspnoea augetur; ac demum, post majorem atmosphaerae inspirationem, totius pectoris convulsiva succussio ac tussis violentior subsequitur: quae sanguinem, si modo paucas ad uncias, vel, minoribus ex vasis, lentius in bronchia effusus est, fluidum coccineum ac *spumosum*, per vices, et aliqua aegroto concessa quiete, ex ore expellit. Si multus, et ex vasis conspicuis, majore cum impetu cruor in bronchium ruit; ex hoc, in alia, vicina, altiora, assurgit; ex istis, per ramos bronchiorum laterales, declives, in subjectam pulmonis affecti, aut etiam in sani, substantiam descendit, — ac

vo refluxu, sub summae anxietatis ad praecordia
ısu, violenta diaphragmatis actione, sed interdum
e *tussi* manifesta, et per solam quasi exspirationem
tiorem, torrentis adinstar. per tracheam, laryngem,
r oris, et narium per ostia, tam fluidus ac floridus,
am partim concretus, obscurus, horrendo spectaculo
aecipitat. Sub tanto cruoris ad fauces impetu, pars
as, in pharyngem regurgitans, *vomitum*, ut vidimus,
lentum saepe provocat,—cibosque, forsitan ventriculo
ntentos, novae sanguinis undae, per tracheam simul
pulsae, commistos, expellit; ac validum medico, tus-
ipsum aliquando per vomitum cruentum excitatae
DCXIII.), non ignaro, quo demum ex cavo san-
is scaturiat, dubitandi argumentum relinquit. Haec
bia non minus in casu, quo tussis violenta prae-
t, ac istius ob impetum, sanguis non modo pulmo-
ım, sed simul narium e vasis expellitur, urgebunt;
t facile pulmo, ob nares cruentas, profluvii insons,
m magno judicii errore, declarabitur.

Sub insigni ac repentina cruoris ex pulmonibus
ctura, non rarum est, aegrotum illico, morituri homi-
s aspectu, prosterni, pallere, extremitatibus frigere,
nvelli, ac asphyxiae sub specie detentum jacere.
ec desunt, illorum inprimis, qui, somno profundo
pulti, vel debiles, ac supino in situ collocati, san-
uinis, tracheam majori, quam larynx transmittat, ir-
entis ab unda suffocati perierint, exempla. Interim
b animi deliquio, hoc etiam profluvium compesci-
r interdum; in aliis, ejecta sanguinis portione mo-
erata, modo paucas post horas, alia aliaque non raro
bsequitur, illa major; ac saepe plures per dies, sub
bre plerumque manifesta, sub pulsu duro, contracto
celeri, sub pectoris dolore, angustia, sub cephalal-
a ac facie rubicunda, sub frequente ad tussim sti-
ulo, sanguineae adhucdum aliquid materiae, nunc
oridae, nunc vero, in plurimis, obscurae ac bruneae,
unc muco rosei coloris sub specie remistae, rejicitur.
lerumque sanguis sub initio hujus mali, vel paulo
rdius, ob novas a profluvio insidias, emissus, corio,
otegitur satis firmo: et quod indolem illius, a phlo-
osi mutatam, in multis sane casibus, ostendit; est
bris, tussis, dyspnoeae, a sanguine emisso pertinaciter

subsistentium, de latente in pulmonibus inflammatione, ac ulcere futuro plena periculi significatio.

Sunt interim non pauci, qui sanguinem e pulmonibus persaepe, ac certas ad periodos interdum, sine tantis molestiis, vel prorsus sine febre, ac alia pulmonum labe, sat diu, vel et longam per vitam, immunes eructent: ac certe timor hoc a profluvio, quam ab omni fere alio major, limites haud raro excedit, multisque aegrotis, nunc sanguinis missione, ubi minus convenisset, nunc adstringentibus auxiliis praepostere tractatis, funestus fuit. Sequiore in sexu, cui uteri cruenta secretio aut minus respondet, aut prorsus intercepta est, ac ipsis demum in gravidis, — in viris, fluxu haemorrhoidum habituali destitutis, haud raro cruor pulmonum ad vasa sat placide, sub debitis periodis, easdemque ad leges, ac pridem ad uterum, vel ad anum, colligitur; ac vel ex ostiis venarum, ut credunt dilatatis, vel, quod nobis verisimilius videtur, arteriarum exhalantium e finibus, — *secretionis cruentae* menstruo beneficio (§. DLXXXIV.), ac visceris sine labe conspicua, scaturit. Virginem, cui menstrua jam longo satis tempore defuerant, ad *clinicum Institutum Ticinense*, ob febrem, qua tunc laborabat, suscepimus. Hoc morbo jam prorsus devicto, eum, praeter nostram exspectationem, asthmatica affectio ac tussis cruenta in conspectum venirent; ipsa nos aegrota, sibi talia, singulis a mensibus, jam diu contigisse, ac largam satis cruoris quantitatem per pulmones, loco fluxus uterini, sub solitis quondam periodis, sine alio salutis detrimento prorupisse, admonuit. Cum interim consueto majorem spirandi laborem accusaret, pulsusque plenos, vibrantes ac frequentes puella, aspectu sat robusta, offerret; venam, — ne medicam sexus feminei theoriam offenderem, *ex pede* aperiri est jussum. Hac vix aperta, ac paucis modo unciis cruoris eductis, ob *dolorem epigastrii* insiguem derepente exclamare, — hoc vero, post pauca minuta, ut vocant, secunda, illico cessante, — de summo *ad uterum cruciatu* ululare, ac altas movere querelas incepit; et eodem quasi temporis momento, sanguis per uterum quiete effluxit; ac tam felici eventu, ut et tussis cruenta, et asthmatica affectio extemplo disparuerint, excerni continuavit.

edebamus tunc saphenam a nobis casu fortuito, eo o, quo sanguis vel sponte ex utero venisset, temre sectam, — ac redditam pulmonibus libertatem, stituti fluxus menstrui, non venaesectionis, effectum sse; sed aliter nos docuit rerum successus. Scilicet m, altera jam die, menstrua cessassent; pristina pulones oppressio invadere, ac sanguis sub tussi expelli epit. Hinc iterum, non parum attenti, ad venae dis sectionem consilium convertimus; ac eodem quam sterno, eventu ac ordine, vix fluente ex vena sauta cruore, summus primum *epigastrio*, mox *utero*, lor redivit, sanguis illico ex vagina prosiliit, ac pulonum difficultas, atque simul cum ista profluvium orbosum, disparuit. Ne vero auxilii hoc genere, fuis forsitan hujus mali sub periodis, cum systematis ius detrimento, abuteretur aegrota, nunc suis restia, ut pedes tunc profundius in tepidam immerge-, consilium porreximus; ac, ut nobis ab assistente ie virgini medico relatum est, idem hoc consilium entus, donec salus in integrum rediisset, aliquoties ronavit.

§. DCVII. *Symptomata tracheorrhagiae.*

Sed et alia est ratio, cur sanguis, non aequo semr per laryngem ruat periculo: scilicet, quod ille n ipsorum e vasis pulmonum, sed ex iis, quae *traeam* percurrunt, frequenter aufugiat. Non sine mao rationis fundamento suspicamur, partem hominum e maximam, qui sanguinem sine pectoris aliqua motia aut sensatione ingrata, ac sine alio salutis inmmodo, per laryngem frequentius eructant, — hunc n adeo ex ipsis *pulmonum*, quam *tracheae* aut langis e vasis oriundum profundere. Quodsi cruoris *umosa* in multis indoles contrarium indicare videar; sufficit cogitasse, quod et sanguis *trachealis*, si nspicua satis copia suis e canalibus profluxerit, fae profundiora pulmonum in bronchia praecipitet; c alia, quam tussis repetitae actione, cum aëris porne conquassatus, per tracheam urgeri queat, et r laryngem tam alto in loco positum expelli. Muls certe, qui modicum cruorem sub tussi non magna r laryngem reddebant, — ardorem fixum, titillationem,

aut sensum laesionis ad asperam arteriam accusare, locumque unde sanguis scaturiret, ad istam indicare audivimus. Sunt adeo, qui sanguinis portionem, quin violentae exspirationis, ac venientis a tergo undae majoris per impetum pelleretur (§. DCVI.), *sine tussi* manifesta evacuent; ac saepe nobis visum est, acsi strata tracheae muscularia cartilagineis licet circellis, majore ex parte, circumscripta, sanguinem propriis e vasis modice ac majore sine impetu stillantem, ex annulo, limbo inferiore ad interna retracto, superiorem in annulum elevare, ac sensim laryngi adducere valerent. Ipsius certe oesophagi fibrae musculares cum cibis subliquidis ruminante in homine (§§. DCLIV. DCLV.) id praestant: et qui tracheam, proprias per fibras, non modo arctari, sed et brevius in spatium reduci intellexerit; is motum a nobis indicatum ac *retrogradum*, quam ipsa experientia confirmat, vix in dubium vocabit.

Quod si vero cruorem e larynge, sine tussi ac pectoris molestia, sub titillationis, caloris, ustionis sensu ad unam modo eandemque tracheae regionem defixo, venientem, ex aspera arteria magis, aut ex ipso larynge, quam ex pulmonibus scaturire credamus; non tamen ideo *tussis* hac profluvii sub specie praesentiam pro *pulmonalis haemorrhagiae* indicio sat firmo declarabimus. Scilicet, qui copia quodammodo majore, aut cum impetu tracheae ex vasis prorumpit, cruor: is facile, quod supra jam monuimus, in bronchia, suo pondere, descendit, ac tussim nunc excitat. Sic et solius tracheae, laryngis, irritatio, provocandam ad tussim jam sufficit; ac saepe ipsius pulmonis affectio localis, sensum in trachea ac vocis organo morbosum, quin vitium his ipsis in locis subsistat, inducit: quae singula, quam dubium saepe ac incertum sit hîc morbi de vera sanguinis scaturigine judicium (§. DCII.), luculenter ostendunt. Interim si cruor, quin *pneumonorrhagiae* symptomata, aut causae (§. DCVI.) praecesserint, sub sensu tracheae descripto, sine tussi, vel levi sub tussicula, et motu exiguo per laryngem regurgitet; si paucos post dies, tracheae ardor cum ipso cruoris fluxu disparcat, quin tussis, dyspnoea cum febre, superveniant; si aegrotus jam longum per tem-

.as hoc profluvio, quin labis in pulmonibus indicia accesserint, laboret; tunc certe spes magna est, *tracheam*, non vero pulmones hunc sanguinem dedisse. Cruorem modo *paucum* ex vasis asperae arteriae minoribus effluere,— ex ipsis vero pulmonibus *multum*, — sine ullo rationis fundamento est dictum: ac sicut eximia interdum sanguinis ex bronchiis rejecti est quantitas; ita ex venae varicosae vel arteriae trachealis laesione, vel ex carotidis aneurysmate in asperam arteriam contiguam aperto, quamplurimus sanguis ex ista erorumpit.

§. DCVIII. *Causae.*

Haud opus est, ea, quae (§. CDLXVI. et DLXXXIV.) diximus, hîc loci repetere; sed juvabit nihilominus praecipua, quae pectori insidias struunt, indicare. Huc igitur inprimis spectant: violentia organis spiritalibus illata, vulnera, contusio, percussio, compressio, coarctatio, depressio, mala conformatio thoracis, fractura sterni, costarum, nixus fortior sub partu, in elevandis ponderibus, in alvo duriore deponenda, — tubarum, fistularum, inflatio, — oratio, vociferatio vehemens et longa, clamor altus, inprimis sub ira fortiore, cantus acutior, profundior, protractus, corpora peregrina in tracheam illapsa, tussis violenta, ferina, fumi, vapores nitrosi, sulphurei, alii, cum aëre inspirati, — sternutatio impetuosa, risus effrenis, exercitium violentum corporis sub cursu, lucta, equitatione, vectione per loca saxosa, pilae lusu,— pulmonum per morbos praegressos debilitas ac sensibilitas major, ut puta per catarrhos, peripneumonias frequentes, congestiones sanguinis, alia per loca ad leges naturae, habitudinis, effluere impediti, per insultus asthmaticos, per phthisin, ut vocant, pituitosam, inducta; dispositio scorbutica, haereditaria, nativa ad phthisin pulmonalem, — tumores in pectoris cavo, aneurysmata cordis, vasorum majorum, pulmonalium, — steatoma, vomica, tubercula pulmonum, induratio unius ex istis, varices, hydrops pectoris, pericardii, empyema, calculi, materia tophacea, calcarea in bronchiis concreta, virus venereum, pulmonibus infestum, — herpetum, impetiginum variarum subitanea suppressio, ac similis ad pulmones morbosa secretio; abdominales

infarctus, — viscerum, inprimis hepatis, lienis, uteri moles aucta, tumores scirrhosi, adeps multus, vel aquae abdomine collectae; spasmi abdominis, extremitatum refrigerium, balnea frigida, vestes arctiores inprimis thoraces angusti, ac singula demum illa, quae stimulum pulmoni admovent, et cruorem cum impetu alliciunt; — aut eundem alias per corporis partes distribui impediunt, ad vasa pulmonum urgent, ac localem hoc in viscere plenitudinem inducunt. Venerem praecocem, aut nimiam, inprimis onaniam, pulmonibus haud parum insidiari, multorum, qui hac ex causa nimis exhausti sanguinem sputarunt, ac tandem in phthisin delapsi sunt, funera confirmant. Feminae nobis exemplum oblatum est, quae, licet corpore huncusque firmo ac bene nutrito dotata, quoties tamen veneri aestivis sub caloribus paulo ardentius inservit, — toties cruorem illico e pulmonibus eructat.

§. DCIX. *Prognosis.*

Ex dictis (§§. DCIII. DCVI. DCVII.). diversa *pneumonorrhagiae pericula*, — maxime si ejusdem ad causas (§. DCVIII.) respiciamus, jam satis elucent. Scilicet in praedispositis ad phthisin pulmonalem hominibus, in quibus tubercula plerumque, aut nativa vasorum pulmonalium teneritas, sensibilitas morbosa, profluvium inducunt, spes modo pauca restituendae, constantis saltem, salutis affulget. Si per omnem puerilis aetatis periodum frequentius per nares, — sequentis vero aetatis per annos jam saepe per pulmones cruor profluxerit; ne facile mutari habitudo haec possit, et ne labem hujus visceris inducat, justus est timor. Verebimur et illud, quod febris, pectoris angustia majorque molestia indicabant, comitantur, profluvium, inprimis copiosum; sed magis hoc verebimur, si febris, tussis, dolor, dyspnoea, cessante jam cruoris effluxu, per plures adhuc dies continuent, — ac lenta quasi febris tabisque pulmonalis symptomata succrescant. Tristissimus est status, cui maximo cum impetu cruor plurimus, coccineus, sub ebullientis quasi, in cavo thoracis profundo, aquae strepitu, ex trachea per vices praecipitet, — cui extrema frigere, vomitum, lipothymias repetitas, nec tamen fluxum cruoris cohi-

entes, convulsiones succedere videamus; vel si causas orum, quas minime auferri licebit, subesse noscamus. Non tamen ultra, quam par est, et quam expeentia jubet, hos timores, cum damno aegroti, extendi ortet (§. DCVI.). Gravidae mulieres non raro, doc partum absolverint, sine tantis, si modum res ibeat, periculis., sanguinem ex trachea eructant. uxu menstruo orbatae feminae, ut diximus, — tellae necdum rectius menstruatae, frequenter sub bita periodo, cruorem e pulmonibus, quin multae nspicuam abhinc noxam experiantur, excernunt. em de haemorrhoidibus virorum suppressis, ac in ilmonum profluvium mutato fluxu aliquando, — sed nostrae observationes loquuntur, *raro admodum*, cendum est. Sub pulmonum inflammationibus, saepe nguis sat multus, quin *haemoptysin* vocassent, ejiur: ac si modice id fiat; meliore id sorte, quam si illa quidem sputa expellant, contingit. Ab illata thoci externa violentia, sanguis persaepe, sed multis casibus, sine eo, quod *causae internae* attulissent, rum discrimine, per tracheam profunditur. Nec mis in robustis hominibus, corporis exercitio parumr violento. aut potui spirituoso aliquantulum indulntibus, sanguis interdum ex trachea, pulmonibus, in ideo vel redeat hic fluxus, vel labes ad istos maneat, regurgitat: ut igitur si tam atro hic morbus rbone notetur; id maxime ex eorum, qui ob praevia pulmonibus tubercula, vel ob infelicem ex parenus, a nativitate, dispositionem, profluvii hoc genus tiuntur, frequentia, — vel demum ex ipso medicorum maturo, hunc fluxum, vel quovis in casu ac illico hibendi conamine, derivandum sit.

Qui ex trachea, aut e larynge duntaxat, ascendit, ior (§. DCVII.): is, si modo certa sit satis diagnosis, nori omnino, quam qui ex bronchiis venisset, cum erimine prodibit. Interim si gravior vasorum laesio, l causa solidis viventibus pertinaciter adhaerens et ulcera maligna proclivis, subfuerint; phthiseos, am *trachealem* vocamus, et quam alibi describenm reservamus, exempla non desunt.

§. DCX. *Cura pneumonorrhagiae sub invasione: — Profluvio absoluto. — Cura prophylactica.*

In *cura* pneumonorrhagiae, primum ad generalia, quae pro omni sanguinis profluvio tractando proposuimus (§. CDLXVIII. — DLXXXVI.), praecepta, et maxime ad causas, quae cruorem suis e vasis provocarunt (§§. CDLXVI. DLXXXIV. DCVIII.), respiciendum; atque alia sub ipso cruoris effluxu, alia post absolutam sanguinis rejectionem, ac alia demum ad impediendum istius regressum, transitumque in morbos pedissequos, via ineunda est.

Hinc sub ipsa hujus morbi invasione, primum est, ut festinante quidem, sed cauto satis, nec turbato, per aspectum periculi, oculo, mox indolem aegroti, causarum praegressarum, latentium, ipsius habitum modumque profluvii, vires vitae superstites, ac eorum, quae timenda sunt, seriem scrutemur. In genere, oportet, ut aegrotus mox vestibus ac cingulis, quae comprimant, spolietur; ut corporis positionem erectam observans, subfrigido in aëre degat; ut corpus vel minime moveat, ac ab omni prorsus vociferatione abstineat; ut mentis in eodem agitatio, quo fieri id licet, modo, componatur; ac tandem, ut potum calidum, vel et talem, qui fauces ad tussim exstimulet, ut nimis acidum, evitet.

Si juventutis sub flore constitutus, robustus, ac laute nutritus est aeger: si alterius suppressio cruentae excretionis, validum exercitium, spirituosorum abusus, praecesserunt; si moderato cum impetu sanguis per tracheam assurgit; si, uno ut verbo dicamus, *hypersthenia* subintrat: tunc, etsi pulsus, ob terroris rationem, contracti, ac facies pallore obducta sint, ab illis, quae stimulent, vel quae sanguinem cohibeant abstinendum, et cruor ex brachio, sat ampla venaesectione, mittendus est. Si arteriae ab ista assurgant magisque vibrent; si febris, dyspnoea, ardor pectoris simul id jubeant: tunc ad idem auxilium, sub victu tenuissimo, ac remediis vim nimiam vasorum moderantibus, recurrimus; alvum adstrictam cum clystere movemus, ac simul tepidae, — ne tamen magis haec irritet, quam sanguinem revellat, profundius immergimus.

Aliter, si plurimum jam sanguinis ex pulmonibus issum, et *hypersthenia* sic passu celeri in *astheniam* tata est, — vel si ex causis praegressis habituque subti, adynamica videtur profluvii indoles, procedendum; ut sanguis sistatur, quaerendum: hinc de cruore mitdo vel minime cogitandum est. Majore sub malo, bra- is cruribusque circumposita super cubiti ac genuum iculis ligatura (§. DLXXXVI.), potus frigidus, ac sen- i gelidissimus, affatim, ac ad brevia intervalla, mode- a quantitate, haustus, — vel, majore sub mortis, a ioris subitanea jactura, periculo, glacies contusa oraci admota, apud multos eum felici effectu adhi- atur. *Adstringentia* sic dicta, ab aliis, hoc sub casu odesse. — ab aliis, nocere, referuntur. Scilicet, ae, sub majore jam asthenia, nimis exstimulant, nime convenire hîc possunt: sed ea, quae gradui us adaptata sunt, ab initio, mitiora, ac, ascendendo, asim potentiora, excitantia opportuna sunt. Nisi tussim augeat, acidum sulphuricum, cum aequali parte al- iolis remistum, cum frigida, cui simul mucilago mmi arabici, vel radicis salep decoctum superad- a sint, propinandum est. Herbae digitalis purpureae usum, ex scrupulo uno ejusdem paratum, cum aqua namomi simplici, guttis quindecim, viginti, tin- rae opii, et grato simul syrupo, haud raro con- cunt. Si dyspnoea non urgeat; corticis peruviani ractum, cum aluminis portione, vel serum lactis n alumine paratum, ac similia, prudenter prae- ibuntur. Hoc modo aquam vulnerariam Romanam, a *Insubri* toties in *activo* abutuntur, in *passivo* fluvio aliquid praestitisse, ipsumque alcohol, cui te nitrum adjectum efficaciam non dedit, profuisse nine negabimus. In eo certe, quod sub scorbuto, sub ribus asthenicis, ex visceribus contingit, cruoris fluvio, copiosis experimentis virtutes *vini* compro- ae fuerunt. Urticae succus, qui tanto quondam er Italos in usu fuit, vix ullo effectu stipatur. Re- ctas emeticorum, inprimis ipecacuanhae, doses passivis profluviis jam laudavimus (§. DLXXXVI.), oportet has caute, ac ne vomitum promoveant, rigere. Ipsa quidem emetica interdum pulmonum enta profluvia, inprimis si gastrica colluvies haec

produxisse videbatur, profuisse, a claris in arte viris est dictum; sed super igne doloso ac cineribus tecto hîc incedimus; nec tanta nobis causarum certitudo concessa est, quin ipsa ventriculi subversio, profluvii pulmonalis effectus, ac emetici praescripti actio lethalis esse queat. Si spasmodica affectio, inprimis abdominis, profluvio pulmonum occasionem dedisse,— vel ipsius laryngis convulsiva irritatio, ac tussis abinde inducta, cruoris profusionem adaugere videatur: tunc oleum lini, amygdalarum, emulsio arabica, cum haustu, ut vocant, narcotico mista, ac similia per alvum injecta remedia, potiore effectu praescribentur. Si menstrua purgatio, aut haemorrhoides suppressae, cruoris ad pulmones affluxum majorem ac profluvium induxerint; hirudines pudendis, vel ano applicari, a multis jubentur. Asthenica interim pneumonorrhagiae, cum subest, conditio, ac ipsa revulsionis, illo cum auxilio faciendae, incertitudo, huic methodo haud favent. Aquae vaporem ad cruoris per vasa recti intestini egressum promovendum, si consuetae leges periodi sic jubeant, adhiberi non obsumus; magis tamen, vel hoc in casu, vel si viscerum abdominalium obstructio cruoris distributioni morbosae ac pulmonali profluvio subesse videatur, ea, quae hos demum obices solvant, remedia indicantur. Si forsitan secretio morbosa ex rheumate, herpete, etc. teneram bronchiorum superficiem irritaverit; tunc, praeter opportuna huic morbi causae remedia, emplastrum vesicans aut sterno, aut loco scapulis intermedio oppositum profuisse est visum.

Sanguinis ex pulmonibus *absoluto* profluvio, in corporis animique imposita quiete persistat aegrotus. Saepe tussis hunc sicca nihilominus divexat; aut sanguinis jam bruneo, subnigro colore instructi, concreti reliquiae, hinc inde striis sinceri cruoris notatae, per illam rejiciuntur. Vaporem aquae, ut citius corrupta haec materies a bronchii secederet, laudavit vir celebris; sed caute, post magna ex pulmonibus profluvia, ne sanguinis hoc ad viscus congestionem, vel affluxum majorem, stimulando nimis, renovemus,— ac ne thrombus, qui loco bronchiorum sanciato adhaeret, citius, quam par est, separetur, incedendum esse

nemus: nec securum est illorum, qui *arnicam*, sanguinem stagnantem resolvat, adhibendam esse unt, consilium. Quod si tussis reliqua, cum dyspnoea, febris hypersthenicae indiciis incedat; tunc, sub victu huc dum tenuissimo, sub potu ex sero lactis, lacte vocant, ebutyrato, vel ex hordei decocto, cum mellis rtione remisto, moderata, ac, si vis morbi id exit, repetenda, venaesectio, aut cucurbitulae scariatae, ac blanda per alvum evacuatio, conducent. nulla pulmones phlogosis tenere, statusque asthee subesse videatur, ac tussis arida, molesta, sub is occasu increscat; tunc emulsio arabica cum opii rtione indicabitur. Ubi sex circiter, vel septem per es febris exulaverit; alimenti ex farinis oryzae, hori, avenae, cum jusculis ranarum, testudinis, pulli, t vituli, decoctis, vix tepidi, portio moderata, quovis re bidorio, concedenda est. Post profluvia *asthenica*, sanguinis viriumque notabilem jacturam, tantus, ac m protractus in longum rigor, sine damno jam hausti nimis aegroti non foret; ac praeter chinae fusum frigidum, decoctum cum emulsione arabica mistum, victus magis nutriens, quantitate quidem igua, sed omni fere hora, ex pane cum jusculis rnium dictarum decocto, superaddito interdum ovi tello, porrectus, requiritur.

Atque sic infaustum hujus morbi transitum in alium, u in lethalem plerisque phthisin pulmonalem, apud ultos feliciter avertimus. Sed nihil sola medicina, si ipse sibi consulat, et a causis hujus mali, tam cile redituri, sibi caveat aegrotus, proficiet. Parum leo utriusque conamina auxilii saepe ferunt, si exitialis iemquam ex parentibus praedispositio tenuerit: ac tegras nos quoque familias, quocumque demum modo vendi uterentur, praecedente plerumque, — ut sinum certe magis, quam ut causa primaria, cruento ulmonum profluvio, in tabem, ex ulcere istorum, thalem praecipitatas doluimus. Est interim non sperendum pro multis, in praeceptis, quae sub tractatu e *phthisi* exponemus, cum virili constantia adimendis, vitae praesidium: et quae ex illis in genere uc spectant, in eo sunt posita; ut aegrotus a pneuonorrhagia convalescens, qua demum ratione licebit

aëris inprimis, nec frigidi nimis, nec montani, nec variabilis admodum, sed per amplam planitiem spirantis, rusticani, delectum instituat; ut vestibus nimis arctis, tenuioribus, aestivis, renuncians, a pedum inprimis et a cutis subitaneo refrigerio sibi caveat, ac omnem catarrhalis affectionis occasionem sollicite evitet; ut corporis exercitio moderato, vel nave, vel equo, matutinas ad horas suscipiendo, fruatur; sed ab eo, quod violentum est, a nixu quovis, ab acclivium ascensu, a clamore et cantu, tubarum inflatione, ac longa vociferatione, — ab illis, quae motum cruoris valide accelerant, alimentis, potulentis, Veneris illecebris, animi pathematibus, abstineat; ac maxime, ut omne in causis internis (§. DCVIII.), quae morbum jam pridem excitarunt, fugiendis, corrigendis, eradicandis, consilium mature convertat. Tam multiplex ac inter se diversum hoc est, ut in singula, quae huc spectant, descendere nequeamus; sed generatim hîc monuisse sufficiat: nunc *omne systema*, — aut per ea, quae solidorum vim nimiam vitalem infringant, nunc per illa, quae nimis languidam intendant, auxilium expetere; — nunc vero pulmones, aut partes alias, vicinas, longinquas, mechanica actione, vel consensu in pulmones imperantes, *vitium locale* corrigendum offerre; nunc autem *utrumque* hinc inde concurrere, ac methodum, ut ipse morbus complicatus est, compositam exigere.

ORDO III. GENUS IV.

HAEMATEMESIS.

---

§. DCXI. *Morbi notio.*

De *Vomitu* quidem, cujus indolem sub quarta hujus libri sectione (§. DCLIX.) exponendam reservamus, hîc modum ex professo agemus: interim, cum sanguinis profluvia *ex ventriculo* per vomitum hinc inde contingant; *haematemesis*, seu *vomitus cruenti*, historiam hîc omittere nequimus. Non quidem eo de sanguine hîc sermo est, quem homines, vel ex ore, naribusque venientem, ac sub somno ad ventriculum deductum (§§. DLXXXVIII. DXCVII.), vel alimenti sub specie assumptum, vel, opinione superstitiosa delusi, ut a morbo *epileptico* se liberent, ex hominis capite truncati arteriis salientem, cum adhuc fumaret, epotum, vel ad fraudem, ac ut morbum de quo agimus, simularent, exhaustum, per oesophagum rejiciunt; — sed agitur de morbo, in quo cruor ex ipso abdominis cavo per ventriculum regurgitat, ac plerumque per oesophagum ascendens, sub vomitu, ex ore, foetidissimo spectaculo, rejicitur. Est quidem, ubi sanguis maximo cum impetu, ventriculi aut aliis ex vasis, ac tanta quidem copia, ut illico mors ipsa sequatur, praecipitat; ac nullum sic profluvii *externi* signum in viventibus compareat (§. DCXIII.): sed rarius haec ita contingunt; atque tunc, sicut vitae servandae, ita morbi coguoscendi, nisi sectio patho-

logica hos, sero nimis, eventus illustret, amittitur occasio.

§. DCXII. *Definitio.*

Est igitur *haematemesis*, sanguinis proprii, ex ventriculo, aut partibus vicinis, contiguis venientis, — nunc fluidi, rubentis, nunc in grumos concreti ac atri, nunc sinceri, nunc rebus ingestis, aut contentis remisti, diluti, post nauseam, post oppressionem, tensionem, ardorem epigastrii, saepius post instantis lipothymiae sensum, — per vomitum, sine tussi primaria, ac saepe per alvum simul, rejectio.

§. DCXIII. *Symptomata.* — *S. prodroma.* — *S. constitutiva.* — *Morbus niger Hippocratis.*

Rarius hoc profluvium (§. DCXII.) quam alia cruenta profluvia, nec ipso quidem *mictu* cruento (§. DCXXVI.) excepto, — frequentius in sexu sequiore, adulto, quam in viris, nisi fluxu quondam haemorrhoidum (§. DCXIX.) detentis, occurrit. Plura interim nobis haematemesis exempla, sub artis medicae longiore exercitio, oblata sunt; ut igitur sinceram ac naturae fidelem et hujus morbi imaginem hîc delineare valeamus.

Pubertatis ante tempus haematemesin observare; licet pauca apud alios exempla non desint, necdum nobis datum est; nec in senio eandem, quamvis illa minus raram, si modo virum *Genuensem*, sexagesimo jam anno superiorem, excipiamus, conspeximus. Pars maxima aegrotantium, trigesimum et quinquagesimum inter annum hoc profluvio laborat; sed puellae non minus, quam feminae, quo semel tempore menstrua prodierunt, hoc fluxu interrupto inprimis, vel quavis aetatis periodo, aequali fere ratione, hoc a morbo plectuntur. In puella *Bruchsaliensi* septem ac decem annorum, — in femina Ticinensi annorum viginti, hoc profluvium tractavimus; sed plures ex illis, qui aetatem juvenilem superaverant, numeramus. Hypochondriaci, animoque ad tristitiam, morositatem compositi, aspectus pallidi, subflavi ac fere terrei, homines, — ac inter istos, qui studiis profundis, corporis exercitio necessario privati, intensius indulgent, ac

os, quos stomachus aversatur, potu generoso cali-
que supplere conantur, prae aliis, huic profluvii
cici subjecti vivunt.

Per plures vero annos, haud paucis, haec mala
antur. Variae his, praevia in plurimis fluxus aut
nstrui, aut haemorrhoidalis suppressione, circa
aecordia molestiae, angustiae, tensiones, oppressio-
s, dolores cardialgici, aut ad sinistrum hypochon-
um, aut denique ad ventrem, in aliis ad lumbos,
t integram columnam vertebralem, nascuntur; ci-
rum, nunc praeter modum increscit, nunc deletur
siderium; nauseae, vomituritiones, vel et vomitus
nosi, acidi, interdum salivatio, singultus, respiratio
spiriosa, cordis palpitatio accedunt; flatus multos,
odoros, cum levamine, vel et aucto sub dolore,
r oesophagum eructant; nec raro singularem in-
antis quasi lipothymiae sensum accusant: quae sym-
omata, cum nunc in totum dispareant, nunc aequali
olentia, vel dum cibos vix hauserunt, vel coctionis
b opere, recurrant; pro ventriculi plerumque iner-
, vel pro affectione spasmodica declarantur. His
rumnis, liquores spirituosos, ardentes, aromate, vel
aloë conjunctos, potumque coffeae ad nigredinem
turatum, opponunt; vel medici incauti, de copia
burrarum ad ventriculum haerentium somniantis,
nprovido consilio utentes, emeticum, aut purgans,
uod tenacem, ut ajunt, pituitam expellat, reme-
um, — quibus pejus venenum sorbere vix possent,
otant. Vel scilicet ab istis, molestiae in immensum
agentur; vel ipso sub vomitu, sanguis cum impetu
l mortem usque hinc inde, ex ventriculo praecipitat.
c virgini vir audax pulverem cornachini, ac radicis
lapae, hos ad stomachi ardores, dolores, prae-
ripserat: eodem, vix ab horula, assumpto, mox
nta cum violentia cruor ex ore per vomitum pro-
ipit: ut, cum ad aegram, accersitus, properassem;
er fluentem, a lectulo, cubilis ad limina, cruorem
essus absolvere debuerim. Sunt, qui, praegressis,
uos diximus, ad epigastrium, hypochondria, ventrem
mbosque doloribus, ac syncopis imminentis sensa-
one, materias atras, corruptas, sanguinolentas per
num, vel priusquam similes per ventriculum expel-

lant, vel adeo quin vomitus cruentus sequatur, sub *cruentae* magis *diarrhoeae* aspectu, execrnant; ac interdum, ab hac sola jam nimis exhausti, sub continuis lipothymiis, sub pulsu exilissimo, ac frigore marmoreo, vel denique convulsi, moriantur.

Alios, non tamen multos, hoc profluvium ventriculi cruentum ex improviso quasi, aut saltem sine praeviis ad epigastrium molestiis, adoritur; ac, sicut ad anum haud paucis contingit, sanguis tacite per venas varicosas copiosus aufugit. Sic vigesimum vix annum attingens femina in *clinicum Institutum Ticinense* suscepta, perfecta valetudine gaudere sibi videbatur: cum sub calida aestate elapsa, quin ullum animi pathema praecessisset, a capitis dolore, ac frigoris a sensu prehensa, mox vires, aciemque oculorum amisit; sudore frigido obtecta, ac motu sensibusque destituta, per bihorium sub vera *asphyxia* detenta fuit. Huic aegrotae, dum sensus rediissent, eorum tamen, quae sibi vix contigerant, non rediit memoria; sed sanguis hinc inde ex gingivis effluxit, ac potuum acidorum sub usu, non multas post dies, valetudo amissa restituta est. Tres menses, sub ista, hilaris expleverat: cum tempore catameniis intermedio, praeviis vertigine ac nausea, sanguinis congrumati octo fere uncias per vomitum, ac omni sine tussi, rejiceret. Successit iterum, ut pridem, febricula; sanguinem gingivae stillabant; sed major nunc debilitas, ac singula, ignotae sibi alias, chloroseos symptomata in conspectum venerunt. Nunc menstrua copiosa, et decem adeo per dies protracta, cum intenso lumborum dolore, succedunt; ciborum viget desiderium; sed saepius dolor, tensio epigastrii recurrunt; ac mensis vix spatio absoluto, vomitus cruentus de novo, — et quin symptomata praedicta remitterent, eadem sub periodo, iterum revertitur. Quae igitur sub prima hujus morbi invasione occurrerunt, — licet aegrota tunc sanguinem ex oesophago vel minime reddiderit; ea certe ex *interno* ventriculi profluvio derivanda sunt, sine ulla epigastrii oppressione, tensione, tunc saltem observatis, symptomata. In alia aegrota, quam idem ad *clinicum Institutum* suscepimus, febris intermittens neglecta sponte quidem cessaverat. Successit anasarca, quod

tiam sine artis praesidio disparuit. Post quindecim, b hydrope disperso, dies, mox a coena, capitis graedine et insolito calore mulier afficitur; ac, *levibus* nodo ad ventriculum constrictionibus praegressis, mox tri sanguinis copiam insignem, absque tussi, per voitum rejecit. Vir sexagenarius, cujus alibi refertur istoria. nulla praevia causa manifesta, subitanea nece xstinguitur. Lustrato cadavere, tota ventriculi cavitas, no, praegrandi, ac formam stomachi referente sanuinis grumo cum in modum obsessa et impleta fuit, t spatium nullum, inter pylorum et sinistrum oriicium, vacuum remaneret; ut igitur *prodroma* non n omnibus signa hunc morbum annuncient; et ut anguis fortasse saepius, quam noverimus, ventriculi rofluvia cruenta. hujus visceris diuturnas molestias, el mortem demum ipsam, et quidem improvisam, nducat. Aliquoties aegras, *Vindobonensi in Clinico nstituto*, priusquam sanguinem evomerent, de *oris lulci sapore* conqueri audivimus; ut igitur non solam aemoptysin haec mira praecedat sensatio.

His igitur, quas diximus, molestiis, aut fere nullis nterdum, praegressis, aliquando sub corporis ad aneriora incurvatione moderandis; aegroti sanguinem, unc dilutum ac serosum, nunc sincerum ac fluidum, unc in placentas sat magnas et atras concretum, ac ubinde jam satis corruptum, et foetidum, nunc potu ibisque, vel et acidis, biliosis saburris remistum, vel aucum, vel et plures ad libras, quin, ut nos quoue conspeximus, ad aliquot mensuras, per vomitum, lerumque sine tussi, ventriculo expellunt. Quodsi tanen pars cruoris cum impetu ad palatum allidentis, b illo ad laryngem regurgitet; tunc certe, ut vidinus, et *tussis* violenta comitatur hunc vomitum, melicumque, nisi maxime in singula attentum, quod le sanguinis ex pulmonibus rejectione jam diximus §. DXCVIII.). de vera cruoris scaturigine ancipitem elinquit. Quidquod feminae *Ticinense ad clinicum Institutum* delatae exemplum habeamus: quae, fluxu menstruo suppresso, in vomitum cruentum inciderat. laec, quamvis nunquam fluxus ille uterinus rediisset, atis tamen felici valetudine, tres fere per annos, gavisa est: quo tempore, *febris cum catharro* et *cum*

sputis cruentis, — ac simul, praeviis ad ventriculum consuetis molestiis, antiquum ex hoc viscere profluvium, impetuoso sub vomitu, in consortium venerunt. Interim qui animum et ad ea, quae vomitum cruentum ad ventriculi regionem, et ad hypochondria praecesserunt, — et ad ea, quae sanguinem rejectum concernunt, — ac tandem ad illa, quae profluvio cessante occurrunt, convertit: ille veram mox istius diagnosin instituet.

Ac prima quidem ex istis, jam satis exposuimus. Ipse vero sanguis ex ventriculo ascendens, nec tam coccineus esse solet, nec spumosus est, ut ille, qui pulmones deseruit; nec facile aut a tussi, dolore thoracis, dyspnoea, praeceditur, aut a prima ex istis expellitur. Praeterea haud raro et ciborum, et potus portio assumptorum, cruori ex stomacho rejecto, plerumque frustis in coagulum concretis remisto ac nigrescente, conjuncta est. A vomitu cruoris peracto, symptomata tensionis, oppressionis, doloris ad epigastrium plerumque, — sed certe, ut experientia nos docuit, non in omnibus, remittunt; nec tussis nunc, — quod tamen in relato a nobis exemplo observavimus, continuat. Nullum vero sanguinis profluvium, vel et sola ad hoc ipsum *molimina*, tam facile, quam illud ventriculi, *lipothymia* insequitur. Accedit et illud, quod pars cruoris in ventriculum effusi, apud multos, — sed iterum, ut pluries observavimus, non in omnibus aegrotis, per tubum intestinorum descendat, ac ventris tumorem mollem, aut quasi meteorismum, horborygmos, et tormina, ac tandem alvi fluxum cruentum ac atrum, — vel nisi iste sequatur, si plurimum cruoris effusi est, periculosa interdum febris asthenicae cum saburris complicatae symptomata inducat. Feminae hoc a morbo, ac juncto huic simul ascite, exstinctae, cadaver, *Ticini*, publicae, ut salutari ex lege tenebamur sectioni submisimus, ac saguinis concreti et atri copiam insignem, a ventriculo per intestina, tam crassa, quam tenuia, late longeque diffusam, quod et aliis est visum, deteximus. Cum vero nullum cruoris profluvium, jam protinus pacatis ejusdem symptomatis, tam facile, ac tam celeriter, quam ipsa *haematemesis*, redire consuescat; hinc, vix ali-

not ab illa diebus expletis, sub interni caloris sensu, ub levi ac remittente febricula, non raro novae nau-seae, oppressiones epigastrii, inquietudines, anxietates, dolores quasi pungentes in sinistro hypochondrio, osci-tationes, succedunt; ac saepius aegroti sibi sanguinem in stomachum quasi *colligi* persentiunt, ipsumque mox impetu et copia majoribus rejiciunt. In aliis, inprimis si a menstruis, vel a fluxu haemorrhoidum suppressis cruor magis ad ventriculum dirigitur, illorum, vel aestius consuetas periodos *haematemesis*, vix non quam caetera profluvia accuratius, absolvit; vel saltem datis in anno temporibus revertitur.

Contigit interdum, ut, rejecta cruoris inter frusta, *polyposa*, aut quasi *carnea concretio*, aut species *membranae*, sanguine aliquando repletae, quam, facile condonando tunc temporis errore, vir clarus pro *tunica ventriculi nervosa* declaravit, comparuerint. Quodsi pylorum superare ejusmodi concretio non possit; con-tinuus et ab ista, ad vomitum stimulus, ac nova san-guinis sub illo fundendi occasio nascuntur; vel eadem intestinis forsitan commissa, molestiae abdominis non paucae oriuntur.

Sed diutius interdum sanguis, non ipsum ventriculi, aut intestinorum in cavum effusus, sed in vasis in-farctis, et quasi cruenta in palude, detinetur, ac sta-gnat (§. DLXXIII.). Sub hac rerum conditione, inpri-mis in hominibus macilentis, morosis, iracundis, me-lancholicis, aspectu pallido, flavescente, subviridi, instructis, tum plura ex symptomatis, quae *haemate-mesin* praecedere monuimus, epigastrii, hypochondrii inprimis sinistri, — tum multiplices in ea, quae illud inter et umbilicum est posita, vel et inferiore, abdo-minis regione, molestiae, inflatio, borborygmi, tor-mina, ac lumborum dolores, praecedunt. Tandem vero, sub insigni virium prostratione, ac instantis li-pothymiae sensu, apertis scilicet infarctis ventriculi intestinorumque vasis, aut varicibus, *picea*, ac *niger-rima* regurgitatur *materia*, et dictorum cava viscerum inquinat. Acerrimam haud raro, sed certe non sem-per, ac rodentem, atque, si talia in debiliorum jam hominum ventriculis latuerint, nunc acidum, nunc putridum olentem, faex ista cruoris, indolem assumit;

ae talis vel per vomitum regurgitat, vel per alvum copiosa descendit. Atque hic est *morbus*, ut vocant, *Hippocratis niger*, qui morbus modo consistentiae ac nigredinis, in materia abdomine expulsa, ratione, ab ipsa *haematemesis* distinguitur, et viri summi, quem in cathedra *Ticinensi* secuti sumus, penicillo egregie depictus est. Interim et aliae *morbi nigri*, si nomen a materiae per vomitum, aut ex ano rejectae *colore* derivandum foret, species existunt, quae tamen, cum a sanguinis profluvio non pendeant, aliis hujus operis in locis describendae sunt.

§. DCXIV. *Causae. — Haematemesis ex causa locali. — Haematemesis hypersthenica. — Haematemesis asthenica.*

Ad intimam *haematemesis* cognitionem, *causarum*, ex quibus illa scaturit, consideratio non parum contribuet. Hoc scilicet profluvium, systematis *venosi* plerumque morbus est (§. DLXXIII.), et aliarum aegritudinum, quae vasorum abdominalium resistentias imminuunt, in plurimis effectum constituit.

Est quidem, ubi *magnae arteriae*, vix pectoris e cavo egressae, — est ubi *arteriae coeliacae aneurysma*, ventriculi membranis adhaerens, ac in cavum hujus visceris apertum, sanguinis per oesophagum ruentis torrentem eructaverit; nec funesta aneurysmatum, ad *arterias mesentericas*, intestinalem in tubum ruptorum, desunt exempla. Vomitus cruenti, lethalis, ab ossiculo vervecino ad ventriculum deducto, atque hunc ipsum continuo stimulante, ac vix non perforante, venientis exemplum habetur. Similes acicularum, vitri diffracti, venenorum rodentium, drasticorum, sunt noxae. Hirudines aliquando cum potu aquae lutulentae, paludosae, in stomachum delatae, vel et vermes, aut vulnus ventriculo inflictum, aut quaevis violentia externa, sanguinis, istius e vasis, profluvio occasionem dederunt. Sub nixu ad partum difficilem continuo, ac maxime violento, — aut jam gravido ab utero, sua mole vasis abdominalibus molesto, — ex foetus, matris in pelvi haerentis, diuturna compressione, interdum cruor cum impetu ex ventriculo praecipitat. Aliqua, sed rara, haematemesis ex ulcere ventriculi,

ntestinorum, hepatis induetae exempla sunt. Tumoris scirrhosi ad pylorum positio, sicut vomitus diuturni frequenter, — ita et cruenti interdum, origo est.

Est etiam, ubi sanguis, vi nimia vitali, per causas exeitantes adaucta, ut aliis ex partibus, ita ventrieuli e vasis, pellatur; vel, morbosa secretione effusus, sive e viseere inflammato, aut varias ob eausas stimulantes a eruoris eopia obruto, seeedat; et in hominibus laute nutritis, sueeiplenis, aut naturali, eonsueta eruoris, alias per vias exeernendi, evaenatione destitutis, per *vicariam*, ut vocant, haemorrhagiam prorumpat et *activum* sie *profluvium* eonstituat. Feminam in *clinicum Institutum Ticinense* eolloeavimus, quae, etsi, jam satis adulta, ae tribus ab annis uxor esset, forsitan quod uteri volumen per taetum exploratum, *avellanae* vix nueis volumini responderet, menstruo quidem fluxu hueusque privata incesserat; sed istius in loeum, sub periodis interim haud satis aequalibus, sanguinem nunc per pulmones, nunc per ventriculum ejeeit. Alia, eum in tenera aetate sanguinem frequenter per nares exerevisset, jam undecimo aetatis anno menstruis eopiosis ae rite prodeuntibus, subjeeta fuit; ae tandem, florido licet sub eorporis habitu, *haematemesin*, ob quam ad clinieum Institutum delata est, eontraxit. Plures certe feminae, valetudine in caeteris sat firma instruetae, eum ob fluxum uterinum, ex alia longe, quam *debilitatis* ratione, suspensum, aut minus, quam sibi eondueeret, abundantem, hoc a morbo eorripiuntur, manifestum ex cruoris per vasa ventriculi fuga experiuntur, beneficium, et a methodo exeitante, aut profluvium eoërcente, laeduntur: quae singula, non omnem *haematemesin* ex praevia vasorum, seu totius systematis *debilitate* scaturire, abunde demonstrant.

Interim pars longe maxima aegrotantium, ex *asthenia*, et fraeto vasorum abdominalium vigore, et ex oppositis humorum cireulo obstaeulis diuturnis, sanguinem ventrieulo tuboque intestinali expellit. Arteriae illius potissimae, *coeliacae* ex trunco naseuntur, ac eodem ex fonte, suum hepar et lien eruorem hauriunt. Omnis vero sanguis venosus his a partibus, ut ex ipsis intestinis pars notabilis cruoris, flumine com-

muni ad hepar per venam portarum defertur. Oportet hinc, ut quanto minus sanguinis in splenem, aut in hepar obstructum, scirrhosum, per coeliacae ramos lienalem vel hepaticum inferri potest, tanto plus per gastricum ejusdem coeliacae ramum ad ventriculum importetur; aut, ut venis viscerum illorum a tumore compressis, aut quocunque demum modo impeditis, copia cruoris major, ventriculi ad venas, a membranacea ejusdem substantia haud multum custoditas, colligatur, ac easdem cum sensu tensionis, ac doloris extendat. In multis sane illorum, qui ventriculi aut intestinorum simul profluvio cruento perierant, cadaveribus, *vasa brevia*, per quae sanguis a ventriculo ad lienem reducitur, insigniter et ad digiti magnitudinem, dilatata, — *venae meseraicae, mesocolicae*, ad intestini tenuis fere molem, et in amplissimas varices extensae, ac sanguine atro spissoque infarctae comparuerunt. Nec modo uno, ut vir celebris asseruit, sed *pluribus* sane exemplis, haec vasa, praeter modum ampliata, tam ipsum in ventriculum, quam intestinorum in cava, ruptis eorundem parietibus, ac visceris, sub qua decurrebant, interna membrana, patuerunt.

Fateri tamen oportet, frequentius in ventriculis, intestinis eorum, qui sanguinem ad mortem usque per has vias amiserant, nec minimae ad vasa laesionis vestigia intuentium se oculis obtulisse; nec talia in viro conspicuo *Genuensi*, quem saepius repetita haematemesis exhausit, in conspectum venerunt. In feminae hoc a morbo in *clinico Instituto Ticinensi* defunctae cadavere, aqua flava, et plurima in cavo abdominis stagnabat; ventriculus a quinque circiter librarum mole cruenta turgebat; interna modo ventriculi membrana coloris erat subrufi; intestina distenta, piceam materiam per omnem hujus tubi longitudinem firmiter adhaerentem, nigerrimam offerebant. Hepatis substantia cinereo colore insignita, tuberculis jam partim suppuratis obsidebatur; lien, concretionibus quasi corneis in superficie notatus, molis tamen nimiae non erat. In viro, qui sanguinem copiosum, sine vomitu ex ipsis intestinis frequentius amiserat, superficies istorum interna, qua late patebat, erat ruberrima; ac injectis quasi vasculis undique, sine ulla istorum laesione, nitebat.

Ex his apparet, quod sanguis, ut diximus, ex vasis
ntriculi, intestinorum, aut diversas ob causas stimu-
tis, aut chronica quasi phlogosi correptis, aut a vi-
eris vicini, obstructi, eruore inundatis, aut locali
ebilitate affeetis, non raro *cruentae secretionis* effectu,
in vasorum aut ruptura, aut crosio, aut eonspicua
latatio praegressae sint, aufugiat. Interdum subtilior
t in morbis diversis, in febribus asthenicis, nervosis,
variolis maliguis, eontagii materia, aut sola univer-
lis debilitas, quae talia ad ventriculum, intestina, aliis
ae partibus infracta, phaenomena producat. In vi-
inti et septem annorum femina nostris coram audi-
ribus *Papiae* pertractata, haematemesis tum praesen-
s, tum illius, quam quatuor tune ante annos, licet
ptime menstruata, apud nos superaverat, eausam dete-
ere non potuimus; sed modo frigus et ealor nunc
andem corripuerant: quibus, eum binos per dies libe-
atam se erederet, derepente suceesserunt ventriculi
ppressio, dolor, lipothymia, spirandi diffieultas, anxie-
as summa, dolens ciborum solidorum, per oesophagi
nferiora, in ventriculum desceusus; ac tandem san-
uinis, ad quatuor fere libras, per stomachum, nec
multo minor per anum, rejectio. Mirabamur, post
ta, menstruam nihilominus secretionem, quo debue-
at, ordine, suecessisse; sed nec dolor ventrieuli, nee
auseae, nee pulsus, sat duri, frequentia, cessarunt:
donee die deeima et sexta morbi, *tumor ad parotidem*
umine dolens, ae tandem *pustulae* copiosae, erustosae,
rdentes, ad omnem capitis partem capillatam prodi-
ent, ae reliqua morbi atrocis symptomata in univer-
um dissiparent. Tinea capitis per tres fere annos la-
boraverat viginti annorum femina, cujus supra histo-
iam retulimus, et quae in aetate teneriore epistaxin,
— undecimo jam anno aetatis, menstrua copiosa, ac
andem, dissipata in integrum tinea, ae psora cum
nguentis dispulsa, *haematemesin* rebellem experta est.
n *scorbuto, febre Americanorum flava, morbo* ut vo-
cant, *haemorrhagico,* tam rara haud affectio est *haema-
temesis*; ac vidimus in femina, cui oculus ae palpe-
bra sinistra *ecchymosi* laborabant, *vomitum a san-
guine, sine ulla cruoris rejectione,* lethalem: sed, uti
ad oculum contingerat; sic omnis interna ventriculi

superficies a sanguine, hujus visceris inter tunicas effuso, suggillata fuit, ac livida. Plures ex illis, quos *haematemesi* correptos pertractavimus, febre, non ita pridem, intermittente, ac ventriculi languore diuturno laboraverant; sed pars certe plurima aegrotantium, ut diximus, ex sanguinis vel menstrui, vel haemorrhoidalis suppressione hunc morbum incurrit: ac sicut rara hujus causae ex hypersthenia origo est; ita frequentius *asthenicam*, quam *activam* haematemesis indolem sub hac rerum positione agnoscit.

§. DCXV. *Prognosis.*

Ex ipsa symptomatum (§. DCXIII.), causarumque (§. DCXIV.) *haematemesis* expositione, quod demum ejusdem de exitu formandum sit judicium, jam satis elucet. *Periodicae*, ac pro menstruo, haemorrhoidali secretione *vicariae*, *haematemesis* pericula, horrori, quam tetri hujus morbi aspectus cuivis inspirat, non penitus respondent; sed in multis certe casibus, cruor menstruus, per uterum excerni impeditus, sorte minus iniqua per ventriculum, quam forsitan per pulmones fecisset, periodice expellitur; ac ad uterum, obstaculis aliquando liberatum, redeundi, promptitudinem sat diu conservat. Non interim *cuivis mulieri sanguinem vomenti, menstruis erumpentibus, morbi solutionem fieri*, ex feminae exemplo a nobis (§. DCXIV.) allato comparet: scilicet si alia simul causa, quae has turbas continuet, in corpore latuerit, et cum sanguine per uterum expelli recuset.

Cum vero sanguis per hoc viscus, aut per anum periodice expelli solitus, placidius his a fontibus decurrat; nec turbas ac impetus, quos vomitus cruentus, tum universo, quam gastrico inprimis systemati inducat, ac diutius continuet; hinc mirum non videbitur, si tot conatus ad vomendum violenti, sanguinem copia ex vasis ventriculi, quam ex illis uteri, ani, longe majore tandem expellant; ac, saepius recurrendo, tum cruenti liquoris jactura, tum functionum ventriculi subversione diuturna, hominem sensim sensimque exhauriant, et ad *hydropem*, vel ad *tabem* perducant. Hinc in illis, qui ex causis majoribus, quam ex sola quasi laticis purpurei a suis colatoriis aberratione, cruorem ventriculo expellunt, uter-

que finis, sub perversa inprimis vivendi, medendi methodo, celerius timendus est; nec desunt mortis, a summa illius copia, repetito sub vomitu, amissa, subitaneae, et nobis conspecta, exempla. Caeterum, nisi causam hujus morbi, — quod saepius perarduum, ac non raro supra vires humanas positum est, sat cito auferri concessum sit; his licet tandem superatis, aut saltem non parum imminutis, vix non majori *haematemesis*, quam alia profluvia certitudine, *habitudinis* contractae ex legibus, et ex facili ad ventriculum turbarum renovatione, redibit. Si febris, quam saepius huic morbo deesse observamus, *haematemesi* accedit; pericula plerumque, nisi fluxu cessante et illa simul dispareat, augentur. Ex sanguinis vel ore vel ano rejecti *qualitate*, colore, sapore, odore diversis, minus firma, quam ex illius *quantitate ac impetu*, deducitur prognosis. Saepe interim, qui in canali intestinorum diutius stagnat et corrumpitur, cruor effusus, pejora, quam sola ejusdem jactura fecisset, symptomata (§. DCXIII.), ac ipsam aliquando gangraenam, inducit. Nisi cruore per vomitum rejecto, oppressio, dolor epigastrii, nausea, et frigus extremitatum dissipentur; novae *haematemesis*, facile tunc majoris, accessio, brevi temporis intervallo futura, timenda est.

§. DCXVI. *Cura. — C. praeservativa. — C. sub vomitu cruento. — C. post vomitum.*

Cum plerisque in aegrotis, alterius affectionis effectus ac symptoma sit *haematemesis* (§. DCXIV.); hinc, pro indole illius diversa, methodus nunc ista, nunc illa, huic ipsi opponenda est. Generalis ideo hîc indicatio est: ut causas haematemesis diversas (§. DCXIV.), qua singulae id exigunt, ratione tollamus, aut saltem imminuere conemur; ut sanguinis *hypersthenicum* profluvium moderemur quidem, sed violentis auxiliis supprimere vereamur; ut nimiam ac inprimis ex vasorum inertia venientem sanguinis jacturam arceamus; ut effusum et concretum in ventriculo, intestinis, cruorem prudenter diluamus, a prompta corruptione praeservemus, ac methodo blandiore per alvum evacuemus; et tandem, ut morbi effectus auferre, ac reditum ejusdem praevenire studeamus. Maximum et hoc in

morbo *praevertendo* foret positum curae momentum; sed rarior est ille, ac nimis, sub eodem fere aspectu, aegritudines penitus diversae abdominis incedunt, quam ut, sub tam ambiguis venosi systematis dilatati, ac varicum *internarum* iudiciis (§. DLXXIII.), nisi vomitus cruentus jam aliquando comparuerit, hunc illico vasorum statum supponere, ac methodum medendi, cum sat magna certitudine, vacillanti adeo theoriae superstruere valeamus. Quodsi tamen causis hujus morbi potioribus, ac inprimis menstruae secretionis, aut fluxus haemorrhoidalis periodici suppressione, praegressis, — *prodroma*, quae diximus, symptomata (§. DCXIII.), hominem, inprimis sub eodem fere typo magis, divexent; si praemisso forsitan evacuantium, stimulantium ab usu, dolor ac tensio epigastrii incrementum habuerint; tunc utique, nisi alia istorum ratio manifesta se offerat, *haematemesis* praedici, ac methodo ex indole causarum petenda, in quibusdam averti potest. In casu, sat frequente, quo menstrua, aut solita per haemorrhoides secretio, in homine laute nutrito, ac floridae constitutionis suppressa est, sub rerum stimulantium, calidarum fuga, sub victu quodammodo tenuiore, pediluvia tepida, venaesectio, vapores, hirudines genitalibus aut ano appositae, clysteres emollientes, succi fructuum horaeorum cum aqua diluti, aut emulsio amygdalina tenuis, conducunt. Si ex causis contrariis haec menstrui suppressio contigerit; tunc, nisi major jam ventriculi sensibilitas excitantia quaecunque, etiam leniora, recuset, — haec ipsa, sub debita, ne stimulo locali obsint, cautela, elixir acidum *Halleri*, infusum corticis chinae frigidum cum emulsione arabica remistum, aqua spadana pauca, et alia adhibenda; vel et ano, quo minus offendant, similia, paulo magis activa, injicienda sunt. Si viscerum obstructio hunc morbum minari videatur; tunc ad leges alibi tradendas, quae illi conducant, sub iisdem, ne suo ventriculum attactu exstimulent, cautelis, praescribenda sunt. Martialia, nisi prius per mitiora stimulantia solutis in abdomine obstructionibus, plerumque cum damno aegrotantis porriguntur. Si scorbutica dispositio *haematemesin*, fere semper funestam, minetur; ad ea mox, quae huic morbo dispellendo sint apta,

et quae alibi suggeremus, confugiendum est remedia.

Sub ipsa vomitus cruenti accessione, medicamentis, quae ore assumantur, — quod vomitum non pauca ex illis mox promoveant, sat raro est locus; ac ea, quae principio, ut vocant, adstringente haemorrhagiam ventriculi, nisi forsitan enormem, ac necem illico minantem, coërceant, vix non semper cum damno aegrotantis porriguntur. Raro quidem hypersthenicam hic morbus indolem agnoscit: sed si talem prae se ferre, ex causis praegressis videatur, et sanguis copia moderata, sub pulsu satis pleno ac duro, ex ventriculo dolente prorumpat; tunc certe venaesectio, hirudo ad anum, majorem ex isto cruoris jacturam frenare, et alvi per enema solutio conferre valebit. Si ex causis debilitantibus hoc profluvium descendat, — vel, etsi viribus solidorum nimiis a principio tribuendum videretur, tanto tamen cum impetu cruor plurimus proruperit, ut sine magno aegrotantis discrimine sibi ipsi relinqui non queat; tunc punicae granati succus, acidum sulphuricum, frigidae, ad gratum acorem, commistum, vel aqua gelidissima, cum interim crura cum tepida foventur, vel pedes sat profundum in balneum immerguntur, — vel demum. instantis quasi mortis sub periculo, alcohol cum frigida et sacchari portione nuptum, serum lactis cum alumine paratum, et glaciei contusae aut nivis ad ventriculi regionem applicatio, tentari merentur. Interea quies corporis summa imperanda, nec, si alvum, tunc facile cruentam, deponendi necessitas subveniat, ut lectulus ab aegroto deseratur, permittendum est. Si forsitan, ob magnam cruoris jacturam, lipothymia aegrotantem corripuerit; extremitates quidem cum vino calido, aut infusis aromaticis fovendae; sed ea, quae fortius exstimulent, ob novi pericula profluvii, evitanda sunt. Cum vero sub ipso forte vomitu cruento, animo quis deficit; videndum est, ne cruor ipso oris faucuimque in cavo polyposam in massam concreverit, ac viam aëri ad pulmones, lethali cum effectu, praecludat. Hoc in statu *Rastadiensis* coenobii Praepositus, triginta quinque abhinc annis, — vix mediae aetatis, studiis profundis a longo jam tempore immersus, atroci jam

dudum epigastrii dolore, nausea, ciborum horrore vexatus, spirituosisque liquoribus ac potui coffeae nimis deditus, haerebat. Hic etenim cum, sibi soli relictus, sanguinem nigerrimum ac frustis praemagnis commistum, immensa quantitate vomuisset, humi concidens, oris cavum his grumis repletum, advenienti amico, sub aspectu cadaveris, exhibuit. Sat prompte accersitus, hominem, vitae signo, si aliquem calorem excipiam, vix ullo instructum, mox a thrombo, qui fauces obturabat, liberavi; ac lectulo commissum, ea, quam vix exposui, cum methodo, a limine mortis felicissime restitui. Si vomitus cruentus ab hirudine cum aqua impura ad ventriculum deducta originem haberet; tunc salis marini, vel aqua vel aceto soluti, portio assumpta conduceret. In ea, qua venenum induxit, haematemesi, remedium, quod hoc ipsum vel destruat, vel corrigat, vel saltem involvat, indicatur. Haematemesis violenta, mulierem sub partu difficili prehendens, non nisi foetu per artem sat prompte excluso superatur.

Absoluto vero sanguinis vomitu, sub summa corporis quiete, si vires collapsae id exigant, nec ventriculus repugnet; juscula carnium cum rumicis acetosae foliis decocta, frequentius, sed parca semper manu, nec fere calida, ac potus subacidus, serum lactis cum succo citri, aut acido sulphurico paratum, lac, ut vocant, ebutyratum, saepius ac exiguis portionibus concedenda sunt. Cum vero cruor intestinalem per tubum diffusus, nisi prompte per alvum evacuatus, facile putrescat, morbumque haematemesi pejorem inducat; clysterum ex sero lactis vel ex aqua, cum aceti ac mellis portione paratorum, saepiusque in die modo parvas ad doses porrectorum summa nunc erit necessitas. Quae vi alvum movendi majore instructa sunt; ea, licet aliter videri posset, ob stimuli cujuscunque, ventriculo, intestinis sauciatis, aut morbosa adhucdum sensibilitate instructis illati pericula, cane pejus et angue fugienda sunt: secunda interim, a vomitu cessante, die, praeter dicta, ex clysteribus inprimis, subsidia, serum lactis tamarindorum cum fructu paratum, solutio mannae, aut pulpa cassiae aquosa, donec alvus bis terve in die respondeat, faecumque

color consuetus appareat, modo nausea id ipsum remedium haud improbet, propinanda sunt.

His praestitis, victus rigori paulisper detrahendum, ac hordei vel oryzae, vel panis, ex carnis jure decoctum, vel et ova sorbilia hinc inde, donec stomachus meliora perferat, concedenda sunt. Nunc quidem, pro indole causarum diversa, effectus morbi corrigendos, atque eam in universum, quam ad nascentem aegritudinem avertendam jam supra commendavimus, medendi methodum eligendam esse, vel quivis facile intelliget.

ORDO III. GENUS V.

HAEMORRHOIS.

§. DCXVII. *Nominis ratio.*

Si nomen satis aptum et extensum, quod sanguinis ex *oesophago*, *ventriculo*, intestinis, ac istorum *summo* non minus, quam *infimo* ex *ostio*, fugam exprimeret, fuisset concessum; eo utique hîc loci, ad designanda, quae hoc uno ex canali, vel *supra*, vel *infra* scaturiunt, profluvia, lubenter usi, — ac morbum, de quo nunc agemus, *haemorrhoides*, non aliter quam sede ac symptomatis quibusdam diversum, sermone, quem vix absolvimus, simul complexi essemus. Ipsum adeo, tam vetustum — nec tamen, ut hodie, ita antiquissimis temporibus, ad solas *sedis venas* restrictum, hoc nomen, *sanguinis* praeter *fluxum*, nil denotat: ac nisi vasa, quae ad rectum intestinum descendunt, *haemorrhoidalia* tandem appellari voluissent; vix ratio, cur profluvium cruoris ex ani confiniis oriundum, hoc titulo salutetur, superesset. Interim hac sola ratione suffulti, non modo receptum in scholis *haemorrhoidum* nomen, — sed et sola ad illas *molimina* sic vocandi consuetudinem, retinebimus; et cum plura, quae de ventriculi, intestinorumque profluvio cruente sunt dicta (§§. DCXI. DCXVI.), ad illius, quod ex *ano* descendit, intellectum contribuant; hinc ea, quae supersunt, de hoc ultimo hîc loci monuisse sufficiet.

§. DCXVIII. *Frequentia.*

Epistaxi (§. DXC.) excepta, non est aliud, cruenm, quod generi humano, *septentrionali inprimis*, m proprium et commune sit, quam illud ex recto estino, morbosum profluvium. Consistentis quidem ud aetatis, ac virorum praecipue morbus est; sed magis agisque is, hoc aevo, expanditur, ac sexui sequiori, tem urbium inter incolas, vix minores, qua virili, olestias, eodem saepe, quo menstrua solent, ordine jure redituras, creat; quin teneris infantibus hinc lc non parcit, ac decrepitos nonnunquam senes hic em salutat.

§. DCXIX. *Definitio.*

Est vero *haemorrhois*, tum sanguinis sinceri, tum ateriae mucosae, puriformis (§. DXXX.), ex vasis odo recti intestini vel internis, vel, ani circa limm dispositis, externis, profluvium, aut saltem motum ad hoc ipsum, ex tumidis varice, tuberculis, ariscis, conamen.

§. DCXX. *Divisio.*

Cum vero sanguinem nunc interna, nunc externa recti intestini regione scaturire observarent, *occul-* illinc et *internas*, hîc vero *externas haemorrhoi-s* dixerunt. Alii, anatomicae vasorum, quae recto estino, ex *mesenterica inferiore* non minus, quam *hypogastricae*, et ex *iliacae natium* ramis, concessa nt, cognitioni innixi, subtilius hanc rem aggressi nt: ac licet magnum haec inter vasa. tum arteriosa n venosa, commercium subsistat; et licet illorum opagines, intestini recti non minus cavo, quam ipsis i musculis, et externo orificio prospiciant; *internas* emorrhoides modo illas, quae ex ramis venosis haeorrhoidalibus, cruorem *venae portae* afferentibus, — *ternas* vero, quae ex *venae cavae* propaginibus, ndem profunderent, compellarunt. Sed *coecas* haeorrhoides vocarunt, cum tumentibus ex ani vasis aliquid, *albas*, *mucosas*, non vero satis nomine, serosa, pituitosa materia, loco sanguinis, efflueret. c etiam profluvium, ubi bonis aegroti cum rebus,

et alterius in morbi emolumentum contingeret, *criticas*, — ubi nihil proficeret, vel morbum, unde pendet, augeret, *symptomaticas* haemorrhoides nominarunt. Sub magna vero vasorum recti intestini, cum illis vesicae ac uteri anastomosi, si cruor ex hominis, fluxui haemorrhoidali quondam subjecti, vesica vel utero prodiret, *haemorrhoides vesicae* vel *uteri* appellarunt. Quidquod longius hanc nominum indulgentiam extendere, ac *oris* adeo *haemorrhoides*. ubi sanguis, non, ut pridem, ex ani, sed oris nunc e vasis stillaret (§. DXCIX.), nuncupare voluerint. Praeterea, ut solent alia profluvia, sic et istud, ni forte magis, facillime *habitudinis* contractae, ac *periodici* decursus ad leges, dispositum semel in hominem dominatur; vel, si quidquam illius se imperio opponat, poenas, non raro lethales, *suppressarum* sub nomine *haemorrhoidum*, imponit. *Locali* nunc vitio haemorrhoides, — nunc vero *universi simul systematis morbosa adfectione*, atque tunc, vel ex *vi vitali nimis adaucta*, vel ex *adynamia*, fluere, experientia commonstrat. Frequentius omnino partium vicinarum, remotarum a vitio *secundarius*, quam *primaria* actione, hic fluxus propullulat; et diversis cum morbis, vel et aliis cum profluviis, aut sanis, aut morbosis *complicatus* incedit.

§. DCXXI. *Symptomata.*

Sunt quibus cruor, sine praeviis ad rectum intestinum, vel alias ad partes, molestiis, copiose, sed tacite ex ano regurgitet. Sic juvenem sanissimum, proprio in sanguine, matutino a somno, quasi natantem conspeximus, qui, indolis hujus morbi ignarus, locum, qui sanguinem dedisset, sauciatum, sibi ipsi, perterrito quidem sed non languido, indicare non potuit.

Alii, praeviis subinde alterius, inprimis narium, profluvii cruenti suppressione, vertigine, capitis artuumque gravitate, lumborum dolore, pruritum, calorem, tenesmum, pulsationem, constrictionem ac aliquem sub corporis positione erecta, sed inprimis faecum durarum sub exitu, dolorem ad anum persentiunt, et sanguinem post illas, paucum, nec istis intime remistum, sed potius *affusum* conspiciunt;

antequam haec ita succedant, pituitam pelluci-
n, aut carnis loturae quid simile, ex ano defluere,
quasi sudare, advertunt, aut per alvum copiose
oonunt.
Non pauci, jam diutius hoc ad profluvium dispo-
, aut hoc ipsum jam saepius experti, non modo
tas molestias, sed et motus ingratos, tensionem,
orationem ac spasmos circa loca venae portae con-
xa, ventriculum, hepar, lienem, mesenterium, in-
tina, experiuntur; praecipue vero sensum, ac si
pus peregrinum, acutum hispidumve in recto in-
tino haereret; tenesmum, dysuriam; vesicae, uteri,
ticulorum, lumborum, ossis sacri, ilium, hypo-
strii, coxarum, qui gressus non minus, quam ses-
nem impediant, dolores; nauseas, vomituritiones,
mina, seu colicas, ut dicunt haemorrhoidales, mo-
sque febriles percipiunt. Hac sub rerum positione,
epe recti orificium externum a duro, ardente, pul-
nte ac rubro tumore, vel uno vel pluribus in locis,
sidetur: qui aut oculis subtractus, tum faecum excre-
nem, tum attactum, et clysteris injectionem hîc
pedit; sed majore sub nixu, nisi altius intestino in-
erens, sub insigni cruciatu ex ano protruditur. Non
rum est, sub tanta intestini irritatione, hanc partem,
tractum sat longum, inflammari, tumefieri, ac
ominens in eadem tuberculum in abscessum con-
rti: qui, forsitan neglectus, nec sponte, nec per
tem sat prompte apertus diversos in sinus divergit,
fistulas ad anum pertinaces inducit. In aliis, repe-
a frequentius, et eadem semper in parte, phlogosis,
fusa in telam cellulosam intestini materia puriformi,
coagulum concretionesque tam prona, — quod jam
urethra per medorrhoeam frequentem vexata mo-
uimus (§. DXXXIV.), duriorem hanc reddit, ac
ametrum hujus tubi faecalis imminuit, restringit,
versisque in locis coarctat.
Sed hos effectus, ac rariorem his in partibus gan-
aenam, in multis, vel materiae puriformis, striisque
uentis remistae, vel sanguinis sinceri abundans ex
no secessus, moderatur, amissamque pro tempore
uietem restituit; donec vel sponte ac certas ad pe-
odos, inprimis menstruae secretionis sub tempore,

vel cibis durioribus, irritantibus aut potu spirituoso assumptis, vel a corporis exercitio, maxime a saltatione, equitatione violentis hi *motus*, ut vocant, *haemorrhoidales* revertantur, ac venae sensim sensimque in peramplas lividasque varices dilatatae, tela vero cellularis vicina, hîc loci tam laxa, in ambientes easdem tumores extensa, non omne modo cavum intestini oppleant ac obturent; sed aliquando et mole conspicua, et ovi anserini, ut vidimus, magnitudine, ex ano propendeant; nec raro ab arcte constricto hujus sphinctere, sub enormi cruciatu, strangulentur in totum. Alias hi sacci, ex interna intestini membrana, ac tela cellulari huic propria, dilatatis, oriundi, a sanguine deplentur; ac volumine imminuti, simulque breviores, in rectum intestinum quasi retrahi, ac visui ex parte auferri observantur: sed facile, sub faecum duriorum excretione, vel quovis alio sub nixu, sub aspectu prolapsus intestini, denuo per ani orificium descendunt; ac vel novo cruore suscepto intumescunt, vel aliquo in loco disrupti, exesi, — nunc sanguinem coloris atri, mox rubri, immensam aliquando ad copiam, cum impetu, ad lipothymiam, quin, ut aliquando funesta docuerunt exempla, ad mortem usque, praecipitant, — nunc lente, aut levi tantum sub conatu, aut gurgite perpetuo, ad plures interdum uncias, vel adeo ad libram et ultro in die, effundunt; vel demum, non minus a sanguinis contenti portione lymphatica, polyposam in massam concreta, quam a continua frictione, ac ab aëris attactu callosam quasi indolem, ac duritiem verrucosam acquirunt.

Femineo in sexu, haemorrhois cum *vagina* communicans, haud raro calorem, pruritum, ardorem in ista, aut etiam, quod jam alibi monuimus, sub coitu, dolorem, sanguinisque ingratum secessum inducit. Augentur haec symptomata, dum menstrua aut haemorrhoidalis instat, vel ob aetatem prima supprimitur, periodus. Majora vero sunt ab hoc vasorum intestini recti morbo, graviditatis ultimis in mensibus, incommoda: fluor ani, vaginae albus, tenesmus, alvi segnities dolensque excretio, insignis circa ani orificium tumor vasorum, vaginae angustatio. In parturiente

ɔ muliere, augentur haec singula, et vix non, quin ıt foetus descendat, excludatur, diutius impediunt: ɪore in hoc ipsum sub nixu, extensa nimis haerrhois rumpitur interdum, ac sanguinem contentum iose effundit.

§. DCXXII. *Differentiae.*

Ex hac brevi haemorrhoidum descriptione, hujus ·bi differentia tam a cruoris, saniei, vel ex ventriɔ, hepate, liene, vel superiore intestinorum e loco ˌurientis, profluvio (§. DCXIII. et §. DCLXXXIII.), nı dysenterico a fluxu (§. DCLXXXVIII.), non iculter eruitur. In primo scilicet casu, jam exposita ilitatis majoris, nauseae, ac torminum symptomata, : localis ad anum affectionis indiciis, comparent; secundo, tenesmus quidem et excretio muci purinis, aut cruoris per anum occurrunt; sed majore -*bi universalis* cum apparatu, praecipue febrili, ıum lassitudine, dysenteria hominem epidemico ɾumque furore aggreditur; tormina, in ista, magis ent, faeces liquidae utplurimum, et paucae, cum guine intimius commistae secedunt; ac in genere ɪptomata (§. DCXC.) exposita, licet ipse hic fluxus morrhoides saepe provocet, dubium de morbi inıe vix ulli relinquunt. Facilius *haemorrhoidum al-um*, ut appellant, pro fluxu, ab inexpertis, de·abitur *materiae purulentae* ex *abscessu*, *ulcere*, *fistula ani* profluvium; inprimis cum ipsae haeırrhoides haut raro haec vitia inducant, vel cum istis junctim incedant. Eorum vero, quae fluorem praeserunt, et induxisse videntur, consideratio, partium ɜnta inspectio, exploratio, materiae fluentis copia indoles, modus ipse, quo haec, aut sponte distilaut exprimitur, hîc lucem accendent. Intestini quoɜ recti, vel prostatae, vesicae, vel uteri scirrhus, ˑiformis haud raro per anum materiae profluvium, — illis, quae de alvi retentione dicemus, distinguenm, inducit.

§. DCXXIII. *Causae.*

Qui ad illa, quae de causis varicum (§. DLXXIII.), de profluvii cruenti ventriculi intestinorumque ra-

tionibus (§. DCXIV.), dicta sunt, respexerit; is facili labore *haemorrhoidum* intelliget originem. Ipse hominis *ingressus erectus*, cur morbus, qui in caeteris animalibus tam rarus est, humanum tam saepe genus infestet, non parum contribuit: ac certe, si *cruris* per venas, valvulis tam sollicite munitas, ob sanguinis ad perpendiculum ascendentis iter, tam saepe varices succrescunt (§. DLXXIII.); oportet, ut ad venae *haemorrhoidalis internae*, longissimae, ac, lege venis abdominalibus communi, valvulis spoliatae, principia, sanguis, ob innumera, quae hoc sub itinere experitur, obstacula, non raro in similis naturae tumores colligatur, et suo pondere ad recti finem intestini haerescat, suoque volumine obsit.

Scilicet cum ea non minus, quae sanguinem per arterias ad partem quamcunque magis alliciunt, quam illa, quae ejusdem per venas regressum intercipiunt, vasorum repletiones, humorum congestiones, secretiones morbosas, et profluvia cruenta inducant (§. CXXV); *haemorrhoidum* quoque, ut morbi plerumque *localis*, causas ab istis non differre, intelligitur.

Sanguinis ad vasa recti intestini majorem copiam ac *localem plethoram*, invitant, causae stimulantes quaecunque, vel ano, vel partibus vicinis admotae: rheumatismus, arthritis, ulcus herpeticum, vel aliud, pessaria, clysteres calidi et acres, crimen sodomiticum, calculus, nucleus, ossea particula, ascarides vermiculares, potus spirituosi, cibi acriores, aromatibus conditi, drastica, aloëtica remedia, semicupia calida, vapores, hirudines, nixus ad alvum, equitatio, succussio corporis violenta, venus nimia, graviditas frequens ac sibi nimis vicina, abortus, partus difficilis, neglecta lactatio, morbi uteri, vaginae, vesicae, calculus istius, aut sectio ejusdem, dysenteria, catarrhus intestinorum, contagium venereum, medorrhoicum, menstruorum suppressio, et similia. Frequentior apud populos plerosque *septentrionales* haemorrhois, ex frigoris diuturna et fortiore in vasa cutanea actione, ac sanguinis, ab istis adversi, ad anteriora congestionibus non minus, quam ex potuum spirituosorum abusu communiore, oriri videtur. Amictus tenuior, quo nostris temporibus sexus sequior ubique locorum, ac sine omni coeli differentia,

, ac ne vix quidem, obtegitur, sicut morborum
ltorum, ita et haemorrhoidum indies apud illum
quentiorum, scaturiginem satis explicat.
Cruoris regressum his ex viis retardant, impediunt:
a sedentaria, positio corporis ad anteriora diu in-
xi, faeces diutius in crassis intestinis stagnantes, du-
, compactae, seu alvus indies obstructa; nixus
rum ad istam solvendam diuturnus; intestinorum,
- flatus et alia, extensio; compressio eorundem me-
anica. Hanc inducunt: vestes nimis arctae, femora-
inprimis, toti, ut nunc solent, ventri circumtensa;
eps plurimus, omento, alibi, collectus; tumor,
structio, scirrhus lienis, pancreatis, mesenterii, me-
coli, hepatis, uteri gravidi, steatomatosi, indurati,
dropici, polypo referti; vaginae, vesicae, prostatae,
oles morbosa; prolapsus ani, vaginae, uteri, vel
isdem retroversio; partus longus et difficilis, etc.
Praeter has causas, in ipsum magis intestinum re-
um agentes, valent illae, quas in genere profluviis
m energicis, tum adynamicis favere, jam satis est
ctum (§. DLXXXIV.). Sed, num ex *venis*, num vero
arteriis, derivanda sit sanguinis ex vasis ani fluen-
origo, est quaestio, cujus indoles utilitate in artis
ercitio non omni destituitur. Ex *venis* cruorem pro-
ere, est recepta a plurimis opinio; ac varicum in
grotis non paucis praesentia, extensio istarum ac
pletio insignis, quin manifesta et oculis exposita,
mmunis quoque alibi locorum, tumoris varicosi la-
ratio, hanc satis corroborant. Sed, nisi magno cum
petu, ex collabente mox varice cruor atro insignitus
lore prosiliat; *arteriarum* magis, quam *venarum* ex
e, id fieri censemus. Raro quidem hominum, hae-
orrhoidum sub fluxu mortuorum, sectiones patholo-
cae, qua decet industria, institutae fuerunt; sed
cto experimento, comparuit, venam ani non parum
ad magnam altitudinem, a grumo cruento dilata-
m, modo paucis et exilibus cum vasis sanguineis
mmercium aluisse, et exilem satis, in eam magni-
dinem, venam dilatatam fuisse. Venas certe non in-
rruptam fere ubique arteriarum continuationem esse,
noscimus; nec illae, si forte venas placentae exci-
amus, in cava viscerum, ut quondam credebatur,

hiant et apertae sunt; aut motu retrogrado sanguinem ex morbo, nisi ruptae, eructant. *Secretionis* vero *morbosae* opus esse non pauca profluvia, jam satis evicimus (§. DLXXXIV.), et hoc opus ad *arterias*, nec ad venas, spectare, vix dubium admittit. Humoris sane mucosi, puriformis, qui toties loco sanguinis, ex ano distillat, aucta, mutata secretio, phlogosis ad secernentem superficiem expansae, et stimuli, folliculorum mucosorum in ductus, et in arterias exhalantes agentis effectus est; nec si easdem per vias cruor ex urethra, medorrhoea correpta, vel inflammatis ex bronchiis effunditur, — ad anum, ex *venis* illum scaturire dicendum est. Ex ipsa scilicet venarum haemorrhoidalium repletione, tensione, compressione nascitur in membranis easdem ambientibus, et in vicina intestini superficie irritatio, ac levis, erysipelacea quasi, aut major etiam, phlogosis: sub quibus, et muci puriformis, et sanguinis ipsius secretio inducitur. Ex his vero liquidis, turgentis in venae ambitum cellularem effusis, nascuntur praegrandes illi, quos nec arteria, nec vena dilatata, tantos effecissent, circa ipsam varicem, tumores: qui sanguine nunc fluido, nunc vero grumoso infarcti, dimidio saepe pugno crassiores, ac duri, ipsius venae, quam ambiunt, propagines profundas, ac socias, in similis naturae, sed molis minoris, tubercula rotunda, inaequalia, ac interdum in circulum, ut ani procidentiam diceremus, connexa, aut in simplices varices, circa podicis orificium dispositas, dilatari impellunt.

In multis vero haemorrhoides, non tam ob sanguinis, per motum abdominalem, impeditum regressum, quam solius a tunicae intestinalis internae laxitate, et vasorum illius atonia, oriuntur. Hinc sola saepe saccorum hujus generis ex ano pendentium, et sanguine turgentium, interdum callosorum, recisio, localem intestini hunc morbum radicitus exstirpat. In sanis adeo hominibus, sub nixu ad alvum deponendam majore, inprimis dum, ex mala consuetudine, per horas sellae familiari, putridis vaporibus repletae, insident, interna recti intestini membrana facile protruditur, ac ab ani sphinctere compressa, nec citius repulsa intumescit, et incognita prius haemorrhoidum symptomata producit.

§. DCXXIV. *Prognosis.*

n haemorrhoidum *laude* non minus, quam *vitu-io*, a medicis scriptoribus non paucis peccatum Sanguinis certe, quocunque demum loco, sanitatis eter ordinem, scaturiat, profluvium, *morbus* — et joris non raro, se ipso, morbi signum, aut pro-o est: sed saepe minor majorem solvit morbus; quod sub perfecta salute *malum* est, — hoc pe sub oppressae statu valetudinis, flebile quidem, quale sperari hîc potest, *beneficium* appellari me-ır. Nulla sane est ratio, cur haec sanguinis per m excretio, in viro lautius nutrito ac florido, non iem, quae menstrua, mulieri, evacuatio, commoda estet: et siquidem juveni sanguine turgenti, ejus-n ex nare profluvium confert; non plus periculi sanguinis per *guttur inferius* itinere quaerendum Verum est, haemorrhoides, ut alia cruoris pro-ia, faciles regressus agnoscere; sed nec ista semper succedunt: ac ille ipse, cujus supra (§. DCXXI.) emplum adduximus, juvenis, cum tam largam san-nis ex ano jacturam, aetatis anno *decimo et sexto*, sset; ad *sexagesimum* tamen annum, quin hic fluxus alius, qui istum suppleret, rediverit, feliciter per-it. Quod si aliquando *salutaris*, quin, in febribus, chronicis etiam in morbis pertinacibus, interdum *ica* sit haec sanguinis ex ano rejectio; saepe tamen, adeo ob mortem quam raro *citius* inducit, quam facilem hydropem, tabem, ob intestini abscessus, era, fistulas, et aliquando gangraenas, periculi ple-ac semper incommoda dicenda est. Feminas non ıcas vidimus, quibus, cum menstrua secretio vix uindecim diebus siluisset; jam illa, haemorrhoi-es per vias, alterno et constante satis ordine, vel pius in anno, successerit: nec exiguas huic sexui lestias, quod supra (§. DCXXI.) monuimus, gra-itatis ac partus sub tempore, venarum tumor ad ım conspicuus imponit.

Quoticscumque vero legem *habitudinis* subiverit hic cus; tunc, eodem incaute suppresso, non aliter, am ex menstruis suppressis, haud raro, insignes crimine morbi, haemorrhagiae, inflammationes ce-

rebri, faucium, pulmonum, ventriculi, intestinorum, renum, vesicae, uteri, — dysuriae, ischuriae, vertigines, cephaleae, — lumborum, testium, coxarum, abdominis dolores, obstructiones, asthmata, paralyses, ac alia; innumera incommoda, — quae tamen singula, non raro ejusdem causae, quae ipsas haemorrhoides produxerat, non vero istarum, effectus sunt, — sequuntur.

§. DCXXV. *Cura.*

Praeter communia in curandis haemorrhagiis alia praecepta (§§. CDLXVIII. DLXXXVI.), causarum et hîc summa habenda est ratio. In genere vero, his, quantum licebit, remotis, et dispositione hoc in profluvium pro viribus infracta, haemorrhoides *nascentes*, nec in morbi alterius subsidium apertae, ne imperiosa tandem huic operi habitudo refragetur, divertendae; quae *nimiae* sunt, moderandae; quae ex contracta *consuetudine* fluunt, suppressionis a periculo arcendae: symptomata vero, quae sub variis his morbi positionibus urgent, frenanda sunt. Nunquam autem in casu inprimis fortioris aut pertinacis profluvii, partis, ex qua hoc scaturit, inspectio ac sollicita investigatio negligenda est; ne, si forsitan ex ani *prolapsu*, ac tunica intestini interna strangulata sanguis ruat, — notionis hujus defectu, recto artis auxilio defraudatus, succumbat malo aegrotus.

Quacunque vero cura in causis haemorrhoidum avertendis, ad leges generales pro quovis profluvio arcendo jam traditas (§. DLXXXVI.), versemur; vix tamen cruoris ad ultimum intestinum congestiones, nisi faecum durarum in eodem collectio ac remora, nixusve ad illas expellendas necessitas, evitentur; impedire licebit. Hinc illa quae alvum morigeram reddunt, nimia a cibis, inprimis mollibus, et potu aquoso abstinentia, styptica, acerba, crebrius aut largius ingesta, vita sedentaria aeque ac nimia exercitia, alvi deponendae ob officii studiique rationes, dilatio, fugienda sunt. Sub majore intestini siccitate, ante faecum dejectionem, oleum lini, cremor lactis dulcis, aut recens butyrum, ad unciam unam aut alteram, cum juseuli carnis exigua portione, in anum mittatur; vel sub difficiliori excrementorum egestione, olei ricini ame-

:ani portio, vel pulvis ex cremore tartari tartarisati
›rtio modica, vel bis in die, vel decubitus ad ho-
m, sumatur. Praeterea dinturna simul corporis ere-
i, vel incurvi positio, — abdominis, partium aliarum
aecipue vero femorum, per vestes arctiores com-
essio, evitandae sunt. Feminis, puerorum a partu
ctatio, ne, ut ipsius uteri repletio ac lochia diu-
rna, sic et vasorum, quae ad anum sunt, localis
ethora ex illius neglectu oriatur, nisi alia hanc
ohibeant, consulenda est. Si forsitan, sub alvi quid-
iam durioris egestione, interna recti intestini mem-
rana prolabitur; ea illico sphincteris actioni violentae
btrahenda, ac in anum reponenda est.

Si ex totius systematis *hypersthenica* affectione venire
aemorrhoides, ex constitutione hominum floridorum,
ıcciplenorum, ex vitae conditione, ex tensionis uni-
ersalis, pulsuumque plenorum, vibrantium ratione
ompareat, — quod interim satis rarum est; tunc, sub
imis hunc ad morbum moliminibus, quies animi et
›rporis horizontalis seu supina positio, vivendi ac
edendi methodus debilitans, venaesectio inprimis,
iquando replicanda, victus tenuis, vegetabilis, potus
gidae, et quae alvum sine stimulo conspicuo eva-
ıent, remedia, indicantur.

Quod si vero *asthenia* universalis quidem, sed major
ısorum abdominis debilitas, cruoris in his ipsis con-
:stioni morbosae ansam porrexerit; tunc sane ab illis,
ıae vires magis infringant, abstinendum; ac ad ea,
ıae has erigant, recurrendum est. Donec interim
anifesta in profluvium ex ano cruentum molimina
ıodammodo sedata sint; a stimulis majoribus absti-
:amus in totum oportet. Potus frigidiusculus, clyster
: frigida, has turbas vel sola interdum component.
itiora posthinc excitantia, infusum aquosum ex achil-
ae millefolii summitatibus, vel ex floribus chamo-
illae romanae, adjectis viginti circiter spiritus nitri
ılcis guttulis, frictio levis abdominis, indicata sunt.
b his denique, amarorum ad usum, ad aquas mar-
ales, ad corticis peruviani infusum frigidum, tran-
undum est. Si viscerum obstructio haemorrhoides
ogeneret; haec ipsa, prout alibi docebimus, remo-
:nda, vel saltem imminuenda est.

Si fortiora ad rectum intestinum haemorrhoidalia urgent molimina; si calor, ardor, arteriarum pulsatio localis, dolorque magnus hanc partem, os sacrum, lumbos divexant; si vel minimus attactus, ingressus, sessio ipsa. molestias augent, ac faecum vix non in totum praepeditur evacuatio: tunc instantis inflammationis, suppurationis, vel ipsius aliquando gangraenae periculis, pro mali aut modo localis, aut universi systematis a vitio pendentis, vel energici, vel adynamici, indole, pro violentiae ratione, cum auxiliis modo non nisi topicis, nunc vero simul generalibus, — atque tunc vel hypersthenlae, vel astheniae, prout saepius jam dictum est. oppositis, occurratur oportet. In primo casu, nisi jure habitudinis haec ita succedant, ac instans profluvium arcere inconsultum sit; fomentatio ex frigida, vel ex ista cum aceto saturni remista, locis tumentibus applicanda, ac saepius renovanda est. Sub magno interim tumore, dolore, ac sat longa harum partium affectione; emollientia sic dicta blandissima, unguentum ex butyro, pomadinum, butyrum cacao; cataplasma, ut vocant, anodynum, spongia ex lacte tepido leniter expressa, mitior et pauca emulsionis arabicae, cremoris lactis, butyracei clysteris, injectio praeferenda sunt. Nisi talia moderandis symptomatis sufficiant, vapor aquae tepidae, — vel, si ex vasorum haemorrhoidalium repletione nimia, ipsa urinae via intercipiantur, quin asthenica morbi indoles hoc impediat; hirudines decem, vel plures ad anum ponantur, ac ipsa sic vasa istius depleantur, necesse est. Quod si tamen major jam tumor varicosas has partes occupet; si varicis aut sacci haemorrhoidalis membranae densiores morsui hirudinum resistant, ac penetrari ab istis non possint; vel si cruor concretus hos tumores extendat, infarciat: tunc magis irritarent, quam prodessent inermes hirudines; sed lanceolae, qua tumor incidatur ac sanguis condensatus educatur, requiritur auxilium.

Sunt, qui huic morbo jam diutius, ob solam membranae internae intestini laxitatem (§. DCXXIII.) subjecti, non tam dirae quidem phlogosis ad anum symptomata, quam alvi egerendae angustias ac stimulos, ex mole ac duritie tumorum insigni, patiantur. His

quidem tumoribus per cultrum apertis, modo breve adfertur solatium, et pauco temporis intervallo eaedem, vel, quod ipsa cicatrix nunc magis resistat, majores, molestiae recurrunt. Hinc optimo viri quondam eximii consilio hos saccos haemorrhoidales cum *sectione*, aut si a collo, seu pedunculo, tenuiore penderent cum *ligatura exstirpari*, nos quoque cum felici successu curavimus.

Sub nimia cruoris ex ano jactura, ut in aliis profluviis, sic et in illo haemorrhoidum, venaesectio, quae sub difficili et energico, sed sine virium collapsu incedente, fluxu locum habere potest, excluditur; et vix non eadem ac illa, quae in aliis profluviis, *interna* (§. DLXXXVI.), — et quae in *oris* illo, externa (§. DCI.) commendavimus, indicantur auxilia. Hinc aegroto supinum in situm ac lectulum duriorem deposito, frigidae ad anum, perinaeum natesque fomentationes apponendae, gelida cum aceto remista, vel sub majore, quod rarum est, vitae discrimine, aluminis, vitrioli albi modicae solutiones, aut ipsum vini alkohol, in anum injicienda sunt, vel similibus imbuta spongia, vel durius adeo pessarium, in anum ferenda sunt. Interdum, si extrorsum premat intestinum aegrotus, apertum vasis sanguiferi foramen in conspectum chirurgi venit, et adstringens huic ipsi remedium admoveri conceditur.

Symptomata, quae sanguinis ex ano jacturam sequuntur, ab illis aliorum hujus generis morborum non differunt, ac eandem sibi medendi rationem (§§. DXCIV. DCX.) exposcunt.

Ut morbis ex haemorrhoidum habitualium *suppressione* oriundis medeamur; oportet tum causas illarum primarias, tum suppressionis ipsius rationes, diligenti, nec facilis semper operae, examini submittere, suamque cuivis methodum medendi opponere. Difficile est localia profluviorum beneficia cum institutis per artem evacuationibus supplere: et cum certis, quae sanguinem ad vasa magis haemorrhoidalia, reducant, quam ad alia convertant, remediis careamus; hinc patet, tot pillulas, tincturas, et alia ex hellebori aloësque, extractis, vel ex gummiferulaceis parata medicamina, tristissimos effectus, ac alia, ad partes magis nobiles,

lethalia interdum, profluvia minari. Hirudines aliquando suppressarum haemorrhoidum turbas, ad anum applicitae, componunt; aliis, aquae minerales, amara, martialia, equitatio, — lenia aliis evacuantia per alvum remedia, semicupium, conducunt: quae singula judicio ex traditis jam artis praeceptis vel sponte hauriendo relinquimus.

ORDO III. GENUS VI.

HAEMATURIA.



§. DCXXVI. *Viae uriniferae.*

Praeter sanguinem, qui *vesicae*, *ureteribus*, per proprias ac multiplices arterias adfertur, pene *tertia* pars sanguinis aortae inferioris, ac non multo minor, quam pars *sexta* totius massae cruentae, per arterias inter omnes fere fortissimas, ad *renes* decurrit. Talem certe pro amplissima urinae secretione oportuit esse vasorum apparatum: atque dum impulsae, sub experimentis anatomicis, in arteriam renalem materiae, per ductus papillarum urinarios facillimus est transitus; magis sane, quod non saepissime, quam quod aliquando cruor has per vias aufugiat, mirabimur. Pars magna interim aegrorum, qui sanguinem, aut sincerum, aut mistum eum lotio excernunt; hunc nequidem ex renibus, sed maxime ex vasis vesicae, aut interdum ureterum ex vasculis, trahunt: ut igitur, — si fluxus ab externa violentia, et a calculis oriundos, a *spontaneis* separemus; sub tanta profluvii cruenti ad renes occasione, austerior in istis, quam ullibi, excepto ventriculo (§. DCXIII.), custodia sit vasorum. Quamvis etenim, in artis exercitio communi, apud sat multos, tinctas a sanguine urinas conspexerimus; ac purum fere cruorem ex vesica fluxisse, nos quoque simus experti; inter *quatuor* tamen *millia* aegrotantium, quos, decem fere annorum spatio, rarissimis ex parte, et gravissimis ex morbis detentos, pro *Clinici Ticinensis Instituto*, ex majori nosodochio elegimus,

sex modo, qui ex *haematuria spontanea*, vel ex *mictu cruento* laboraverint, in propriis diariis adnotatos nunc legimus. Inter mille nongentos et tredecim aegrotos in *Clinico Instituto Vindobonensi* a nobis, septem annorum spatio, publice pertractatos, modo unus hoc morbo erat affectus. Inter tredecim millia sexcentos et quadraginta septem homines in *Nosocomio universali Viennensi* defunctos, non nisi unicum ex haematuria obiisse reperimus. Minor interim morbi hoc nomine venientis, apud nos ideo dicendus est numerus: quod *urethrae* profluvia cruenta (§. DCXXXV.), ut quae *mictum* non sistunt, sed et clauso vesicae sphinctere prosiliunt, cum *haematuria* confundere noluerimus: ac ipsas adeo *haemorrhoides*, ut vocant, *vesicae* (§. DCXX.), nisi istius e cavo stillantes, eo nomine indignas excluserimus.

§. DCXXVII. *Definitio.*

Per *haematuriam* igitur intelligimus vel sanguinis sinceri, plerumque liquidi, interdum grumosi, polyposi, — vel urinae cum cruoris nunc pauci, nunc multi, nunc pellucidi et pulchre rubentis, nunc obscuri, subatri, saniosi, nunc fere coacti, portione remistae, ex propriis receptaculis profluvium, aut *mictum cruentum.*

§. DCXXVIII. *Divisio.*

Vel ex *renibus* idcirco, vel *ureterum* ex tubis, vel demum ex ipsa *vesica*, scaturit cruor, profluvii hoc genus (§. DCXXVII.) constituens. Sed cum non minus per vulnus inflictum, per ulcus, aut fistulam renum; vesicae, quam ipsam per *urethram*, sanguis aut solus, aut urinae commistus, prorumpere consuevit: patet, non omnem haematuriam esse *mictum* cruentum, licet iste ad illam sine dubio revocandus sit. Prout de aliis profluviis jam monuimus, sic et illud e viis uriniferis, nunc quovis fere tempore, nunc certis sub *periodis*, — nunc morbo illarum *primario*, nunc, et quidem frequentius, *secundario*, *symptomatico*, — nunc *locali* prorsus, nunc vero *totius systematis* ex vitio, — atque hoc in casu, vel *energico*, vel *adynamico*, — ac demum vel in aegroti *salutem*, vel in *morbi alterius augmentum*, contingit. Duo nobis *haematuriae cum uri-*

nae incontinentia, ex paralysi sphincteris vesicae oriunda, *complicatae* exempla oblata fuerunt.

§. DCXXIX. *Quos invehat.*

Utroque in sexu haematuriae exempla occurrunt; sed feminae, quo tempore menstrua praeter ordinem silent, prae viris, nisi simili per anum effluxu quondam periodico subjectis, huic profluvio sunt expositae. Aetati senili chronici vesicae renumque morbi frequentius succedunt; sed haematuriae ideo nos quidem senes non magis, quam alios, subjectos esse conspeximus. De pueris aut infantibus, hoc morbo, nisi forsitan ob calculos, correptis, nullum nobis exemplum memoria nunc suggerit. Nulla interdum calculi indicia subesse videntur; cum tamen hac ipsa ex causa descendat cruentum ex renibus profluvium.

§. DCXXX. *Symptomata.—S. haematuriae renalis. — S. haematuriae uretericae. — S. haematuriae vesicalis.*

Nisi causae manifestae (§. DCXXXI.) vel unum, vel alterum in viscus huic morbo subjectum magis egerint; obscura est, — non ipsius *haematuriae*, sed *sedis*, unde sanguis scaturiat, cognitio. Vel etenim cruor ex rene, uretere, in vesicam distillet, vel istius primum e vasis repullulet; totius mox systematis uriniferi functiones, tam ob consensus, quam mutui ob nexus rationes, in plurimis turbantur. Est scilicet, ubi sanguis sine ullo dolore, derepente, ac magnam ad copiam, mejatur; est, ubi renes sine sensu hunc fundant; sed vesica, in qua cruor susceptus aliquando in grumos convertitur, quos lumbi ignorant, dolores persentit. Ast illorum quoque molestias saepe provocat vesicae, ut calculus, sic et, quem sibi haec ipsa paravit, aut grumus, aut polypus. Sub istis, exigua interdum hoc in viscere molestiae sensatio, — sed in eo, qui urinam illi advehere non potest, uretere, — aut ipso, qui huic lotium commisit, in rene, summa est.

Sub renum *interim* profluvio cruento, dolores, nisi calculus huic subsit, plerumque tam atroces non urgent; sed modo calor ingratus, gravitas ac tensio lumborum, interdum febris, lassitudo, praecedunt. Sanguis cum urina copiosior, sincerus, floridusque ab

initio secernitur; exemplum tamen *renalis* profluvii, quod, ex menstruorum aberratione inductum, dolores in lumbis sat fortes excitavit, et quod simul morbi decursum non parum illustrabit, ex clinici Instituti diariis depromptum, referemus. Incolumem satis, per triginta jam annos, vitam duxerat femina, debiliori compage instructa, quae, etsi quovis bis mense copiosum ex utero cruorem periodice amitteret, septem nihilominus proles feliciter, et ad plenam matûritatem gestavit; nec aliud quid molestiae, quam *lumborum*, ut vocabat, *debilitatem*, continuo persensit. Hanc mulierem, quo scilicet tempore menstrua sibi instare credebat, sat levis febricula, et calor vespertinus, matutinas ad horas remissuri, invadunt; sed jam duas post dies, quin sanguis ex utero veniret, evanescunt. *Fortissimus* nunc ad *lumborum* regionem *dolor*, tensio, — totius corporis, et extremitatum inferiorum potissime, ut gressus deficerent, debilitas, — oris amaror, nausea, vomituritio succedunt. Mox, non sine premitu insolito, sanguinem cum urina, non multa, sed frequentius deponenda, sine quovis ardore, excrevit; si istam in vesica colligeret, ponderis ad genitalia sensum percepit; emissa vero in matulam urina, copiosus ad fundum sanguis subsedit. Per octo haec dies continuant; cum suasu medici et venam sibi tundi, et cassiae pulpam assumere curaret. Symptomata, quae diximus, molesta, his cedunt auxiliis; sed cruoris imminuitur quidem, non vero cessat profluvium. Nunc ad *clinicum Institutum* sese deferri curavit; et examini subjecta, oculorum, ad canthos internos, livorem, genarum rubores, dentes a gingivis spongiosis, ac a levi frictione sanguinem fundentibus desertos, et suis in alveolis vacillantes, animam foetentem, cutis siccitatem, ad renum regionem dolores, suffocationis hinc inde sensum, pulsus exiguos, sed minime frequentes, ac multum in urinis cruorem, ut morbi praesentis symptomata, exhibuit. Emulsio arabica cum sero lactis pro potu praescripta fuit. Ad noctem quievit; vas magnum cum urina, ad cujus fundum, cruoris pars crassior haerere, clarior vero huic ipsi, quasi oleum aquae infusum, supernatare observatur, replevit. Corticis peruviani nunc decoctum, et aqua cum acidi sulphurici

portione remista pro potu porriguntur. Die *tertia*, majorem urinae, hesternae similis, quantitatem excrevit; dolores aliqui hinc inde lumbos divexant; arteriae, exiguae, frequentius nunc pulsant. Corticis chinae decoctum continuat; serum lactis cum alumine paratum pro potu, ac victus paulo largior imperantur. Post prandium, horror aliquis succedit; quater alvum simulque urinam deponit; dolores coxas transversim afficiunt. Ad noctem sudat; sanguinis in lotio copia imminuitur; dolores coxarum disparent. Die *quarta*, pulsus haud multum sanis dissimiles. Medicinam continuat. Die *quinta*, vasa duo cum urina implevit, in quorum prima, sanguinis atri ac vetusti portio exigua, — in altero, *sedimentum* puriforme ad fundum haerebant; dolor aliquis hypochondrii sinistri accessit, ab attactu augendus; sed hunc sudor ad noctem, alvusque bis mota dissiparunt; et paucas post dies aegrota, a morbo restituta, clinicum Institutum deseruit.

Quod si etiam cruoris *copiosi* fluxus, *haematuriae renalis* inter signa referatur; nil tamen obstat, quin et *paucus* ex renibus sanguis distillet: ac si *floridum* ex illis cruorem depluere dicamus; hoc saltem sub morbi principio, non sub fine, sic erit: nec desunt lotii, post renis inflammationem, colore *atro* exeuntis, quae de sanguine in pelvim renalem vi morbi effuso, ac stagnante testentur, felicia non raro (§. CCLXI.) exempla.

Haematuriae uretericae signa, nisi illa ex calculo, his angustis in viis haerente, aut ex violentia, ureterum regioni illata accedant, certitudinem modo parvam largiuntur. Interim si paucus, — qualis e vasculis hujus tubi minoribus venire potest, et cum doloris, per tractum illius, a lumbis ad vesicae regionem, extensi, sensu, cruor cum urinis reddatur; si ipse forsitan aegrotus, locum, eo quo humor sibi distillare videatur, indicaverit; non absonum est, hanc sedem profluvii supponere. Ureteres interdum, a calculis praecipue collectis, inflammantur; ac ipsorum hac in parte abscessuum habentur exempla (§. CCLXIII.). Sub istis igitur et sanguinem et materiam purulentam effluere, non mirum est; sed atrociora, quam in simplici profluvio cruento, symptomata hîc diagnosin confirmant.

Cruor vero aut ipso ex *rene* susceptus, aut *ureteris* ex vasculis expulsus, si ad vesicam descendere non potest; in *grumos*, nunc informes, nunc in cylindros quasi organicos, — aut in tenuem, ac *ascaridis* fere *lumbricoidis* figurae aequalem, *polypum*, nunc bruneo aut subnigro colore instructum, nunc ex flavo albescentem, facillime concrescit: quo facto, vel hunc canalem continuo obturat; vel sanguine, parte media, per allidentem urinam, ablato, et in vesicam deducto, alterum in ipso uretere pro lotio canalem constituit; vel utraque sub forma sensim sensimque in vesicam, interdum per urethram, longissimus, expellitur, et hujus phaenomeni ignaris, *vermis* faciem *renalis*, *vesicalis*, offerre videtur (§. CDLXXXVIII.). Quamcunque vero ob causam sanguinis ex rene iter in vesicam, prope istam, intercipitur; ad magnam ureter illius lateris diametrum extenditur: quam triplo majorem naturali in quibusdam, — in alio, tenuis intestini amplitudinem habuisse, nos ipsi quoque conspeximus (§. CCLXV.).

Sensilissimum *vesica* viscus est, quod, etsi a consueto urinae stimulo modo parum excitetur; a re tamen quavis, blandissima quidem, sed insolita, violentos in motus abripitur. Hinc a sanguine non minus, qui visceris illius e vasis egressum molitur, quam ab eo, quem aut propriis, aut alienis e canalibus fugientem suscepit, symptomata oriuntur, quae *vesicalem*, prae aliis, *haematuriam* sat saepe distinguunt. Prima fere, apud multos, ex illis, sunt: major vesicae ad stimulos urinae paucioris sensibilitas, mictusque non modo solito frequentior, sed majori simul cum conatu absolutus; angustiae, tensionis, caloris, ardoris in hypogastrio sensus; materiae *tenacissimae*, puriformis, olentis, urinae ad fundum ruentis, excretio; ac singula quasi *mitioris*, et *chronicae cystitidis* (§. CCLXV.) phaenomena. Aucto in arterias venasque infarctas, varicosas, sub impetu, vel et mutata sanguinis stagnantis indole, in immensum non raro dolores hypogastrii, perinaei, lumborum, increscunt; anxietas, spirandi difficultas, nausea, vomendi conatus, ipseque vomitus, febrilia hinc inde symptomata, cum pulsu frequente, contracto, animi deliquia, sudores frigidi, succedunt;

ac, pro sede vasorum, hujus cavi superficie tumentium, diversa, — nunc urinae retinendae difficultas, nunc vero continuus mejendi nisus, dysuria, stranguria, tenesmus ad anum, vel et ipsa urinae retentio, sequuntur. Sub tam dira aegrotantis positione, sanguis tandem cum lotio, plerumque haud plurimus, sed obscurior, aut nigricans, minusque illo, qui ex *renibus*, cum urina bene mistus, descendit, fluidus, — licet nec in istis quid perpetuum sit, excernitur. Nunc descripta plerumque mitigantur symptomata, ac urinae clariores minusque cruentae, liberius redduntur; cum repente istarum cursus in multis, a grumo, aut materia polyposa ad vesicae cervicem detrusis, compactis, intercipitur; ac nisus quasi mulieris a partus doloribus prehensae, saepe vani, ac intolerabili, viros inprimis, cruciatu, vexantes, sequantur. Sub istis interim sanguinis coacti frustulum, aut polyposae portio materiae per urethram quorundam, non sine violentia extensam dolentemque exprimitur; aut sanguis ater ac densus, nec raro materia puriformi onustus, vix ad matulam delabitur; cum illico istius ad fundum praecipitat, crassumque, et a lotio, cruento quidem, sed minus obscuro, nec raro pellucido, distinctum sedimentum, altitudinis conspicuae, constituat.

Atque hoc est, quod plures *vesicae haemorrhoides* dixerunt. In multis sane, qui plethora in vasis ani locali laborant, haec ipsa ad ejusdem prosapiae vasa cervicis vesicalis extenditur; atque nunc hujus visceris in cavum, nunc in urethrae, huic ipsi contiguae, principia depletur: sed et sine recti intestini vitio, aut saltem quin illinc id sit genitum, — quidquod ipsius non raro ex uteri culpa, profluvia vesicam cruenta invadunt: ac saepius, qui ex fonte haemorrhoidali scaturit cruor; hic, *vesicae* non inundat cavum, sed solius ex urethrae vasis, cervici vesicae propinquis, *sine mictu* excernitur, ac *sponte* distillat.

Etsi vero tam diros, duce experientia, *haematuriae vesicali* effectus tribuerimus; vidimus nihilominus cruorem, sub manifesta satis ejusdem ex ipsa vesica scaturigine, sine conspicua molestia, ac fere quovis sine nixu, cum urinis per urethram venisse: nec desunt, qui sanguinem vesicae, easdem, quam ex utero, vel

ano haud pridem solebant, *ad periodos*, et vix majore sub salutis incommodo, excernant.

Sed quemadmodum ex renibus, ureteribus in vesicam delapsus cruor, haematuriam interdum *vesicalem* mentitur; ita gravia subinde in ipso lotii receptaculo vitia et cruenti causae profluvii, quae *renibus* affectis immerito tribuuntur, — quod proprii in diagnosi erroris exemplo illustrabimus, latescunt.

Quadragesimum et octavum aetatis annum attigerat vir crapulis assuetus, morbisque hinc inde inflammatoriis vexatus. Hunc, frigus, calor, febrisque vaga invadunt; sub quibus, *quin ullus ad pubem, ad lumbos dolor praecesserit*, sanguinem per vices cum urinis, interdum vero has solas ac illo immunes, per urethram aegrotus emittit. Sic febris, sub oris aliquo amarore, ipsumque profluvium cruentum sat validum continuant. Accedunt his, *testiculi retractio*, et *cruris movendi difficultas:* quae tandem, emollientis decocti sub usu, ipsa cum febre, disparent symptomata; ac modo aliquem ventriculi inprimis dolorem, et corporis totius inertiam relinquunt. Post septem fere menses, praeviis ad coxam dextram cristamque ilii doloribus, ad noctem atrocibus, testiculi ejusdem lateris retractione, urinae retentio inopinato succedit. Sub nisu fortiore, sanguis densus cum urina, ac tandem sincerus, per urethram expellitur. Haec duas per dies ita continuant; et jam clarior urina reddebatur: cum illico major iterum cruoris, mox matulae ad fundum ruentis, copia cum urinis prodiret. Post longum satis tempus, ad pristinum ex malva decoctum, ac tandem, medici alterius consilio, venaesectionis ad auxilium confugit, gummique arabicum assumit. Morbus ab istis imminui, ac urinae minus tinctae effluere videntur; sed tandem, insigni sub macie, debilitate, ad clinicum Institutum devehitur. Apparet mox nasus varicibus notatus; lingua, sine siti, est sicca; tussis adest et nausea; ructus multi, ac alvus bis terve in die, moventur; venter est mollis; dolores coxam, cristamque ilii divexant, *ad vesicam, ad lumbos nulli*; regio hypogastrica compressa haud dolet; testiculus retractus, sub mictu nulla difficultas, sed aliquis ad urethram ardor est; cruris nunc stupor nullus. Sub istis, cruor

cum urinis effluere continuat, et aliquot ad fundum vasis grumi colliguntur. Arenulas hic aeger nunquam, nec calculos excrevit; nec unquam in vita haemorrhoides, nec morbum genitalium expertus est. Febris modo pauca nunc urget. De *causis* sciscitatus, — has, nisi vini abusus, aut ponderis majoris, a quo interim nullos, ad lumbos, dolores persenserit, gestatio, hos effectus habuissent, sibi protinus ignotas esse, testatur. Vasorum ad nasum conditio, nos, ut similem in vasis vesicae statum varicosum suspicaremur, inducere potuisset; sed testiculi retractio, cruris quondam motus impeditus, coxae iliique dolores, ut calculi in rene, vel in ejus uretere haerentis suspicionem aleremus, commovit. Extensa nimis est, quam ut omnem hîc exscribere velimus, hujus morbi lethalis historia: sed sufficit monuisse, aegrotum urinas nunc profunde, nunc lacte rubentes minxisse; nunc grumos in illis, nunc nullos subsedisse; abdominis interdum dolores, sed breves, nec attactu crescentes, accusasse; hos interdum dolores, per funiculum spermaticum descendisse, ac tandem quoque dexterum ad renem pertigisse; urinas, ubi alvus siluisset, crassiores, magisque abundantes exivisse; debilitatem ac maciem quotidie augmentum habuisse. Aliquando, cum, ob urinam suppressam, ob tumentem, dolentemque nunc vesicam, catheteris ad usum venissemus; summus dolor ab isto, quin obstaculum illius intromissionem impediret, aut redderet difficilem, successit: ab eodem extracto, mox copiosa urina, vel sponte, secessit. Sub auctis tandem, et continuis ad renem, nunc utrumque, doloribus, simul vomitus accessit. Sub fine morbi, per menses extensi, et febris, et summa jactatio, et ventris, hypogastrii inprimis durities, anxietas continua, dyspnoea, sopores, in conspectum venerunt; donec optata, sub tantis aerumnis, mors, finem vitae imponeret. Sequentia cadaveris nos sectio edocuit: intestina, puriformi humore obducta, undique inter se ipsa cohaerent, et nexu morboso instructa sunt. Vesicae tumor insignis omnem fere pelvim explere videtur. Ren uterque sine labe est, nec ullibi vel calculi, vel morbi alterius vestigia offert. Ureteres dilatati; dexter vero ex istis, ad pol-

licis magnitudinem et ultra, extensus est. *Vesica urinalis* callosa, scirrhosa, — quam *pathologicum* nunc *Museum Ticinense* conservat, atro exterius colore notatur. In cavo hujus visceris, ichor permultus, foetidissimus, ulcera cancrosa, simulque gangraena comparent.

Quod si tanta interdum dubia, de *sede* profluvii cruenti ex viis uriniferis, nos premant; istius adeo diagnosis, ubi minor modo sanguinis cum urina secedit copia, difficultate non omni destituta est. Sub fluxu menstruo, lochiali, feminarum urinae plerumque a cruore tinguntur. Quod si sub statu salutis, hoc neminem medicorum, ut illum ex *vesica* venisse credat, inducit; in morbo tamen urinae vias premente, num simul ex istis, num solo ex utero, sanguis descendat, dubio locus esse potest. Profundissimo et ex rubro fere atro colore tinctas, turbidasque in febribus haud paucis, urinas, quin sanguinem contineant, non raro observamus. Saepe rosei, aut vere rubri coloris sedimentum in febribus intermittentibus, aut continuis, quin ipso, ut vidimus, sub hydrope, vel et post *cacti opuntiae* esum, in urinis comparet; nec tamen cruor hunc ad ruborem vel minimum contribuit. Pauca interim cum urinis instituta experimenta, haec dubia difficulter non solvunt. Linteum quod lotio immittimus, colorem sanguinis mox prodit. Si ab aliis, quam a sanguine, contentis urina tingatur; tunc haec ipsa, quam primum emissa fuit, clara et pellucida apparet; sedimentum, quod tandem deponit, calore urinae admoto, ab ista mox solvitur, ac pristinus huic redit color pellucidus. Si cruor cum urina commistus est, obscura tunc ea mingitur et opaca; sedimentum crassum, ex rubro nigricans, interdum grumosum, nec ab urina, calori naturali exposita, resolvendum, deponit. Si aquae ebullientis calori urina, quae sanguinem suscepit, exponitur; pars lymphatica istius, coagulum subibit. Cum vero Chimico egregio, qui nobis, *Ticini*, ad lectulos aegrotantium versantibus, ad latus fuit, ac humorum animalium per morbos mutatorum indolem, prout jubebat occasio, cum magna sagacitate exploravit, cruentam aegroti urinam, ut attento eandem examini submit-

erct, exhiberi curassemus; sequentem hic nobis de suis experimentis relationem communicavit: « *Acidum sulphuricum*, hanc urinam vel minime coëgit; sed nigricantem in ea colorem induxit. Nihil *acida muriatica*, tum *oxygenata*, tum *non oxygenata*, hoc in luido mutarunt; ab *acido* vero *nitrico*, coagulum hoc dem expertum est, et flocci hinc illinc in medio urinae suspendi, alii praecipitari ad fundum, conpecti sunt. Gratissimus tunc color liquori concessus est. *Vini alkohol* lactescentem mox reddidit urinam, loccosque rubri, sed pallidi coloris, ab eadem separavit. *Aluminis* solutio, ab initio, urinam spissiorem, ac simul magis pallidam reddidisse est visa; mox vero, pristina eidem restituta est tenuitas; color subniger accessit, et aliquae quasi striae coloris atri ad fundum vasis depositae fuerunt. Ebullientis vero aquae calori commisso lotio, mox fila colore quasi carneo ac rubro instructa, cocto sanguini non absimilia, vasis ad fundum ruebant. Coactae hujus materiae, ex quatuor modo unciis urinae, grana quadraginta et octo impetrata fuerunt. »

§. DCXXXI. *Causae.*

Profluviorum *rationes* jam adductae, communes (§§. CDLXVI. DLXXXIV.), partim vero illae, quas haemorrhoidali profluvio subesse monimus (§. DCXXIII.), haematuriae quoque illas constituunt; interim in vias uriniferas magis agunt, ex eis, quae *externae* sunt, lapsus in renum, ureterum, vesicae, perinaei regiones, percussio, contusio, laesio earundem, luxatio vertebrarum lumbalium, fractura, equitatio violenta, protracta, vectio in rheda per vias saxosas, nixus fortior sub luctatione, ponderis gestatione, partu difficili, impetuoso sub vomitu. Ex causis *internis*, praecipuae sunt: renum, ureterum, vesicae calculus, inflammatio, abscessus, ulcera, induratio, callus, scirrhus, carcinoma, calculi sectio; sanguinis excretio naturalis, consueta, inprimis haemorrhoidum, menstruorum, suppressa, diuretica fortiora, meloës vesicatorius, majalis praecipue. Etsi vero suspectae sint non paucae de vermibus vesica urinaria excretis historiae (§ DCXXX.); proprii tamen filii, natu minoris, morte eheu! prae-

postera mihi et literis erepti, experimento, sub canis vivi sectione instituto, ascarides, ut jam alibi est monitum (§. CDLXXXVIII.), duos, eosque maximos, *ascaridem gigantem* equorum aemulantes, ruberrimos, ex sani animalis vesica depromptos, conspexi, et attento examini subjeci: nec desunt aliorum, fidei non suspectae, similia de canibus, ac ipso de homine, exempla. Ex balsami peruviani quantitate conspicua, per jocum sub potu *chocolatae*, ut vocant, porrecti, paucas post horas sanguinem cum urina fluxisse novimus. Sic cisti laurifolii esus in ovibus, — aut ille variarum ranunculi specierum in vaccis, haematuriae occasionem frequenter dederunt. Exemplum haematuriae ex rheumate manifesto oriundae, in *Clinico Instituto, Papiae*, habuimus. Similia, pessimaeque certe indolis mala, scorbutus, febres nervosae (§. LXXXVII.), exanthemata, inprimis variolae (§. CCCXXXII.), inducunt. Ex quinquaginta animalibus, in quibus *transfusionis* suscepta fuit operatio: viginti haematuriam esse passa, referuntur. Aliquando cruorem ex urinae receptaculis cum summo aegrotantis aemolumento prorupisse, id, indolem profluvii talis *hypersthenicam* fuisse, argumento esse posset; nisi forsitan alterius, nunc suppressi, ratio profluvii, illud *consuetudinis* solius lege alia excitaverit. *Sex* inter aegros, quos haematuria correptos in *Clinico Ticinensi Instituto* tractavimus, *tres*, crapulae praeter modum dediti fuerunt. Nimia quoque venus in dispositis hunc ad morbum hominibus, hîc spectat: quae, licet viris frequentius, quam feminis, et potius ex urethra (§. DCXXXV.), quam ex renibus, aut vesica, sanguinem eliciat; conspicuo tamen feminae potatricis ac maxime salacis, ad vaginam, — alia sine causa, quam quod menstrua nunc simul essent suppressa, continuo dolentis, ac sanguinem copiose mingentis, exemplo, haematuriae et in sexu sequiori, ut causa confirmatur.

§. DCXXXII. *Prognosis.*

Nisi causae haematuriae fortiores (§. DCXXXI.), sed cruenti modo fluxus alterius suppressio, hypersthenica conditio, validum corporis, sub ista, exercitium, spirituosorum brevis abusus, eandem, moderatam,

ec febre, nec doloribus stipatam, nec saepius, ut oc quoque profluvium nimis facile solet, redeuntem nduxerint; non tanti hic morbus momenti semper esse ensendus est. Ominosus est ille, si causae, ex quibus endet, auferri non queant. Hinc renum, ureterum najori a calculo, — istorum, ac vesicae, ab ulcere ffectio, quamplurimo vitae discrimine, si profluvium ruentum, saniosum, accedat, est juncta. Haematuia, quae febri asthenicae, accedit, plerumque lethas est. Vidimus quidem in puero variolis affecto, niram fere ac sanguineam urinam sine tanto periculo xcretam; sed puer *liene* praemagno instructus erat: ub quo rerum statu, urinae nigrae non tanta quidem ndicant in omnibus discrimina. Non minora haec erunt, i ex scorbuto descendat, — vel in senibus exhaustisque ominibus contingat, ex viis uriniferis profluvium. Sed ec leviori sub morbo deest illud saltem, ne grumus anguinis urinae fluxum avertat, vel ne in renibus, esica latescens, futuro *nucleum* pro calculo exhibeat, ericulum. Haematuriam frequentem, uberiorem, ut alia rofluvia cruenta (§§. CDLXVII. DLXII. DLXXXV.), um hydrops, tum febris lenta, ac tabes sequuntur.

DCXXXIII. *Cura. — Haematuria hypersthenica. — Haematuria asthenica. — Haematuria ab acri. — Haematuria a calculo.*

Cum toties aliorum effectu morborum, de quibus ic sermo esse nequit, haematuria compareat; et cum eile sit, ex traditis profluviorum curandorum praeeptis (§§. CDLXVIII. DLXXXVI.), ea, quae ad illam ertinent, eruere, hinc sequentia hic breviter monuisse ufficiet. In ea, quae *hypersthenica* est, nec sanguinis eturam jam nimis viribus infaustam induxit, haeaturia, remotis, aut saltem infractis illis, quae morum excitaverint, continuent, venaesectio, ac alia, uae vim nimiam vitalem infringant, auxilia indicenr. Nullo certe in casu, aut nitrum, aut sales, qui imulum in vias uriniferas augerent, usum habebunt; a vero, quae alvum blande relaxent, serum lactis marindinatum, ut vocant, solutio mannae, clyster nolliens, non calidus, nec ob copiam vicinis inteino renibus molestus, conducent. Sub dolore lum-

borum inprimis, praeter ista, cucurbitulae scarificatae, renum regioni applicandae sunt. Si major vasorum haemorrhoidalium repletio contiguos simul vesicae canales distendat, ac sanguine hoc viscus inundet; hirudines ad anum ponendae, ac venae recti intestini deplendae sunt. Ubi major jam ex nimio profluvio debilitas comparet, aut asthenicae hoc ipsum est indolis; tunc ad ea, quae suo eum stimulo fugam cruoris cohibeant, veniendum est. Hinc elixir vitrioli cum frigida remistum, pulvis *Doveri* herbae digitalis purpureae infusum, cum aqua, vel et tinctura cinnamomi, decoctum corticis peruviani cum ejusdem extracto aquoso, vitriolum martis, serum lactis cum alumine paratum, gummi kino, tentari merentur. Nec minora promittunt fomentatio partis, ex qua profluvium scaturire arbitramur, cum frigida, vel glacie contusa, clyster frigidus ex aceto et aqua injectus.

Si cantharidum ex stimulo, vel alio ab acri ingesto, profluvium descendat; emulsio amygdalina cum gummi arabico, decoctum radicis salep, althaeae, et compositi ex simili materia clysteres praeferri merentur.

Quam atrox a calculo renibus impacto dolor provocaverit; hanc opio, tam ore ingesto, quam per anum injecto, potu demulcente, semicupiis, aut fomentis emollientibus, ut vocant, compescere interdum licebit haematuriam. Si haec a calculo vesicam stimulante originem habuerit; non est aliud, quod rediturum tam facile hac ex causa profluvium praeveniat, quam sectionis, sedatis primum profluvii turbis ac effectibus, suscipiendae praesidium.

Si forsitan a grumo, vel concretione polyposa, ad collum vesicae detrusis, urinae sequatur suppressio: catheteris tunc ad locum usque obturatum, non facile ulterius, sub majore cautela introducti ope, hoc obstaculum solvendum est. Interdum ea, quae sanguinem grumosum diluere, resolvere queant, in ipsum vesicae cavum injiciantur oportet. Nonnullis vapor ex sella perforata perinaeo aliquoties in die admissus, liberum urinae fluxum restituit.

Hoc tandem profluvio superato, effectus ejusdem, ad leges jam traditas (§§. CCLXII. CCLXVIII. DXCIV. DCX. DCXVI.) tollendi sunt.

ORDO III. GENUS VII.

URETHRORRHAGIA.

§. DCXXXIV. *Nominis ratio.*

Conspicua *peni* vasa concessa sunt, quae sanguinem tum ad ejus nutritionem ac vitam adducunt revehuntque; tum, — nullibi tam manifesto *nervorum* in cruoris distributionem imperio, — velocissimi torrentis in modum, ut aptam generationi in molem ac duritiem exsurgat, ad veretrum praecipitant; ac, vel opere confecto, vel incussis animo terrore, metu, verecundia, odio, aequali celeritate hac a parte derivant. Non igitur mirabimur, si majora hinc inde, ac adeo lethalia, ex virga genitali vulnerata, recisa, inflammata, suppurata, exesa, — aut ex arteriis venisque illius nimium stimulatis, extensis, vel etiam diruptis, tam *externa*, quam *interna* profluvia oriantur; atque haec ultima idcirco, quorum aliqua a nobis exempla jam allata fuerunt (§§. DXXI. DXXII. DXXXIX.), ut genus ab *haematuria* (§. DCXXVI.) distinctum, nec satis quondam ac pro sua dignitate a Pathologis excultum, hîc nobis consideranda proponimus. *Stymatosis* vero nomine, quod vir clarus huic morbo imposuit, non tam originem is profluvii, quam, sub quibus hoc oritur interdum, *tentiginem*, *priapismum*, exprimere videtur: et cum flaccido non minus pene, quam rigente, sanguis ex urethrae meatu prorumpat; hinc *phallorrhagiam* magis vere, *externam*, de qua hîc loqui non possumus, ex glande corrosa, praeputio, aliis penis ipsius locis, cruoris jacturam, — sanguinis vero ex urethra proflavium *urethrorrhagiam* appellare maluimus.

§. DCXXXV. *Definitio.*

Urethrorrhagiam hinc dicimus profluvium cruentum ex urethra, quod clauso etiam vesicae ostio, hac ex fistula scaturit, ac sine mictionis conatu absolvitur.

§. DCXXXVI. *Divisio.*

Hoc vero profluvium (§. DCXXXV.), aut ipsa ex urethra, aut ex partibus contiguis, ac vel semper, vel per morbum, in illam apertis, proficiscitur. Quod si cruor ex urethrae superficie scaturiat: vel anteriore magis, vel posteriore ejusdem in loco sedes est profluvii. Partes urethrae contiguae, ac istius in canalem hiantes, sunt: pars infima cervicis vesicae, per pseudosphincteris fibras a cavo istius exclusa, seu commune vesicae ac urethrae principium, prostata, ductus deferentes, cum insertis sibi vesicularum seminalium ductibus excretoriis: quae partes, ubi sanguinem suis e vasculis amittunt; hunc in patulum sibi urethrae canalem eructant. Num ipsa ex testium substantia, non raro contusa, conquassata, interdum semen cruentum per ductus deferentes susceptum, ad urethram ascendat, ac seminales in vesiculas refluat, incertum est; sed omnino phlogosis ad urethrae partem posteriorem residens, ductuum deferentium extrema, sat longum per tractum aliquando, sub epididymis inflammatione (§. DXIV.), ut novimus, occupavit; nec desunt ejusdem per vesiculas seminales expansae, ac adeo in ulcus conversae exempla: quo rerum sub statu, profluviis favente, et sanguis sua vascula deserere, ac in urethram deferri posse videtur. Interdum urethrae non modo vasa, sed ipsae adeo membranae laeduntur, rumpuntur, exeduntur; ac sanguis ex vasculis telae cellularis hunc canalem ambientis, in eundem prorumpit; vel adeo cum urina sub mictu in urethram impulsa, intermedia corporibus cavernosis per spatia cellularia, ad penis exteriora, et ipsum, ut vidimus, ad scrotum, ad perinaeum aliquando, descendit. Inter alias vero profluviorum diversitates (§. DLXXXI.), huic quoque fluxui cruento partim communes, *periodica* ejusdem in quibusdam hominibus indoles attentionem sibi meretur: quo sub casu, ple-

rumque ex locis ipsi vesicae cervici vicinis, et ex vasis, cum illis recti intestini anastomosi conjunctis, cruor derivatur; et ex fluxu haemorrhoidum suppresso (§. DCXXXI.) originem trahit. In *feminis* hic morbus, sicut certe ad vesicam, profluvium cruentum, ita forsitan ad *urethram*, ex sanguinis uterini errore, aliquando contingit; sed ob facile cruoris, per declivem genitalium superficiem, ad ostium vaginae defluvium, difficilius distinguitur.

§. DCXXXVII. *Symptomata.*

Pro variis profluvii ex urethra origine et caussis (§. DCXXXVIII.) symptomata hujus morbi nunc mitissima sunt, ac sanguis, vix non inscio homine, penis ex ostio purus distillat; nunc vero ardor, calor, tensio, pruritus, dolor, hanc ad fistulam, aut penis erectio violenta, priapismus, stadium medorrhoeae acutae inflammatorium (§. DXXI.), chorda (§. DXXII.), aut tensivus in inguine ac femoribus dolor, praecedunt; mox autem sanguis cum impetu ex eadem praecipitat. Cum vero cruor ex ipso vesicae cavo descendens, nisi laesum sit sphincteris officium (§. DCXXX.), non aliter, quam voluntatis sub arbitrio, ac *mictionis sub opere*, per urethram reddatur; proprium istius profluvium, clauso licet vesicae ostio, ac ipso adeo sub somno subinde, contingit; nunc illico supprimitur; nunc per horas, dies, quin per hebdomadas, continuat; nunc ordine periodico revertitur; nunc modo sub coitu, aut a seminis ejaculatione peracta, occurrit. Violentam nos in *clinico Instituto Ticinensi* ex pene haemorrhagiam observavimus: quam, etsi jam alibi (§. DXXXIX.) ejusdem mentionem injecerimus, juvat tamen ob symptomatum graviorum dignitatem paulo fusius hîc exponere. Vir admodum robustus ac annum quadragesimum eum octavo attingens, incolumem hucusque, — si medorrhoeam urethralem acutam, ex contagio venientem, ejusque effectus excipiamus, vitam transegit. Chronicum haec urethrae affectio in fluxum abiverat: cum, quatuor demum post menses, *bubo* utroque in inguine comparuerit, qui lentius incedens, ac prorsus neglectus, suppuratus est. Interea chronica medorrhoea nec minimum cessavit; sed novem alios per menses;

protracta, tandem sine medico auxilio disparuit, ac sanitas perfecta restituta est. Pristinae ex feminarum commercio mulctae non immemor, per undecim has annos evitavit, ac illaesae premio salutis gavisus est; vix autem ad illas reversus, eandem ac pridem culpae poenam dedit, ac iterum acutam, — eadem vero neglecta, chronicam iterum medorrhoeam contraxit. Ab ista, sex jam per menses, vexatus, venerem majore quondam cum impetu coluit: cum illico ex penis ostio sanguis cum tanta violentia, ut quinque circiter ejusdem libras hoc modo amitteret, proruperit. In syncopen tunc incidit: qua demum cessante, saevissimi dolores ad pubem, universum ad penem, et simul ad scrotum, insurgunt. Sub istis, illico et scrotum et ipsum abdomen in conspicuum tumorem elevantur; debilitas, anxietas succedunt. Interea sanguis guttatim ex urethra distillat; urinam cum sensu ardoris, interdum inscius, excernit. Scrotum nunc magis tumet, calet, ac rubet; sed quinque per dies haec dira symptomata sine medico auxilio perdurant: quo tempore in *Clinicum Institutum*, viribus exhaustus, defertur. Abdomen turget, ac eodem cum digitis percusso, aquarum fluctuatio percipitur; regio pubis, in tumorem elevata, calet, rubet, ac inprimis ad penis radicem dolet; inguina rubescunt; glandulae haud infarctae sunt. Penis aliquomodo tumet, ac praeputio, in phymosin contracto, inflato, subrubro, velatur. Profluvium ex pene cruentum nunc suspenditur. Scrotum, dextra in parte praetumidum, tensum, calens, ruberrimum, sine saevis doloribus attactum haud perfert; a tussi, licet rara, illi ad pubem ac inguina valdopere augentur; pulsus exigui sunt simulque frequentes. Mox scrotum, cum lacte fovendum, suspensorio sat amplo committimus; cataplasma pubi imponimus; alvum cum clystere reseramus; ac tenuem cum gummi arabico potum, praeter juscula ex carnibus nutrientia, praescribimus. Vix aliquod levamen postridie symptomata habebant; dolor interim ad pubem quodammodo remisit; accessit dolor capitis. Fomentatio nunc scroto ex herbis aromaticis, aquae infusis, imponitur. Nox valde inquieta succedit: urinam, sub insigni dolore cruentam aegrotus mingit, simulque sanguinis portionem guttatim,

ne mictu, ex urethra profundit; inquietus est, ac al-
um septies deponit. Die tertia, urinam summa cum
ifficultate excernit; pulsus durus est ac frequens;
crotum mole paulisper imminutum est, et minus ab
ttactu abhorret Cataplasma cum aqua vegeto-minerali
aratum pubi adponitur. Nox inquieta denuo insequi-
ur: dolores ad urethram, ad penis radicem, et ad
crotum augentur; sed sanguis ex urethra effluere
essat. Eodem sub statu per quatuor fere dies aegro-
s permansit: scroti interim tumor quidquam decre-
t; ac summus ad hanc partem pruritus accessit.
anifesta nunc in scroto percipitur fluctuatio; dolorque
ulsans in eodem percipitur, ipsoque sub mictu auge-
r. Hinc sectio, quo loco tumor scroti quidquam
ominebat, instituta est. Effluxit humor, primum pel-
cidus ac flavus, mox albescens, tandemque purifor-
is ac densus. Ad noctem, dolor, pulsatio in scroto
ssarunt, ac de pauco urethrae ardore sub mictu
aquestus est aegrotus; sed major sub isto, materiae
riformis et flavae ex scroto effluxus observatur; ac
ndem, cum parum urinae ex urethra guttatim efflu-
rit, copiosum ac evidentem illius, sub mictu, per
rotum effluxum percipimus. Sed novus nunc tumor
istram scroti ad partem suboritur; quem, satis evi-
nter fluctuantem, aperiri, ut primam, curamus. Sex
citer humoris foetentis, purulenti, exinde eductae
nt unciae. Catheterem ex gummi elastico in ure-
ram conduci jubemus; sed ipso pubis sub arcu, quo
o penis a proprio ligamento suspenditur, obstacu-
n sese eidem opponit. Hinc ope specilli, in scroti
lnus inquisivit, atque hoc inter et pubem suppura-
n, sinum detexit celebris chirurgus: quo sinu in
gum aperto, simul urethrae laceratae, e qua lotium
scrotum descenderat, comparuit, ac brevi temporis
ervallo sanata est divisio. Caeterum non rarum est
medorrhoea acuta vehemente, inprimis ea, quam
cam vocarunt, — vel in illa, quae cum penis curva-
a incedit, sanguinem sincerum ac multum, plerum-
e sine damno, et cum magno dolorum moderamine,
rumpere (§. DXXII.). Sunt, ut diximus, qui, vel
nper, quoties semen ejaculant, quod rarum est, — vel
coitum frequentius, quam par est, repetitum, loco

seminis, cruentum modo liquorem ex urethra ejaculent, aut etiam e collapso jam pene quamplurimum profundant. Quibus vero periodice, ut mulieribus per uterum, cruor ex pene prorumpit: hos eadem non raro, quae menstrua, vel fluxum haemorrhoidum praecedunt, symptomata, dolores abdominis, lumborum, tensiones inguinum ac femorum divexant.

§. DCXXXVIII. *Causae.*

Ex dictis (§. DCXXXVII.), profluvii ex urethra cruenti rationes jam partim elucent; et quas demum causas haemorrhoidum (§. DCXXIII.), ac haematuriae (§. DCXXXI.) adduximus, — has, penis quoque haemorrhagiis producendis esse pares, nemo dubitabit. Saepe scilicet violentia externa, inprimis peni *rigenti* admota, hoc profluvium excitavit. Vir juvenis, ut legimus, erecto pene in terram cecidit: unde dolor hujus partis insignis accessit, et sanguis cum impetu per urethrae meatum effluxit. Accessit tumor virgae, et scroti non minus, quam perinaei suggillatio; urina ex vesica turgente excerni non potuit. Catheter urethrae immissus, quin ad vesicam penetrasset, novam sanguinis ex illa jacturam provocavit; scarificatis vero praeputio et corpore penis. exiguus tandem in vesicam deferri catheter, urina educi, ac lotii difficultas, — quam sanguis ex corporibus cavernosis effusus, ac circa urethram collectus induxisse videbatur, sensim sensimque dissipari potuerunt. Medorrhoea urethralis acuta frequentius repetita, aut in chronicam mutata, immoderata veneris exercitia, masturbatio frequens, vasorum urethrae infarctus ac varices facillime post se relinquunt, aut inducunt: quod forsitan primum, in viri allato a nobis (§. DCXXXVII.) exemplo, ut sub coitu violento, urethrae, *densioris* ac magis *rigidae*, laceratio succederet, effecit. Quaecunque demum causae *priapismum* violentum inducant, aut frequens penis, vix collapsi, ad novos concubitus erectio, convulsio; — hae, ut sanguinis ad colem affluxum nimis augent; sic reditum per venas intercipiunt. Ulcera venerea, callosa, ad penis coronam, saepe sanguinem ex vasis erosis, compressis, expellunt: si talia in urethra nascantur; aut si major istius contractio, angu-

stia, venarum officio obsint; minor certe penis erectio, ut sanguini mox frena laxentur, sufficiet. Si calculus, vel corpus peregrinum, acicula, aut alia, urethrae a facta sint; similia non raro succedunt. Frequentius, periodici inprimis, profluvii causa, in venarum, quae cum illis recti intestini, prope collum vesicae, commercium habent, varicibus, — aut si dolor, ardor urinae, calorque ad urethram praecesserint, — in arteriarum minimarum repletione, laesione, secretione cruenta, consistit.

§. DCXXXIX. *Prognosis.*

Non minora sunt ex urethrorrhagia immodica, quam ex caeteris profluviis cruentis (§. DLXXXV.), hydropis, tabis, ac mortis ipsius, pericula. Saepius interim haec adeo non premunt: et externis aecessus auxiliis (§. DCXL.) conceditur. Quidquod non paucis profluvium ex urethra, — illud, quod *ani* ex venis aversum fuit, subpleverit; ac omni sine damno periodice, ac plures quidem per annos, rediverit. Quod ex ulcere urethrali descendit: hoc certe majoris momenti est, ac difficilius curatur, profluvium. Ubi urethrae canalis laceratus est: non modo sanguis, sed et ipsa urina, cellulosam penis, scroti, perinaei in telam divagantur (§. DCXXXVII.); ac difficiles sanatu tumores, abscessus, fistulas, in quibus et calculi subinde succrescunt, ut ipsam adeo harum partium gangraenam, induennt. Minora sunt haemorrhagiae, anteriore ex urethra venientis, discrimina.

§. DCXL. *Cura.*

In genere, quae modica est, aut sub urethrae phlogosi, aut suppressarum haemorrhoidum ex vitio contingit, cruoris ex ostio penis evacuatio: ea sibi si relinquenda, nec adstringentibus remediis cohibenda; sed, aliorum profluviorum exemplo, ad artis praecepta ex ipso *causarum* scrutinio repetenda, ac ubi jam satis exposita, tractanda est. Si copia, ac impetu majoribus sanguis ex urethra praecipitet; tunc ad chirurgica potissimum auxilia recurrendum est. Immersio penis, scroti, perinaei brevis, sed frequens in frigidam; glaciei contusae, aut nivis ad urethram

applicatio, — gelidae injectio in istam, aliquando sufficiunt. Si fluxus nihilominus continuet: aceti lithargyrii et frigidae portio, aut vini alkohol cum aqua remistum, aut solutio aluminis, vitrioli albi, in urethram injicienda sunt. In summo discrimine, donec alia ad manus sint remedia, praeputium supra glandem ad anteriora trahendum, ac digitorum ope, ne sanguinem dimittat, comprimendum est. Si urethrae anteriore ex parte cruor scaturire videatur; cum spleniolo angusto super illam per longum canalis, collocato: — si perinaeo vicina sit profluvii sedes; ad istam cum digitis compressio facienda est. Si nec ista sufficiant, cereolum sat amplum, vel, melius, catheterem ex gummi elastico paratum, urethrae immitti, ac vasa istius hoc optimo praesidio comprimi, obturari, necesse est.

Effectus profluvii istius, non aliter. ac de aliis profluviis jam docuimus, ac longa a rebus venereis abstinentia, curandi sunt.

ORDO III. GENUS VIII.

METRORRHAGIA.

---

§. DCXLI. *Menstrua.* — *Causae.*

Solum animal, quod sanguinem sine morbo, et ad certas periodos ex lege naturae profundat, humana est femina. Haec utero maturo, *sex* circiter per lustra, imposita est dira conditio: ac si aliquam hîc, coeli, corporis et animi, rationis vivendi diversitas, — vel temporis, quo menstrua excretio compareat ac cesset, vel mensurae, qua cruentum hoc tributum femina persolvet, differentiam concedit; sors tamen aequalis ubique terrarum hunc sexum regit. Sunt adeo, quae in tenera aetate, quin a primis vitae mensibus, — sunt, quae jam vetulae, hos fluxus uteri cruentos expertae sint: et cum in genere, graviditas, lactatio, certas plerisque inducias concedunt; sunt aliae, quibus, utero ferentibus, sanguis menstruus, primos per menses, ut pridem, — aut, casu rariore, ad partum usque, revertatur; aliae, quae niveum ex mammis, ac simul cruentum ex utero liquorem, sub aequali valetudine, profundant.

Si tam miri rationem phaenomeni ex physiologicis principiis sat certam nossemus; clariorem simul causarum, quae menstruam secretionem vel *imminuant*, *suspendant*, vel *aegrius* et cum labore *incedere* jubeant, vel *solito ab ordine et cursu depellant*, vel cum virium, ac vitae ipsius discrimine *augeant*, cognitionem haberemus: sed omnia hîc obscura sunt; nec pristini

quidem, et ex quo omnes exivimus, leges intelligimus domicilii. Non certe major est in corpore femineo cruoris, ad foetus nutritionem destinati, quae hos fluxus inducat renovetque per menses, abundantia: nam quae pauco instructae sunt, non minus, quam quae plurimo abundant, mulieres, cruorem periodice excernunt; suos vero foetus nutriunt et aliae, quae menstrua ignorant, animalium feminae brutorum. Non alia cruoris uterini, quam sanguinis e victima fluentis, est indoles: nam exiguae ubique rationes, sanguinis, qui sua vasa deseruit, colorem immutant; ac foetor interdum ex grumis, utero, vaginae inter plicas aliquamdiu detentis, corruptis, venit. Nec arteriarum tortuosus in utero incessus, nec majus illinc venarum robur, hunc nodum solvunt: nam sanguis utero secerni impeditus, per mammas aeque, ac digitorum per apices, per pulmones non minus ac ventriculi per vasa, sub eadem periodo stillasse est visus. In ipso quidem utero secretio fit menstrui cruoris; ac modo in praegnantibus interdum vaginae vasa hoc illius officio funguntur: sed si uterus, hoc secretionis in opere constitutus, *plethorae* signa *localis* manifestet; non ideo haec ipsa, quae principii alterius *effectus* esse potest, mox pro *causa* declarari debuisset. Certe donec aliarum rationes *secretionum*, ac leges *periodi*, cui sola *habitudo* et alia tandem profluvia cruenta submittit, patefiant: menstruorum ex *mechanices*, quam scholae partim adhucdum nimis olent, principiis explicatio non parum et ipsa claudicabit.

Sub *genitalium*, futurum generationis ad opus, *evolutione*, apud *mares*, testiculi, vasa spermatica turgent, tenduntur, et calent. Glandulae inguinales, apud multos, in leves quasi bubones elevantur, dolent, saepe gressus fere impediunt; singularis totius systematis irritatio, calores, rubores faciei insoliti, pulsus frequentiores, majores, corporis incrementum velox, vocis mutatio, et alia observantur; — in teneris *puellis*, dolores lumborum, ad pelvim continuati, crurum lassitudo, phlogoses, rubores, capitis dolores, pustulae passim, et inprimis in facie, efflorescentes; oculorum splendor, pulsus celeres, robustiores, etiam dicroti; mammillarum tensiones ac celerius incrementum, sum-

ma animi sensibilitas, morositas, lassitudinis sensus, colici interdum dolores; humoris serosi, albicantis per vaginam effluxus, adnotanda occurrunt. Ad uterum inprimis; sanguinis concursus major, — vasorum, quae cruorem hucusque excludere solebant, explicatio, repletio, distensio, — nervorum irritatio, ac levioris quasi phlogosis principium, succedunt. Hanc ultimam, sub aucto genitalium a venerea cupidine stimulo, et vaccarum canumque feminarum genitalia cruenta, tumida et tensa, manifestant. Sub hac rerum positione, ut quavis alia in superficie secernente irritata, narium, bronchiorum, urethrae ad tunicam mucosam, contingit: primum humoris pellucidi, serosi, mox albescentis, ex mucoso-puriformis, ac ipsius tandem *sanguinis*, — non per venas dilatatas expulsio, non ex arteriis vi mechanica, et fluidorum a tergo venientium actione distractis ac modo *cedentibus* expressio; sed *vera cruoris secretio* (§. DLXXXIV.) succedit. Cum vero haec uteri evolutio virginei mox in integrum, ac tam celeriter absolvi non queat; sed nunc dispareant per tempus, nunc redeant necessarii ad magnum hoc opus stimuli: hinc sub istis, in genere animalium, cui *profluvia cruenta* prae aliis quibuscunque animantibus longissime communiora sunt, in femina, quae *corpore*, caeteras animalium inter feminas sola, *erecto* incedit, ac majore tum corporis, tum animi sensibilitate instructa est, frequentius excreto easdem per vias cruore, *habitudo*, lex altera naturae, succedit, ac denum sanguis per certas periodos ex utero distillat.

Ad quaestionem, cur *mensis* ad spatium hic fluxus recurrat? cum simili quaestione: cur et alia profluvia cruenta (§§. DLXXXV. DLXXXIX. DCXX.) non minus certas in multis periodos absolvant? — et cum generali satis istorum, sed facile condonanda, ignorantia, respondere possemus: ast cum non uteri solius, sed universi systematis, huic visceri tam arcto ac summo consensu connexi, opus sint menstrua; hinc facile intelligitur, sub data, hoc inprimis in sexu mobilissimo, *vasorum*, tam aliorum, quam uteri praecipue, *sensibilitate* (§§. DLXIII. DLXIV. DLXXXIV.), vel pauco etiam a sanguine, stimulum, cui sine morbo vix assuescunt, dato tempore redire. Quidquod excre-

tio cruoris, ut *turbae menstruae* disparcant, non ubique requiratur; sed in multis, quin sanguis ex utero secedat, eadem, ac si ille effluxisset, symptomata tam sese manifestent, quam, praescripto dierum numero, evanescant (§. DLXIV.). In gravidis, lactantibus plerisque, menstrua secretio suspenditur: quod, in illis, minus ob sanguinis, in foetus incrementum conversi, inopiam, quam ob systematis vasorum in utero magis tunc expansi rationem, — forsitan ob totius systematis sanguinei *materni*, cum illo *foetus* connexi, extensionem amplissimam, in istis, ob majorem humorum ad mammas affluxum, contingere videtur. In multis interim praegnantibus, ut dictum est, cruor, tum matris, tum filii, ut certe novimus, sine damno, periodice distillat; ac pristina vasorum sensibilitas, et secernendi cruoris habitudo, consueto nunc, — non ipsum ad uterum, sed ad vaginam, profluvio praeest. Quod si cruoris ex utero maturo, nec gravido, periodica deficiat excretio; non rarum est, ut diximus, hanc ab alia, ejusdem indolis periodica excretione cruenta, ubicunque locorum haec fiat, suppleri: sed si ista, *peculiarem* sibi *vasorum structuram* non expetat; cur ea in *utero* humano requiratur, non perspicimus. Caeterum, quamvis rarum sit, feminam menstruo sine fluxu adolescere; tales tamen, non modo *sanas* ac robustas, sed et *fertiles* aliquando conspeximus: ut si plures hoc sub statu non concipiant mulieres; non menstrui sanguinis defectui, sed vitio genitalium organico tribuendum sit. Nec tam *certam* quoque hoc in sexu profluvii ex utero reversionem esse dicamus; ut si ista vel citius, vel tardius, quam *mensis* exacti spatio contingat; — hoc illico latente de morbo testetur. His etenim vix *quindecim* ante dies menstrua fluxerunt: cum nova iterum hujus indolis secretio succedat, illis, per quinque, sexve hebdomades, quidquod per menses, ut experti sumus, quin adeo valetudo manifeste laedatur, hic fluxus suspenditur: quae singula ostendunt: non alia, *menstruum*, evolutionis uterinae sub opere aliquoties excitatum, quam quodvis aliud profluvium periodicum, *lege*, id est, illa *habitudinis*, redire; nec aliam inter ista differentiam, quam quod *uterus*, *sanitatis*, *ac praescri-*

tae sensibilitatis ratione, — *partes aliae*, *morborum* *nperio*, sanguinem, aliquoties profusum, ulterius per iees profundant, intereedere.

§. DCXLII. *Lochia.*

Praeter dietam vero naturae legem (§. DCXLI.), lia est, qua uterus humanus, *sub partu*, et *post* *oetus exclusionem*, sanguinem, quod iterum animaum brutorum in feminis loeum non habet, exeernat. xigua seilieet quantitate eruor, eum humore muoso permistus, sub ultimis ad partum doloribus per aginam secedit, suoque rubore explorantis digitum bstetricis de partu vicino advertit. Hic sanguis ex vi humani, sub nixibus violentis, ab uteri superficie nterna, solutione. et ex vasculis oris uterini ad amitum, hune inter ae eingentes foetum membranas ruptis, lente distillat. Sub eapitis per uteri orifiium transitu, hoe ipsum vim patitur, leviterque, ut eliquae hane ad partem in feminis. quae semel aut erum pepererunt, eicatrices ostendunt, sauciatur. Siilia praeeipue in primiparis, vaginae ad ostium exterum eontingunt. Qui vero, partu absoluto, *lochiorum* ıb nomine, ex utero per vaginam deseendit, sanguis, c primum liquoris amnii portioni, ab ipso forsitan etus eapite praevio promptius ex utero effluere imeditae, — plaeentae ipsi, vel integrae, vel plures in articulas solutae, ae membranis, quae foetum non n pridem ambiebant, eommistus, — his vero reliais expulsis, sincerior, tam fluidus, quam in gruos eoactus, expellitur. Hoc sub opere, si *primiparas*, - sed certe non omnes, excipiamus: dolores, illis, ni foetus exelusionem promoverunt, fere similes, inrdum atroeiores, puerperam corripiunt; a lumbis blique versus uteri regionem descendunt; saepius reittunt, sopiuntur, iterumque invadunt, os uteri ditant, et ex ipso hoc viscere, repetitis eontractionias, partus absoluti reliquias, ac sanguinem, copia on apud omnes. nee eadem in muliere quovis a rtu aequali, sed paueum in illis, in istis sat mulm, exeernunt: donec plures post horas, dolores, adatim imminuti, sedentur, ae demum cessent; uorque nunc sensim sensimque magis dilutus, se-

cunda jam die, sanici colore, consistentia aequalis, ac tandem aliquot post dies, sub febris, quam *lacteam* dixerunt (§. DXXIII.), ingressu, humor viscosus, hinc inde modo sanguine tinctus, mox albescens, ac proprio, subacescente odore distinctus, secedat. Hic fluxus ex utero mucosus, conservata *lochiorum* sub appellatione, per aliquot hebdomades, — longius per tempus apud feminas, quae mammas puero sitienti recusant (§. DLIII.), continuat: donec utero pristinum fere ad statum reducto, quadraginta circiter et plures post dies, menstrua denuo, abundantior plerumque secretionibus futuris, secretio prorumpat.

§. DCXLIII. *Differentiae.*

His legibus (§§. DCXLI. DCXLII.) *naturalia*, seu sana, feminis circumscribuntur *profluvia cruenta*: sed frequenter a recto haec tramite aberrant, atque nunc ordine perverso incedunt; nunc penitus ac debitum aetatis ante terminum deficiunt; nunc vero et copia et impetu majore praecipitant; vel diutius ac par est, continuant, et latice vitali systema vasorum exhauriunt. Easdem haud raro causas contraria salutis haec vitia agnoscunt: nunc vero modo fluxus cruentos ex utero, vagina, morbosos describimus; ac interest ut in potissimas istorum differentias hîc primum inquiramus.

Vel ex utero non gravido, vel ex praegnante, aut re quavis peregrina, polypo, mola, steatomate, substantia ossea, calculosa onusto, profluvia cruoris morbosa contingunt. Ex illo, sanguis vel menstrua sub periodo, nimius, — vel tempore intermedio, — vel eo quo menstrua secretio ob aetatis rationem exulare deberet, — vel continuo, et chronico affectu prorumpit. Ex isto, majore sane sub rerum discrimine, vel primis a conceptione mensibus haemorrhagia, et facile *abortus*, contingit; vel foetu non quidem perfecto, sed ad vitam, matris extra sinum, protrahendam non prorsus inepto, sanguis cum impetu prosilit, *partusque* plerumque excluditur *praematurus*; vel partum maturum cruoris fluxus morbosus praecedit, comitatur; vel demum, expulso jam foetu, aut major illico cruoris unda sequitur cum impetu, — aut *lochia* plus aequo funduntur.

Caeterum iisdem *metrorrhagia*, ac caetera profluvia uenta, differentiis (§§. CDLXV. CDLXXXI.) subje-a, et praecipue nunc morbi alterius effectus, nunc ero primaria est: quam ultimam, tradenda specierum escriptio ulterius exponet.

. DCXLIV. *Metrorrhagia menstrua. — Symptomata.*

Non eadem quantitate sanguis menstruus feminis x utero descendit; sed aliae modo duas vel tres, — liae, septem vel octo uncias cruoris, et ultra, amit-unt; atque corporis dispositio nativa, vivendi ratio iversa, et rerum, quae systema universum, ac illud enit lium praecique, plus minus afficiunt, differentia, uamplurimum hîc mutant. Haec una adeo eademque femina, quin morbus ideo vel lateat, vel succre-:at, cruoris copiam hoc tempore vel illo per uterum xcreti diversam constituunt.

Quotiescunque vero hujus menstrui portio cruoris onsueta non parum abundantior, vel impetu, breviore ib temporis intervallo, majore, vel plures per dies, el saepius quam par est, aufugit; tunc, etsi cruor tam ertas ad dies ubique non redeat, *metrorrhagia menrua* feminae hic status dicendus est. Major haec, ut minor esse potest. Saepius, dum ob causam quam-inque secretio uterina ante mensem aut nulla aut arca praecessit, — vel dum absoluto puerperio menstrua aulo tardius comparent; copiosior tunc sanguis, quin orbum ideo constituat, aut feminam debilitet, ex-ernitur.

Insolitum est in prima aetate, qua menstrua pro-ire incipiunt, sanguinem uberius, quam par est, ex-erni. Frequentius in illis, quae post menses non mul-s huic fluxui, jam fere vetulae, valedicent, cruor tero immodice secedit. Illae vero, tum puellae, tum ulieres, metrorrhagiae prae aliis subjectae sunt, quae abitu spongioso laxoque instructae incedunt, quae uno facilius fortiusque commoventur, quae libidini, acho, choreis indulgent nimis; quae abortus frequentes xspertae sunt; quae menstruis, non gravidae, per liquot jam menses caruerunt. Quae menstruis ob cor-oris languorem non carent: hac plerumque copiosius, uam feminae magis firmae ac robustae, ex utero urgantur.

Varia in plurimis praecedunt metrorrhagiam hanc phaenomena: et quae eandem comitantur, sequuntur; ea, pro gradu ejusdem, pro conditione aegrotae, ac pro causae, quae morbum induxit, differentia, diversa sunt symptomata.

Praecedunt plerumque lassitudo et gravitas, vertigo, dolores capitis, dorsi, lumborum, coxarum, ventris, anxietas, cordis palpitatio, difficilis respiratio, horripilationes, calores, siccitas oris, sitis, pulsus frequens, aliquando et nausea et vomitus. Saepe quoque venae haemorrhoidales tument, dolent, et venter occluditur; impatientes et inquieti redduntur animi. Interim in sat multis praevia haec desunt symptomata, et sanguis haud raro ex utero, jam saepius purgato, ut aliis ex partibus, sine turbis conspicuis fugam orditur. Qui vero copia morbosa ex utero ruit, cruor; nunc fluidus hic est, nunc in grumos coactus, ac interdum, — vel in illis adeo, in quibus graviditatis suspicio esse nequit, cum *pseudomembrana*, illi quam in gravidis *deciduam* dixerunt, non absimili permistus.

Coacta sanguinis hac massa circa uterum collecta, stagnante, cruoris novi quidem fluxus aliquandiu suspenditur; sed major genitalium ab illa irritatio, dolores uteri, lumborum, tenesmum provocat: sub quibus et grumus cum nisu expellitur, et novae sanguinis undae via paratur.

Comitantur hos ex utero fluxus immodicos, tum praedicta hîc, et alibi (§. DLXXXIII.) symptomata, tum virium imbecillitas, faciei pallor, oscitatio, suspiria, difficilis, praecipue a motu, respiratio, et pectoris quasi constrictio, visus obnubilatio, syncope, extremorum frigus, suffocatio, convulsio.

Sequuntur debilitas totius corporis ac pallor, pedum erecto corpore, tumor; hydrops intercus, vel alius, universalis; febris lenta, atrophia; ad concubitum, generationem, impotentia, vel ad novas haemorrhagias, ad frequentes, si concipiunt, abortus, praedispositio.

Aliquando sat difficilis est quaestio: num cruor ex utero, forsitan praegnante, — ex lege menstrui, vel morbi propullulet? Temporis interim, quo profluvium cruentum succedit, ratio periodici, — phaenomenorum gra-

viditatis, mulieribus et in genere et in specie propriorum aut praesentia aut defectus, — uteri exploratio, causarum, symptomatum, quae fluxum praegressa sunt, comitantur, ponderatio, — modus ipse, quo sanguis descendit. hîc lucem, vix tamen ubique sat fidam, accendunt.

§. DCXLV. *Metrorrhagia gravidarum.* — *Abortus.*

Ex utero praegnante, priusquam parturiat, sanguis, nisi morbi, violentiae imperio expulsus, haud ruit. Qui, non paucis adeo in feminis, a facta conceptione, per mensem unum alterumve redit, — aut, rariore jam casu, medium graviditatis ad terminum, ut pridem, revertitur, — aut, rarissimis exemplis, ad partum usque, illaesa mulieris sanitate periodice effluere continuat, cruor: is, non clauso et obtecto per ovum humanum uteri ex osculo, sed vaginae ex vasis prorumpit. Sanguinis idcirco ex utero praegnante fuga, de illata per causas vel internas vel externas violentia, ac de ovi animalis a contigua superficie uterina solutione testatur. Omnem quidem ad ambitum membranae foetum cingentes interna cum uteri superficie cohaerent; sed vinculo strictiore, vasisque diametri longissime majoris nectitur *placenta* cum uteri portione illa, quam sibi, delapso vix ejus in cavum ovulo, ad leges non satis perspectas, sed ab uteri conditione, positione diversis, ac ovuli a pondere, ut videtur, dictatas, pro novenni habitaculo elegit. Ad fundum uteri, vel utrumque istius ad latus, placenta in plurimis, praesertim primiparis, — aut sat longo a tempore partum praecedentem, quin nova mox graviditas succederet, enixis mulieribus, adhaeret: sed nulli satis puncto fidelis est futuri animalis haec radix; ac saepe nimis tum cervici, tum osculo matricis, — nunc ex parte, nunc ex toto, et quasi concentrica, innascitur, foetus exitum, nisi pleno discriminis sub tributo cruento, praeclusura.

Quas regno vegetabili natura proles innumeras in floribus promittit: has magna ex parte ea ipsa citius, ac antequam maturuerint, provide avellit; nec planta, tot fructibus gerendis inepta, tam copiosos per abortus afficitur. Gravius animalia praematuras has foetuum jacturas ferunt: ac sicut nullum inter illa, quod tantos,

ac femina humana, *abortus* patiatur, existit; ita nulli tam grave ex istis, quam illi, imminent periculum.

Huic vero exposita est gravida, cui sanguis ipso profunditur ex utero. Hic etenim cruor, plerumque ob placentam ab uteri superficie, plus, minus, solutam, istam inter ac foetum ambientes membranas percolatur; ad os uteri appellens, violentam hujus visceris contractionem sollicitat, ac illo sub ista aperto, per vaginam praecipitat. Quoad ovum humanum; liquore amnii foetuque repletum, distensum, contractioni uterinae reluctatur; oportet sanguinem, sauciata quasi per avulsam violenter placentam, uteri a plaga prosilire; nec, in casu graviore, moderatur aut cessat, nisi foetu ipsisque secundinis, vel naturae, vel artis beneficio, expulsis, extractis, ominosum mulieri prolique profluvium.

Est tamen, ubi fluxus ex utero praegnante cruentus vel sponte, vel medici consilio, quin abortus succedat, sedatur. Vix interim hoc in casu placentae solutionem profluvii in causa fuisse; sed cruorem vel e summa vagina stillasse, vel a loco membranas foetum cingentes inter ac uteri superficiem ab iisdem distractam, et a placenta distantem fluxisse, censemus. Non raro scilicet *spurias*, vocant, aquas, perterrita muliere, ex utero vel octavi jam mensis sub fine, vel paulo tardius, sat copiose prorupisse; amnii vero liquorem nihilominus copia consueta, sub partu maturo ac felici, effluxisse observavimus. Spuriae autem hae aquae aliquando vel in propria hydatide, vel inter uteri superficiem internam et membranas, cellulosis in loculis colliguntur; donec istis, liquidi a mole, aut ab impetu diruptis, sine damno mulieris, praecipitent. Atqui eodem fere modo et sanguis interdum, laesis forsitan per causas quascunque tenuioribus e vasculis membranas inter et uteri superficiem avulsam, quin placentae solutio praeiverit, colligi, datoque tempore, quin abortus aequatur, profundi potest. Saltem veritati propiorem hanc sanguinis, integro placentae nexu, absque abortu ex utero excreti, quam placentae sine isto solutae, iterumque cum utero *conglutinatae*, ideam dicamus.

Profluviorum ex utero praegnante pars plurima, eo

ere, in quod menstrua pridem incidebant, tempore ontingit Tertio frequentius ac septimo mense abortus uccedere est dictum; sed incerta nimis primis a menibus, quam ut calculum sat firmum exinde ducamus, onceptionis est epocha; ac eadem, quae fructus planarum regit, — humanos quoque in foetus lex imperat: ut, nisi plenam jam maturitatem adepti, — quo revius per tempus e ramo materno perpenderint; eo uoque facilius hunc deserant, et, minoribus a causis oncussi, in tumulum praecipitent. Pars major certe nulierum foecundarum coituque utentium, quibus anguis, consuetis primae graviditatis sub phaenomenis, ost mensem ex utero, sanis, non fluit, sed post aleram periodum, non sine omni violentiae illatae supicione, cum impetu, ac sub lumborum ventrisque lolore prorumpit, — foetum simul cum cruore, ob nollitiem, parvitatem corpusculi, vix, communi indaine, istius inter grumos distinguendum, expellit. Ex ausis iisdem (§. DCL.) illae inprimis gravidae haenorrhagiam, de qua hîc sermo est, patiuntur ex utero: el quae debiliore, sensiliore generationis systemate nstructae sunt; vel quae menstrua sub spasmis ac loloribus excernere, vel multam ex genitalibus pituiam diutius amittere solebant. Non paucis vero feminis abortus frequentius certo graviditatis sub mense uccedunt: nec mensis est. aut dies, quibus gravida, ot casis violentis, in nubibus praecipue, exposita, ecurum satis foetui tectum proprio in sinu promittat.

Praecedunt plerumque, ut prima hujus morbi sub pecie (§. DCXLIV.), dolores lumborum, abdominis, on quidem continui, sed per intervalla, ac majore emper cum ferocia redeuntes, per regionem hypogatricam oblique deorsum protensi. Saepe horror aliuis, cui calor succedit, mulierem prehendit. Sub doloris accessione, sanguis, primum paucus, mox vero opiosior, praecipitat; post illam, fluxus sedatur. Ipsum cilicet os uteri, repetitis sub nixibus, magis magisque peritur. dilatatur, ceditque membranis liquore amnii epletis, sub dolore tumentibus tensisque. Sic via eruoi, ad mortem usque, nisi partus, ac ipsa tandem placenta sequantur, patet. Non rarum est interim, primis graviditatis in mensibus, ovum humanum vel *sponte*,

sub nixu ad alvum deponendam, vel alio, ac integrum secedere. Alias modo foetus grumis permistus expellitur; ac, donec ipsa placenta cum membranis hunc sequatur, fluxus cruentus in mulieris perniciem continuat. Quamvis autem praedicta symptomata plerosque abortus praecedant, comitentur; vidimus tamen sat multas, quibus fere insciis cruor ex utero prorumpere inceperit, et quae foetum, primis scilicet in mensibus, fere quovis sine dolore excluserint, mulieres. Quo vero partui vicinior est femina; eo majus utplurimum cruoris ex utero profluvium eundem circumdat praematurum. Caeterum cum dictis (§.DCXLIV.), quidem conveniunt. quae metrorrhagiam hanc comitantur, sequuntur, symptomata; sed abortus a causis violentis, internis, externis, ut putate, a febre, scorbuto, lue venerea, animi pathemate, a casu, lapsu, ictu, inductus, pro illarum differentia, uteri non raro morbos organicos aut topicos. aliosque generales, cum propriis symptomatis, aut indicat, aut post se relinquit.

Majoris vero momenti *metrorrhagia gravidarum* est illa, quae *ex praevia placenta* originem trahit. Hac etenim ad cervicem, vel ad ipsum os uteri haerente, quamprimum segmentum hujus visceris inferius, sub medio fero octavi mensis, vel paulo tardius, distendi magis ac cedere inceperit; separatio hujus partis ac avulsio ab utero contingit. Hinc aliis sub causis levissimis, aut protinus sine istis, quin gravida dolores necessario percipiat, portionem sanguinis primum moderatam haec ex utero perterrita amittit. Post breve temporis intervallum, sanguinis hic fluxus sedatur, ac nullius esse momenti ab adstantibus mulierculis habetur; sed paucas, ut vidimus, vel et octo, aut decem post dies, profluvium cruoris semel iterumque majore cum impetu renovatur; anxietas, vel brevis quoque syncope, succedunt. Plerumque tamen ex istis quoque gravida restituitur, ac instantis oblivisci periculi videtur: dum ingens tandem ex utero cruoris torrens praecipitat; ac mulier, sub extrema anxietate, suspiriis profundis, sonoris, oscitatione frequente, sub acie oculorum penitus infracta. sub aurium tinnitu ac susurru, extremitatum sub frigore marmoreo, instantis

iscrimen mortis incurrit. Sub hac rerum conditione iiqua et flebili, immissus vaginae, sanguine grumoso, ipina scilicet in gravida, infarctae, digitus, os uteri ıune satis clausum, nunc vero corpore inaequali, spon-oso, ac minus quam cervicis uterinae substantia re-stente, sensibilitatis experte, obtectum, oppletum re-erit. Ad cervicem magis haerente placenta, nec super ris uterini confinias protensa, haec ipsa, nisi digito er ipsum os uteri et collum porrecto, ac simul ad tus incurvato, sentiri, ac profluviis scaturigo distingui iud potest. Si forte dolor ad partum accedat; brevior simul debilissimus hic esse consuevit, cruorque sub o, copiosior, ac novo cum impetu expellitur. In mu-re plurimo jam sanguine exhausta, omnis ad partum lor nixusve disparent. Quo perfectius ori uterino, asi centro, placenta connectitur; eo saevior cruoris b partu magis immaturo, jactura, mortisque citioris, c unquam sine manu obstetricis avertendae, discri-en imminebit. Placenta ad cervicem annexa, jamque parte, tardius plerumque, divulsa, si ruptis mem-anis aquae secedant, aut si caput, vel clunes recta ointrent; profluvium supprimitur, ac, si vires super-t, partus ab ipsa natura interdum, incerto tamen amplurimum auxilio, feliciter absolvitur.

DCXLVI. *Metrorrhagia parturientium. — Metror-agia interna ex rupto utero. — Ex aliis rationibus.*

Non raro graviditatis ad terminum praegnantes, n sanguinem ex utero amiserint, perveniunt: sed o partus maturi sub opere, et inprimis sub dolore nixu, ejusdem a profluvio vexantur. Vix alium ec sanguinis per vaginam ruentis jactura, quam a centa, vel uteri a fundo, locisque lateralibus prae-tere soluta, vel ad cervicem haerente, ac ab ista e tandem avulsa, originem agnoscit (§. DCXLV.). ius quidem, sed interdum nihilominus, ipsius ex ri laesione sanguinis profluvium scaturit. De muco, guine remisto, qui partum naturalem praecedat, et cervicis orisque uterini distractione cruenta descen-, jam diximus (§. DCXLII.). Est vero, ubi caput us insigne, sub transitu, ob nixus vehementes ac ius protractos, celeriore, — sub oris uterini, in

provectae aetatis parturiente muliere, resistentia pertinaci, — sub ejusdem. in teneris primiparis, gracilitate, majorem paulo sanguinis copiam his a locis proliciat; est, ubi rudiore obstetricis ab attactu, vel ab unguium, versionis incautae sub opere, impressione, substantia uterina saucietur, ac sanguinem in partu profundat.

Vix interim conspicuum, ab istis, cruoris profluvium sequetur; sed altioris est momenti aliud, quod, *rupto* forsitan *ex utero*, abdominis, aut pelvis in cavum aliquando contingit: et quod, sicut matri mortiferum est; ita sicca plerumque parturientis genitalia externa esse sinit, ac alia mortis sub specie non paucis illudit. Uteri substantia, licet nullum tam exiguae capacitatis sit viscus, quod tantam in utrem dilatetur, — ab aquis tamen, a foetu, ab aëriformi materia, cruore, pure, polypo, mola, steatomate, calculo, lentum in modum repleta, extensa, crassitiem parietum, qua vacua pollebat, haud ideo deponit. Ex ima sic pelvi hoc viscus in gravidis non raro ad ipsam diaphragmatis regionem ascendit; nec tamen necessaria se ipsum contrahendi potentia tam facile privatur. Qua parte placenta utero pro fulcro est: hac, robur pondusque, ut facile hoc in latus inclinet, increscunt. Sed aliae sunt causae, quae hoc uteri in puncto, vel in alio, resistentiam augere, et extensionis aequalis rationes invertere queant. Huc nativa potissimum ac propria cuivis mulieri, hujus visceris conditio, licet parum intellecta, spectare videtur. In ipsa certe cordis apud pueros vix utero exclusos, substantia, fibras musculares, hoc in puncto vel illo, aliquando defuisse, atque sic futuri aneurysmatis hac in parte primordia haesisse, conspectum est. His accedunt, pelvis maternae constructio iniqua, partium utero vicinarum status perversus colique intestini a faecibus copiosis ac duris repletio frequens, ovariorum, tubarum, ligamentorum latorum ipsius uteri morbi praegressi, praesentes, — pinguedo nimia, cubandi ratio consueta, vestium strictarum thoracum actio, corporis ad certos labores positio contraria, diuturna: quae singula, tum sanam uteri directionem, tum aequalem hujus visceris praegnantis extensionem impediunt. Quemadmodum vero sub

hac rerum conditione pars uteri, jam nimis ac prae aliis extensa, ad sui contractionem citius ac prae stis stimulatur, — ex quo *abortuum* (§. DCXLV.) ratio *periodicorum* potissima quaerenda est: ita quoque, dum quae jam omnes ex utero fluxerunt, et hoc viscus naequali nunc ratione circa partes infantis constringitur: sub partu admodum difficili ac protracto, sub oetus, capite compressi, calcitratione violenta, ac tanem convulsiva, incauto versionis celerioris, rudioris ub opere, pars uteri illa, quae nimis jam extensa uit, interdum *rumpitur*, ac citissime lethalis hoc e oco haemorrhagia in cava vicina pelvis, abdominis, ontingit.

Similia et rariore in casu, quo scilicet ovum hunanum, conceptionis sub momento, uteri a cavo versum, in *ovario*, aut in *tuba* radicem figit, ac uam in istis maturitatem adipiscitur, aliquando, naeviis quasi ad partum, sed vanis, doloribus, sub notu prolis ad partem abdominis lateralem, eveniunt, isi foetus his in locis vel mumiae in speciem conrahatur; vel quasi lapidescat, vel osseam duritiem cquirat; vel in pinguem, spermati ceti affinem pisque commistam materiam, ut vidimus aliquoties, ac museo *Ticinensi* pathologico conservavimus, vertur; vel, excitata partium vicinarum suppuratione, xitum morbosum, tot in particulas divisus, inveniat.

Sub rerum conditione tam tristi, gravida, vel sub xu fortissimo ad partum, vel illatae violentiae maris sub momento, lacerationis internae, subitaneae nsum, alte exclamans, accusat; et illico, vel paulo rdius, post extremam anxietatem, in syncopen depsa, vel convulsa, quin sanguinem copiosum per ginam amiserit, exstinguitur. Sectio cadaveris, cruom vix non omnem, interdum et prolem, vel totam, el ex parte, abdominis in cavum delapsam ostendit.

Ubi caput prolis, super ore uterino rectius est potum, ac placenta, priusquam partus absolvatur, ab ero secedit; *interna* tunc quoque *haemorrhagia*, sum uteri in cavum, contingit. Pulsus hic, praeter iam, evidentem, rationem, debilissimus fit; anxies, suspiria, frigus extremorum sese manifestant; cesnte vero ad partem dolore, ubi caput foetus, obste-

tricantis a manu, ab ore uteri, superiora versus reprimitur, — vel foetus, superstitum forsitan adhuc virium efficacia, in lucem editur, copiosus demum sanguis per vaginam praecipitat. Haemorrhagiae uteri internae exemplum vir magnus descripsit, in qua cruoris nec guttula quidem ex vagina profluxerat; sed omnis, placentam, in medio sui solutam inter et uterum, in proprio quasi sacco inclusus, stagnabat.

§. DCXLVII. *Metrorrhagia puerperarum. — Lochia nimia.*

Vel cum sanguinis profluvio morboso, vel sine isto, prolem excluserit mulier; saepe nimis, absoluto vix benefico hoc opere, cruoris unda, lochiorum (§. DCXLII.) mensuram longissime superans, cum impetu, magnoque rerum discrimine, foetum illico subsequitur, et liquore vitali exhausta non raro citissime exspirat, aut longos in annos miserrime languet, *puerpera*. Nunc etenim debiliore, vel frequentiorem jam partum, sine debitis induciis, experta in femina, cujus uterus vel praeter modum a mole aquarum foetusque simul majore, aut duplice, extensus fuit; vel quae diuturno labore vires vix non omnes amisit; — aut in ea muliere, quae prolem cum secundinis celerrime exclusit; cujus sanguis mox a partu effluere cessavit, sed, ob grumum in ore uteri haerentem, ipso uteri in cavo magna copia collectus fuit, — aut in illa, quae longum per tempus, antequam conciperet, fluore albo laboravit; — aut demum in puerpera, quae manu, instrumenti chirurgici auxilio his promptius liberata fuit, — vis uteri contractilis evanuit; et hoc viscus, *atonia* correptum, non habet, quo hiantia sinuum ora sat cito obturet. Nunc aut vulnus utero crudeli ab unco inflictum, aut placenta mox a partu audaci a manu avulsa fuit. Nunc foetus alter, aut caput abruptum, aut placenta jam ex parte vel in totum soluta, aut ejus portio, aut grumus sanguinis conspicuus in utero detenti, hujus visceris contractionem, vasorumque occlusionem impediunt. Nunc spasmi uteros prehendunt, et partis unius constrictione varios in sensus inducta, aequalem totius visceris in se reditum praescindunt; aut per omne systema divagan-

es, motum sanguinis ad vasa uteri sauciata cum npetu dirigunt: ut quibus ita constitutis, eruor eeerrime has per vias aufugit, et, nisi prompto satis onsilio coërcitus, puerperam crudeli fato exanimat.

Quod si tanto sanguis cum impetu non illico, et iox a partu absoluto per uterum praecipitet; non aro tamen, aut primis puerperii diebus uberius, aut empore longiore, quam par est, *lochia* (§. DCXLII.) unduntur. Saepe primos per dies moderate satis uunt lochia; aut etiam praepostere sistuntur in toum: donec, aliquam post moram, novi circa uterum, d lumbos, ad abdomen dolores, tensiones ingratae, ebris, et nauseae aeeedant, — et, grumo sanguinis, qui s uteri aliquandiu obturaverat, conspieuo, non sine ixu puerperae, expulso; cruor flumine majore, quam ridem, aut plures, quam par est, per dies vigente, equatur. Alias, vel ob victum puerperae largiorem, el ob vinum generosum, aromata, medicamenta xcitantia, partus sub opere, vel tardius ingesta, vel b neglectam pueri laetationem, vel ob eausas deilitatis, laesionis uterinae, spasmorum, plaeentae ex arte retentae, vix allatas, — vel quod primis a partu iebus puerpera lectum, diutius erecta, deseruerit, — el fortius ob animi pathema, — lochia mox a partu, el longius per tempus copiosius secedunt: ac non iodo eruore vix non exhauriunt mulierem; sed et artes inprimis genitales varios ad morbos locales isponunt.

§. DCXLVIII. *Metrorrhagia vetularum.*

Non semper, quo menstrua maturius seeernere virgo eepit; eo eitius quoque proveetiore sub aetate, peodieo hoe fluxu haee ipsa liberatur. In *Italiae* proincia, in qua decem per annos medicinam exereuius, quamvis anno vel uno, vel altero eitius, ae in *ermania*, sexus sequior plerumque pubescat; eoiosa tamen feminarum, quae menstrua quadragesium octavum, quinquagesimum ad annum, sine iorbo, excernant, exempla non desunt. Nee in ipsa *ermania* tam rarae sunt feminae, quae, licet deimo et quarto aetatis anno jam periodiee ex utero urgatae; terminum tamen eundem sub menstruis

modo debito excretis sanissime attingant. Interim cum novum aetatis ad lustrum femina aeeessit: plerumque consuetae leges periodi infrangi, ae menstrua, non sine dubio salutis statu, nune tardius, nunc vero solito copiosius redire observamus. Quae vero juniores sanguinem uberius per uterum fundebant; quae hac parte, vel frequentes ae diffieiles ob partus, vel abortus, vel ob alias rationes, debiliores incedunt; quae fluxu haemorrhoidum frequentius laborarunt; praecipue quae potui spirituoso nimis indulgent: hae, prae aliis, vitae tempore, quo menstruis orbari debuissent, profluviis ex utero cruentis subjeetae sunt. Cum vero jam aliquot per menses sibi fluxus uterinos deficere, ventrisque, hoe sub defectu, molem quotidie augeri percipiant; non paucae, senioris jam aetatis quasi oblitae, vel exemplis rarissimis earum, quae anno adeo aetatis quinquagesimo pepererunt (partum miraculosum *Romani* dixerunt) innixae, utero sese gerere autumant, ae medicum hoc de statu dubitantem morose satis ferunt: ut non modo foetum in sinu proprio moveri, et singula graviditatis phaenomena sibi suceedere defendant; sed et lintea, et eunas, futuro pro partu, praeparari sollicite curent. Quod mulieris errorem magis confirmat, est: quod et mammae, jam pridem collapsae, interdum hoc sub statu turgescant; et quod nulla de morbo latente testentur symptomata: donec septem vel octo mensibus elapsis, cruor plurimus, quem diutius in utero, tamdiu tumente, stagnasse diceremus, cum impetu hoc e viscere prorumpat, aut mola excludatur inanis, ac fabulam *de partu montis* revocet in mentem. Vidimus tamen, quibus menstrua, eum per aetatem juvenilem satis parce, modo paucas per dies, ae praescripta periodo redivissent: annis jam quadraginta et quinque absolutis, vel tertia quavis hebdomada, vel et citius, decem adeo per dies. eopia cruoris insigni, sub ventris lumborumque doloribus, ac magno virium decremento, aliquot per annos reversa sint. Sunt aliqua, et a nobis conspecta, exempla feminarum, quibus menstrua, aetate vix non decrepita, per annos, et quin morbus subesse videretur, periodice rediverint: interim haud raro scirrhus, ulcus malignum,

aut cancer uteri occultus, haec tarda, vel et chronica mulicbri ex sinu profluvia, — inprimis cum dolor fixus ad uterum accusetur; si gravitas lumborum crurumque, si humoris mucosi, saniosi, ac foetidi ex vagina effluxus, praecedant; vel si forsitan instituta per istam exploratio, uteri ipsius molem auctam, duritiem majorem, situmque profundiorem, vel os uteri inaequale, tuberosum, subcallosum, excsum, vel aequo sensibilius deprehenderit; si alvus plerumque obstructa, si venae circa anum tumentes, tenesmus, vel et ardor urinae frequenter adsint, — inducunt.

§. DCXLIX. *Metrorrhagia symptomatica.*

Metrorrhagiam *symptomaticam* jam alibi, cum de febre nervosa, ac de metritide ageremus, tetigimus; nec aetas est, nec uteri, vel vacui, vel praegnantis est conditio, sub qua non cruor, alterius vi morbi, haec declivia et spongiosa per loca *urgeatur*, vel parum custoditus, *aufugiat.* In variolis confluentibus ac discretis, in morbillis, quae cum febre adynamica incedunt, in scorbuto, sanguis haud raro copiosus, immaturos adeo ac infantiles per uteros, profusus fuit. In feminis, quas fluxus haemorrhoidum, quacunque demum ex causa, diutius vexavit, venae cervicis uterinae, vaginae varices hinc inde formant, et sanguinem, posito forsitan ad anum obstaculo, vicariae fundunt. Haec interim et alia profluvia cruoris ex utero *symptomatica* praesentis objectum considerationis non constituunt, et aliis hujus operis e locis illorum doctrina eruenda est.

§. DCL. *Causae.* — *C. locales.* — *C. stimulantes.* — *C. debilitantes.*

Profluviorum morbosorum *causae* generales (§. CDLXVI. §. DLXXXIV.), illud quoque cruoris, ex *utero* praeter ordinem ruentis, regunt. Plurimas ex illis, quae diversas istius species (§§. DCXLIV. — DCXLVIII.) concernunt, sub istarum descriptione passim jam tradidimus; omnes vero, quas hîc discentium ad usum breviter collegisse juvabit, tam *externae*, quam *internae*, in eo conspirant; quod vel partium genitalium *localem* modo affectionem, profluvio cruento faventem,

inducant; vel, universum in systema agendo, nunc aucto nimis uterina per vasa motu, ac stimulo secretionem in istis cruentam promovente, sanguinem disperdant; vel eundem, imminuta canalium resistentia, fugientem transmitti, aut morbose secerni jubeant.

Ex causis *externis*, stimulum *localem* vasis uterinis inferunt, et metrorrhagiam tam menstruam (§.DCXLIV.), quam illam praegnantium (§. DCXLV.), parturientium (§. DCXLVI.), ac puerperarum (§ DCXLVII.), facillime provocant: concussio corporis, inprimis abdominis ac pelvis, sub vectione in rhoeda per vias saxosas, sub equitatione, choreis violentis, sub lapsu, ictu; — venus nimia, fervidior, menstruo inprimis imminente, vel adeo praesente jam fluxu celebrata, masturpatio; — balnea, pediluvia calidiora, clysteres acres, pessaria irritantia; — nixus ad alvum deponendam diuturnus, tenesmus a dysenteria, vel a vermibus; — emesis violenta, frequens sternutatio, cachinnus, tussis aspera, ferina, hypocaustula cruribus subposita; — vestes arctiores, praecipue thoraces, quae circuli humorum amplam per corporis superficiem, per ipsos pulmones, ac viscera abdominis praecipua, libertatem praescindunt; et sanguinis torrentem ad loca interna, minus compressa, determinant. Potissimam plurimorum abortuum, partusque praematuri causam sistit coitus cum gravida incautus, inprimis quo tempore os uteri profundius in pelvis cavum demersum est; quo menstrua pridem redire solebant; vel quo praegnantis conspicue jam prominet abdomen; — motus prolis in utero, umbilicali praeprimis breviore sub funiculo, violentior, convulsivus.

Causae vero vel *internae*, vel quae systemati universo, — ac inprimis uterino, stimulum superaddunt, et profluvia cruenta inducunt, sunt: corporis energia superabundans; spirituosorum, aromatum abusus, emenagoga, aristolochica, abortiva, ut vocant, remedia; febris acuta, inflammatoria, cum aliquo, aut nullo exanthemate; viscerum thoracis, abdominis, pelvis inflammatio; fortior praecipue iracundia, lascivia, vel et veneris diutius negatae desiderium intensum; rheuma, erysipelas ad uterum, etc.

Major longe causarum est numerus, quae totius,

et uteri potissimum debilitatem, ac sensibilitatem morbosam generando, profluvia cruoris hoc e viscere *adynamica* inducunt (§. CDLXVI.).

In ipsa sexus sequioris constitutione nativa, ac in educationis tam physicae, quam moralis ratione, latet uteri, futuros ad fluxus hujus generis cruentos, et ad abortus dispositio. Non enim solius haemoptoës seu pneumonorrhagiae exemplo, in proles, parentum dominatur infirmitas; sed, experientia id nobis monstrante, matris in fluxus uterinos et in partus praecoces proclivitas haud raro transfertur in filiam. Feminarum in urbibus degentium, otio continuo, et luxuriae deditarum, vitae genus, corporis gracilitas, animique pathemata multiplicia, non possunt quin prolem, easdem inertiae ac morborum ad leges institutam, sibi similem, et aranearum quasi ex telis conflatam generent, efforment. Quas maxima rerum omnium continuo premit penuria, matres, — quae, vel utero praegnante, ad diros labores coactae, vix habent unde proprium sustentent corpus, novumque simul civem enutriant, genitrices; hae certe, sicut ad morbos ex debilitate plerosque, ita praecipue ad cruoris foetusque per uterum jacturas, promptiores existunt. Thoracum, quibus a prima fere infantia non ita pridem cingebantur virgines vel quidquam rusticarum a coetu distinctae, effectus, praeter dictam jam vasorum viscerumque compressionem, in eo maxime conspirabant: quod pectoris elegantiam, amplitudinem naturalem, inverterent, ac necessariam gravido quondam pro utero ventris capacitatem praepedirent. Restricti continuo, ac planam, vel concavam adeo in formam coacti abdominis musculi, extenso quidquam per foetum utero nimis resistunt, tenduntur; saepiusque nobis visum est, ac si non tam ipsius hujus visceris, quam abdominis, extendi ulterius nescii, morbosa sensibilitas, praecoces ad partum dolores, et abortus provocasset. Sed alio nunc modo in propriam perniciem sexus sequior in urbibus delirat: dum vestibus, sub coelo his minime favente, tenuioribus, ipsi adeo pudicitiae, et cutis functionibus tam adversis, sanguinemque, ab ampla pellis superficie, interna versus cogentibus, vix indutae frigoris sese injuriis ultro exponunt, corpusque, viri-

bus jam nimis infractum, ulterius infirmare, — ac futurum generationis ad opus ineptum reddere, — profluviis uterinis exponere, etsi tot exempli funestis admonitae non desinunt.

Est interim *nimia ipsius uteri sensibilitas*, quae in multis, cum graviditatis certam ad periodum pertigerint, sub causae alterius, levioris, accessione, ac tandem ob solam istorum *consuetudinem*, mox visceris istius contractionem spasmodicam sollicitet, placentam ab eodem detrudat, et sanguinem copiosum immaturo cum foetu excutiat. Haec uteri in profluvia cruenta et in abortus propensio, pluribus certo in feminis, pendet a citiore partium genitalium, ob praecocem amoris, rerum venerearum cognitionem, cupidinem, tractationem, evolutione, plenitudine, turgescentia locali, — a lumborum, mollioribus in lectis, ac sub somno in diem protracto, fotu nimio, — a diuturno balneorum, clysterum calidorum abusu, — ab alvi, sub exercitii, laboris defectu, obstructione frequente ac in longum protracta, — ab haemorrhoidibus, vel alio assueto profluvio, vel lactis secretione suppressis, — a fluore albo, morbis genitalium contagiosis, venereis, vel aliis praegressis, praesentibus, — a spasmis per sordes in abdomine latentes circa uterum excitatis.

Caeterum et febris intermittens neglecta, perniciosa, praecipue vero acuta nervosa, vel sola, vel cum exanthemate, cum variolis, morbillis, scarlatina, miliariis, petechiis incedens, — scorbutus, chlorosis, viscerum obstructio; hydrops; epilepsia, vel alia convulsio, terror, metus, tristitia ingens, sanguinem non raro per uteros, vel ipso cum foetu, dissipare cernuntur. Incognita nonnunquam atmosphaerae conditio, cur more quasi epidemico profluvia, in morbis diversis, ex utero. et abortus sequantur, subesse videtur.

De praematura placentae solutione, ac de perversa ejusdem ad os uteri, vel ad cervicem adhaesione, gravissimorum profluviorum ut causa, jam satis sumus locuti (§§. DCXLV. DCXLVI.). Ultima haec causa, tam iniqua, graviditatis quidem, ab initio subsistit, ac vel primis sub mensibus abortui jam locum dedisse est visa: sed plerumque, ut diximus, sed circiter aut septem partus naturalis ante terminum hebdomadis,

quo tempore cervix uteri dilatari magis incipit, haemorrhagiam provocare consuevit. Nec minus a placenta, vel tota, vel ex parte, in utero nimis diu relicta, aut spasmis hoc in viscere incarcerata, — ex grumis sanguineis, polyposis, in eodem a partu concretis, vel altero a foetu puerperae in sinu latitante, uterique contractionem praepedientibus, profluvia cruoris oriri monuimus (§ DCXLVII.). Sed et sine istis, frequenter *atonia* uteri, aut vix a foetu vel majore, duplici, et aquarum a mole insigni potentius extensi, aut celerius ab iisdem, ac placenta liberati, aut praeter modum vi vitali, a longiore ad partum labore, infracti, aut versionis incautae sub opere nimis vexati, cruoris uberrimi jacturam, facile lethalem, a partu inducit.

In feminis, quae fluxu menstruo, quo aetatis provectae ratione carere debuissent, sed eodem, aliquot jam per menses suppresso, iterum iterumque profusius laborant; interdum quidem, sub initio, — scilicet sub victu copioso, potu generoso, sub ciborum subactione faciliore, motu vero corporis exiguo, vires nimis abundant, ac pertinacis causam profluvii sistunt. Saepius tamen congestionis sanguineae circa uterum, multos aut difficiles per partus, abortus, frequentius vexatum, aut sera adhuc venere praeter ordinem naturae irritatum, aut fluore albo, chronico, suo vigore privatum aut denique scirrho, steatomate, ulcere maligno, canceroso, varicibus, obsessum, hoc opus est; quod medicos inexpertos haud raro, verae sanguinis abundantiae sub specie decepit.

§. DCLI. *Prognosis*

Ex tradita metrorrhagiae descriptione (§§. DCXLIV. — DCXLIX.) non minus, quam ex indole causarum (§. DCL.), quae diversas illius species inducunt, profluvii hujus cruenti *prognosis* vel sponte eruitur.

Quae menstruis praeter modum copiosis, aut frequentibus aliquamdiu laborarunt; hae facile a causis exiguis, ac tandem vel ob solam *consuetudinem*, ab eodem hoc profluvio vexantur; et demum conjugales ad amplexus et ad ipsam conceptionem ineptae, vel saltem ad faciles abortus aut partus praematuros ad-

modum proclives redduntur. Hinc profluvii istius, aliquando jam primo sub impetu ominosi, dum saepius revertitur, pericula, tristes in civium generationem effectus, et curandi difficultas jam satis elucent. Augetur haec ultima ob non exigua, contractae jam semel cum hoc morbo habitudini renitendi, discrimina. Saepe scilicet, etsi causa hujus profluvii non in sanguinis abundantia consistat, — dum cruorem incaute ab utero, adstringentium remediorum auxilio adhibito, avertimus; haec impetum cruoris alia ad organa convertunt, vel phlogoses, abscessus, ac difficiles infarctus ipso in utero relinquunt. Sibi vero commissum, profluvium, feminam sensim sensimque latice vitali exhaurit, et in chlorosin, fluorem album, ac tandem in tabem, hydropem praecipitat. Majorem ab isto juniores ac vetulae, quam mediae aetatis feminae, nisi gravidae, virium jacturam pati sueverunt. Quamvis autem chronici ratio profluvii plerumque illam acuti celerisque affectus sua pernicie longe superet; majorem tamen sanguinis quantitatem ex utero sine vitae periculo mulier *lente* amittit: dum a minore, cum impetu brevique temporis intervallo rejecta, mortis praesentissima pericula incurrit. Periodica cruoris excretio, ubi, sub magnis hoc ad viscus, ad lumbos, pelvimque doloribus, vel copiosius, vel frequentius (§. DCXLIV.), vel aetate seriore (§. DCXLVIII.), quam par est, prorumpit; saepius id, sed maxime in sterilibus, aut provectae jam aetatis in feminis, de vitio ad uterum locali, organico, seu de scirrho, carcinomate, vel ulcere maligno, quod pluribus abhinc annis, in *Clinico Instituto Ticinensi*, cum magno uteri in vesicam urinalem hiatu observavimus, testatur. Quod vero his ultimis e causis, vel ex viscerum obstructione obstinata scaturit, — vix unquam sanationem perfectam admittit, profluvium uterinum. Quo brevioribus haemorrhagia intervallis ex utero revertitur; eo pejor est. Quae vero vix unquam intermittit; ea in longum jam tempus protracta, *evangelicos*, ut ajunt, inter morbos numeranda est.

De metrorrhagiae *gravidarum* periculis, quae satis jam inculcavimus (§. DCXLV.), vix est, cur multis hîc agamus. Fluxum sanguinis feminae praegnanti

moderate ac sine turbis, sub menstrua periodo redeuntem, plerumque esse innoxium, — nec adeo omne, quod gravido per menses modo paucos, sine causa evidente, ex utero descendit, pro certo futuri abortus signo habendum esse profluvium, jam diximus; sed aliud de illo dicatur, quod praevio ad lumbos uterumque dolore, vel, sub isto, violentius, — vel sub oris uterini dilatatione manifesta, impetuose prorumpit, — vel quod mense aut septimo, octavo aut paulo tardius, praecipitat. Quo maturius ovum humanum ab utero secedit; eo minus haemorrhagia ex eodem timenda est: sed crescit mirum quantum eundo periculum. Conclamatum est, sine manus expertae celerrimo auxilio, si medium ad os uteri, jam diutius praegnantis, positio placentae est. Si cervici haec adhaereat; imminuitur, pro distantiae ab ore uterino ratione, periculum; modo citius membranae foetus ruptae aquis istum ambientibus exitum concedant; caput, aut nates istarum in locum subintrent, ac os uteri, donec partus sat cito expediatur, adimpleant. Contrario in casu, vel sub illo, quo sanguis ab utero circa foetum celerius contracto non sistitur, ac *internum* subnascitur profluvium (§. DCXLVI.); mors certa, nisi foetus et placentae extractione sat celeri aversa, imminebit. Praematura placentae ab utero separatio, praeter quod matri, a profluvio cruoris inducto, exitium minetur; foetui quoque, ad citiorem tunc aëris ducendi necessitatem redacto, nec tamen sat prompta, in lucem excluso lethalis est.

Profluvia cruoris morbosa, quo citius a partu mulierem afficiunt; eo majus huic periculum annunciant. Insigne rerum, ab uteri quasi paralysi et inertia, discrimen est.

Caeterum, causarum, quae ansam his ex utero profluviis porrigunt (§. DCL.), diversitas, aliam quoque aliamque de re eadem prognosin constituit. Mors feminae, hoc a fluxu vexatae, summopere timenda est, si visum sibi labescere, obscurari oculos, aures tinnire, susurrum, quasi ab aquis ruentibus, percipere, referat; si manus pedesque frigescant. aut sudor frigidus viscidusque faciem pallidissimam contegat; si pulsus, exilissimus, vacillet, intermittat; si anxie jactatur, pro-

fundius suspiret mulier. Oscitatio continua, sonora, subsultus tendinum, singultus, convulsio, instantem jam mortem, ut in aliis haemorrhagiis (§§. CDLXVII. DLXII. DLXXXV.), praedicunt.

§. DCLII. *Cura. — C. metrorrhagiae energicae. — C. metrorrhagiae adynamicae. — Erigentia. — Adstringentia. — Refractae emeticorum doses. — Pulvis Doveri. Elixir vitrioli. — Digitalis purpurea. — Extractio foetus, — Secundinarum. — Externa.*

Praecepta profluviis, haemorrhagiis in specie, medendi generalia (§§. CDLXVIII. DLXXXVI.), huic quoque ex utero jacturae cruoris cohibendae inserviunt. Hinc, distincta primum metrorrhagiae curandae specie diversa, ad habitum statumque aegrotae, aut causam, quae malum induxit, morborum regnantium ad indolem; ac praecipue num sanguinem cohiberi satis tutum sit, respiciendum est.

Si menstrua secretio in virgine, aut femina robusta, ulterius nutrita et succiplena, aut nimis, aut aequo frequentius, urgeat; si causae aliae stimulantes, externae, internae (§. DCL.), praeiverint; si major necdum, quae vires exuberantes depresserit, haemorrhagia successerit, — ac pulsuum vibratio, plenitudo sic jubeant; si febris et symptomata inflammatoria, dolor ab attactu magnus, calor, sitis, sese manifestant: debilitans tunc methodus, venaesectio, potus frigidus, parcitas ciborum, aër purus, subfrigidus, alvi per clysterem non calidum, per lene evacuans, solutio; quies corporis et animi, supina illius super lecto duriore positio, potissime conducent.

Similem sibi methodum metrorrhagia provectae jam aetatis feminarum, ac, sensu physiologico, *vetularum* (§. DCXLVIII.), quae corporis ob habitum robustum, huic malo subjectae sunt, exposcit; ac instituta aliquoties in anno venaesectio, stimulique cujusvis, maxime venerei, et illius, qui a vino scaturit, evitatio, seriorem sanguinis per uterum jacturam hujus indolis plerumque avertit.

Quousque vero istorum indicatio subintrat; ab externis, adstringentibus remediis, quae sanguinem ex utero ruentem cohibeant, ob dictas jam rationes (§. DCLI.), abstinendum est.

Vix interim tantus feminarum, ex *vera* plenitudine, ac systematis sanguinei vi morbosa, nimio menstruorum fluxu obrutarum est numerus; vel si talia sub morbi principio subfuerint, donec medicus a sexu verecundo, moderandi causa profluvii, consulatur: plerumque jam satis cruoris per uterum aufugit, ac methodus debilitans vix locum inveniet.

Quod si hinc sanguis, non ob copiam, et ob systematis universi vim vitalem nimis adauctam per uterum pellatur; omissa tunc cruoris detractione, quousque licebit, in causas profluvii *adynamici* auxilia, nunc interna, nunc externa, dirigenda sunt.

Scilicet, ubi nimia systematis universi, ac major hac uteri debilitas, metrorrhagiae, qualiscunque demum haec fuerit (§§. DCXLIV. DCXLIX.), ansam porrexisse videtur; ubi causae, nervorum actioni spasmodicae faventes, in femina hysterica debilique praecesserunt; et vacuo non minus, quam gravido ex utero, repulsa ab isto, varios in sensus contracto, placenta, sanguinem disperdunt; ubi pallidi coloris, et habitus spongiosi est mulier; ubi pulsus exiles sunt ac debiles: tunc, nisi manus obstetricantis indicato hic auxilio, maxima *erigentem, excitantem, roborantem* in methodum (§§. CDLXVIII DLXXXVI.), praecipue in opium, fiducia collocanda est: quod simul vel corticis peruviani, vel quercus, cascarillae, simarubae, vel salicis fragilis cum extracto, in aqua cinnamomi vinosa solutum, vel cum ipsa cinnamomi tinctura, et elixirio vitrioli remistum, non paucis ex utero profluviis arginem sistit. Hac sub rerum positione, profuit non raro injecta per anum, saturata satis, opii solutio: qua scilicet motus perversi, tam intestinorum in canali, quam ipso in utero, egregie pacantur. Vix multum ab opio per vaginam ad os uteri delato, quod nova sanguinis unda facillime remedium ab isto abstergat, speraverimus. Si gossypium, vel linteum contortum, opii solutione imbuta, et vaginae intrusa profuisse concedamus; non opii hoc virtuti, sed mechanico auxilio tribuendum esse dicamus. Nec alterum viri, caeterum egregii, opium mox a praestito effectu seponi jubentis, nobis, — facilitatis, qua haec profluvia, suspensa mox remedii roborantis, sopientis actione, recurrant, bene consciis, arridet consilium.

Alia sunt hujus census remedia, quae sub statu debilitatis, ut causa profluvii cruenti potissima, mulieribus conducunt. Huc pertinet inprimis decoctum ex pomis aurantiis viridibus paratum: quod et nobis in chronicis ex utero haemorrhagiis interdum, — non interim ea, qua dicebant, constante efficacia, egisse conspectum est. Nec minus praeter jam dicta, et alia adstringentia huc spectant remedia; quae tamen, interius porrecta, spem aliorum, et nostram, frequenter fefellerunt (§. DLXXXVI.). Praecipuum ex istis, *alumen* est, nec majora ex additis huic, ut solent, vel sanguine draconis, vel gummi kino, exspectamus. Hinc illud, vel pulveris, vel gratae solutionis sub forma porrectum, vel aliis superadditum, per nervosum, ut videtur, ventriculi consensum, sat felices hinc inde effectus exserit. Majores aluminis doses alvum movere jam diximus; ac similes effectus a gummi kino observavimus. Sacchari, tincturae saturni ad minimum suspectus in medicina usus est. In chronico vero sanguinis uterini fluxu, quem sola debilitas et chlorotica mulieris constitutio induxit, maximum saepe ex ferri limatura recente, ex vitriolo martis, quibus cortex cinnamomi adjungitur, vel ex aquis mineralibus, obtinetur auxilium.

Juvat interim hîc repetere: in tumultuosa nimis remediorum adstringentium, excitantium praescriptione, frequentius, quam creditur peccari; ac ipsam cinnamomi tincturam, ob stimulum, quem, insuetis istius, mulierculis infert, majorem, profluvii cruoris acuti pericula hinc inde augere. *Cassiam* hinc *ligneam* cortici cinnamomi calidiori, cum bono rerum successu, substitutam fuisse legimus.

Saburras alimentari in tubo collectas, ad spasmos, etiam longinquos, occasionem porrigere, evictum est. Has igitur ex ventriculo per vomitum ejici, atque ipsam sic profluvii causam eliminari, non pauci, et eximii inter hos viri jusserunt. Fatemur quidem, ab *emeticis* tum per ipsam irritantis materiae rejectionem, tum per stimulum, quem nervis ventriculi inducunt, ac in alios propagant, profluvia, sub certa morborum constitutione, posse frenari; sed incerta nimis, sub tanta rerum complicatione, videtur indicatio; suspe-

cta nimis, sub tanto ventriculi, diaphragmatis, musculorum abdominis, a vomitu convulsorum, tumultu, emetici in uterum cruentum actio, quam ut calamo res tam insignis momenti leviore tractare audeamus. Certe, qui toties abortus, ac caetera cruoris ex utero profluvia ex *bile* derivant; videntur hi non raro morbi *effectum* pro causa habuisse. Sub quovis uteri affectu vehemente, sub dolore acuto, nixuve ad partum intenso, sub quavis demum haemorrhagia violenta, nauseae, vomituritiones ac ipse vomitus, istorum ut symptoma nervorum facile succedunt; nec si frequentius ad ipsa mulieri abortus ac fluxus utero cruentos promoveri fateamur, *bilis*, sub hoc animi excandescentis motu, copiosius ex jecinore fluentis, id ipsum effectui tribuendum est.

Quod si tamen emetica his in morbis commendare vereamur, non igitur refractas illorum doses hîc loci, ut inutiles vel noxias, rejicimus; sed laudem, quam his alii dederunt, nos quoque lubenter eisdem concedimus. Stimulo quippe mitiore ac magis diuturno, quam ipsa emetica, in ventriculi nervos operando, in partes quoque distantes a spasmo, debilitate, correptas, in uterum propriis a stimulis agitatum, vel nimis inertem, quin ipsas cutaneae transpirationis in vias, haud raro agunt, et chronica potissimum ex pudendis profluvia, tum cruenta, tum alia, non raro compescunt. Ipecacuanhae hinc radici ad granum unum alterum ter, quater in die porrectae, laudes, quas sibi prima promeruit, non injustas tribuerunt. Cum vero *adstringenti* has laudes *principio*, quod tam exiguis in dosibus nullius fere momenti esse potest, adscriberent; errarunt: et ratio tandem non minus, quam ipsa experientia, in quaecunque demum emetica, eundem in modum porrecta, justiores esse, ac similes ab omnibus effectus impetrare nos docuit.

Saepe tamen emeticorum, dosi minima haustorum, effectus, addito eisdem ab *opio*, superantur, ac pulveris *Doveri*, in cohibendo cruoris profluvio *passivo* virtus quamplurimis felicis curationis exemplis confirmatur.

Est etiam, ubi, sub morbosa systematis universi, ac praesertim uterini, irritabilitate, sub calore urente ac febricula continua, *acidum tenue vitrioli*, aut *eli-*

xir Mynsichti, Halleri — maxime adjuncta simul *tinctura thebaica*, potentius, ac prae aliis auxiliis, cruenta profluvia coërceant.

Potiora inter remedia, huic profluvio opponenda, *digitalis purpurea* certe pertinet.

Quod si vero placenta. vel praecocius ab uteri parietibus aut fundo separata, vel cervici, ori uterino adhaerens ac nunc ab iisdem avulsa, causam profluvii constituat; tunc aliud, quam obstetricantis experti auxilium haud superest; et vita matris filiique ipsius, ab expedita membranarum, quae istum involvunt, pertusione, foetusque ipsius eductione, ad leges artis suscepta, dependet (§§. DCXLV. DCXLVI.). Eodem artis chirurgicae subsidio, nec fere alio et puerpera, cujus ex utero, aut partus reliquias, aut grumum sanguinis retinente, haemorrhagia contingit (§. DCXLVII.), indigebit.

Saepius vero res ita constituta est, ut, quamvis aut necdum indicetur, aut locum non habeat violenta foetus per artem eductio, aut vacuo ex utero sanguis praecipitet; a solis tamen *internis* remediis profluvia coërceri sat prompte non possint, ac ut cruor majore mox flumine, quam quod medicis subsidiis sistatur, sub vitae periculo instante, prorumpat. Sub hac rerum conditione ominosa, oportet hinc medicum utrumque auxilii ad genus sine mora confugere; ac princeps hîc curationis momentum in eo, ut scilicet vel uterus ad sui contractionem producatur, vel ut sanguis, ejusdem in cavum regurgitans, polypi in formam cogatur, consistit.

Uterum feminae, vix a partu liberatae, ultra vires dilatatum, in minus volumen redigunt, sanguinisque jacturam compescunt tam fasciae, laxo ac pendulo abdomini, sub debita cautela, circumdatae, — quam oris uterini moderata, obstetricantis per digitos, contrectatio, irritatio; ac frigidae, nivis, glaciei contusae, circa uteri regionem, ad genua, crura, genitalia externa, frequens applicatio. In vaginam, ac ipsum adeo in uterum, a partu apertum, sub maximo profluvio, frigidae, vel solius, vel cum aceto, sale martis, aluminis, vitrioli albi portione remistae, quin ipsius alcoholis, injectio, vel frusti glaciei levioris immissio,

lethalem alias cruosis profusionem coërcuit, ac uterum non minus, ut in se ipsum rediret, coëgit; quam sanguinis in eodem coagulum, quod cruento torrenti arginem opposuit, promovit. Interim vix certius est in summa rerum angustia *pessario* auxilium. Linteum scilicet contortum, et aceto, aut aluminis, vitrioli martis solutione impraegnatum, in vaginam non modo, ut hanc impleat, sed simul, si patet, in uterum, quousque penetraverit, intrudendum est. Fatemur quidem hoc a corpore peregrino, haud modo uterum irritari; novos, quasi ad partum, dolores excitari; ac illo citius extracto, pristinum profluvii periculum reverti: sed melius est, hîc anceps, quam nullum remedium experiri; novique circa uterum dolores non raro istius contractionem sollicitant, sanguinisque jacturae limites praescribunt. Caeterum, nisi aequo majus sit pessarium; sat diu, et donec sanguis in utero coiverit, hoc perferet mulier: quo facto, vel sponte, vel ope fili appensi, quin fluxus, ut pridem, renovetur, linteum secedit, vel sub debita cautela, lente extrahitur.

Quid de usu *fasciarum*, in summo haemorrhagiae adynamicae periculo, extremitatibus circumpositarum sentiamus, jam alibi (§. DLXXXVI.) declaravimus; ac ideo, licet haud pauci auxilii hoc genus antiqui, aut spernant, aut adeo pro noxio declarent; hoc etiam artis praesidium, in eo, de quo loquimur, uterino profluvio, adhiberi meretur.

Si viscerum obstructio sanguinem utero copiosius, quam ferat, advexerit, et chronicos cruoris hoc e viscere fluxus causaverit: in primam hanc morbi originem magis, quam in ipsum profluvium, convertenda est medici attentio; ac methodo solvente, quod justae sanguinis per sua vasa distributioni opponitur, obstaculum tollendum est.

Ubi polypus in utero latens haemorrhagiam excitaverit: sola est ejusdem ligatura, quae fluxum radicitus exstirpet.

Caetera profluvia, quae symptomatice ex uteris propullulant, pro indole morborum, a quibus generantur, diversa sibi, nec tamen hîc tradenda, subsidia exposcunt. Qua vero ratione mulier ex metrorrhagia convalescens pertractanda sit, id satis in doctrina de profluviis generali exposuimus.

DE CURANDIS
PROFLUVIIS
LIBRI V. PARS II.

CLASSIS QUINTA

PROFLUVIA

ORDO IV.

PROFLUVIA MISTA

GENUS I.

RUMINATIO.

§. DCLIII. *Transitio.*

Crescit sub manu scribentis amplissimum de profluviis argumentum, et quae de fluxibus *serosis*, *mucosis*, *cruentis* hucusque docuimus, haec illis, quae de *mistis* dicenda supersunt, locum praescriptum arriperent; nisi post ea, quae de nobilium fuga liquidorum praemissa sunt, breviores esse, ac doctrinam de materiae crudioris, nec penitus subactae, his vero ipsis commistae, jactura, contrahere liceret.

Haec scilicet materia, ex tubo longissimo, cui primum res ex regno animali, vegetabili tractas, propriique in corporis substantiam convertendas committimus, — vel istarum, vel suscipientis has canalis, — vel causae alterius ac remotae ex culpa, saepius, nunc ore, nunc ano, nunc utrasque simul per vias rejicitur; corpus necessario alimento privat, ac tempore eodem humoribus huic ipsi, lege sanitatis, aut morbi, affusis exhaurit. Quartum ideo haec abdominalibus potissime, quisquiliis commistorum liquidorum

jactura, profluviorum ordinem constituit: sub quo, primum, placidum ciborum, chymi, ex ventriculo per oesophagum in fauces ascensum, *ruminanti* animalium classi naturalem, in homine morbosum, — mox *vomitum*, — hoc absoluto, *choleram*, — post hanc vero *diarrhoeam*, ac tandem *dysenteriam* comprehendimus.

§. DCLIV. *Ruminatio.*

Qui cibos aequo copiosiores ingessit, ac multo simul hos in mero submersit; huic facile est, citra vomitum, vix assumpta, nec gustu mutata, cum ructibus per oesophagum explodi, ac in fauces ascendere. Similia et debilis ventriculi hominibus, aliquot a pastu horis frequenter, — ita ut ciborum subdulcem, vel subacidum jam saporem ad gulam percipiant, contingit. — Non vero de affectu tam communi ac levioris momenti hîc disserimus; sed de morbo (etsi hoc negatum fuerit) perraro, a veteribus haud descripto, ac nobis modo semel in praxi longaeva et ampla oblato, sermonem instituimus.

Ruminatio hîc dicitur, seu portionis ciborum unius post alteram, aliquam a pastu post moram, animalium modo ruminantium, praeviis sine nauseis, sputationibus, anxietate, et sine quovis ad vomitum nixu, ex ventriculo in fauces placida reductio, ac nova ejusdem, in multis, masticatio, deglutitio.

§. DCLV. *Symptomata.*

In proprio exemplo, vir senex, Papiensis provinciae pharmacopola, hypochondriasi quadraginta et quinque jam ab annis summopere affectus, a tanto vero tempore, cibos, quos assumpserat, absque nausea et vomituritione ulla, per oesophagum ad guttur elevare quotidie solebat. *Dulces* esse, interrogatus, aeger constanter negabat. Post pastum lautiorem, partem ciborum dimidiam potuit pro lubitu ruminare, ac altera quoque die singulorum saporem, ordine, quos pridie deglutierat, inverso, distinguere. Sub finem aegritudinis diuturnae, tabe jam consumptus, acidam potius ciborum eructatorum esse indolem referebat: ac dum ad anteriora truncum incurvaret; dolores ad

ventriculum acutissimos accusabat. Tumor vero ingens regionem ventriculo et umbilico intermediam, attactu perdurus, occupabat. Paucos post menses, mortem miserrimam subivit; et, ut nobis, cadaveris sectionem instituente a chirurgo relatum fuit, scirrhum pancreatis insignem exhibuit.

Sunt vero, qui cibos mox a pastu, vel paulo tardius, — sunt, qui subdulcem jam in chymum subactos, cum oblectatione, nec prorsus sine arbitrio, ad fauces remandent. Sunt, qui assumpta pridie fercula adhucdum semicruda, vel acidam in crambem conversa, cum aversione, per oesophagum sibi revertere, ac fauces, nunc quotidie, nunc saltem frequenter, inquinare persentiant. Nec tamen ad vomitum res pervenit; sed aegrotantium pars maxima, fugientes per oesophagum cibos denuo, ac alternis quasi vicibus, — donec aliquot post horas, morbosa haec alimentorum regurgitatio sedetur, easdem per vias ad stomachum praecipitat.

Plerumque magna sese his in aegrotis debilitas, ac turbae in abdominis visceribus non paucae, etsi vix tantae a primo aegritudinis initio, manifestant. Flatuum enim copia, ventriculi a cibis ingestis oppressio, lenta istorum subactio, ructus, borborygmi, et alvi obstructio vix non in omnibus occurrunt. Aeger, quem nos ipsi observavimus, a quo tempore ruminare inceperat, hypochondriasi, ut diximus, in summo gradu simul laboravit. Non in omnibus cibus, quem primum aeger assumpsit, ex ventriculo ultimus, aut vice versa, — sed in multis sine ordine, regurgitat. Sunt, qui fame, hoc sub morbo, insigni laborent; sunt, qui eodem sat diu, sine magno detrimento, affecti incedant; sed sub conspicuo ex causis aliis ventriculi labore, sub lenta, vel prorsus neglecta ciborum subactione, oportet universum corporis systema necessaria nutritione defraudari; nec mirum est quod sensim sensimque, sub tabe lenta et macie extrema, his aerumnis succumbat aegrotus. Ruminationem, cum alter hominem morbus corripuerit, cessare, ubique non verum est.

§. DCLVI. *Causae.*

Ruminationis, diversis animalibus ex lege naturae impositae, causas nobis offerunt et ventriculi plures in partes divisio ac mira constructio; et praeceps ciborum, sine dentium officio, ad stomachum transitio. Est nempe illis et *ingluvies*, seu *aqualiculus*, et *reticulum*, et *omasus*, seu *centipellio*, ac denique *abomasus*, seu *faliscus*: quae saccum, distinctas in partes divisum, ingentem, sive quadripartitum ventriculum, constituunt. Angustum ex primo et secundo in tertium ventriculum est iter. Potulenta interim hic recipit per sulcum ab oesophago venientem, nunc ut aquae ingluviei ac reticulo concedantur, apertum, — nunc vero, ut has solus suscipiat, clausum. Hinc a mole non minus, quam ab asperitate confracti parum cibi vegetabilis, stimulus ventriculis, primo nempe atque secundo, talis infertur: qui ad assumpta propius amplectenda ac ulterius protrudenda has partes invitet. Resistit ciborum nimis solidorum descensui reticulum; hinc per oesophagum ad fauces illi, donec satis comminuti, et cum saliva animalis satis misti, subacti sint, ter quaterve, aut quantum sufficit, ascendunt. Sunt alia, quae, simplici instructa ventriculo, ruminare dicuntur, nec tamen vere ruminant, animalia; ipseque homo, nisi morbo correptus, cibos haud eructat et regustat assumptos. Sed intricata est *morbosi* hujus ratio phaenomeni: nec enim, ut fabula quondam ferebat, aut cornigero ex patre origo, aut duplex ventriculus, aut carnosior oesophagi conditio, hîc adsunt; nec ea, quae chronicum saepe vomitum inducunt (§§. DCLXII. DCLXIV. DCLXIX.), nec major oesophagi, ventriculum adeuntis, laxitas, nec acida hoc in viscere latentia, etsi haec adesse simul queant, rariorem longe morbum ruminantium satis explicant.

Nostram de prima hujus morbi origine opinionem exposituri, praemittemus, nos credere: solitam hypochondriacis, flatus ventriculo contentos in fauces urgendi consuetudinem, ruminationis ab actu non aliter, quam *materiae ratione*, et quod gas sic explosum masticari ac ad stomachum reduci haud queat, dif-

ferre. Pars major illorum, non prius, quam media vel absoluta jam quodammodo ciborum subactione, in aëriformis materiae per oesophagum explosione per horas occupatur: quo tempore jam stomachum liquerunt potulenta, solidorum vero reliquiae ciborum, tenuem jam nimis in crambem, quam ut facilius ascendant, conversae sunt. Qui vero post cibos avidius devoratos, dentium officio haud satis comminutos, medioque in mero natantes, explodendis in ructubus se promptius exercent: hi, cum aëre, simul ingesta, vel nequidquam mutata, vel in dulcem modo chymum conversa, sine nausea regurgitant. Sunt multi, qui impurum adeo ex naribus mucum retrahant in fauces, — qui expulsam cum tussi imis ex bronchiis, qualemcunque denique, materiam, oris in cavo, horroris expertes, revolvant, et ad stomachum, ut sua remandent; hinc illius quoque sine sensu, quae primum ex ventriculo in gulam ascendunt, nec gustu eandem, nec mentem cum nausea offendunt, a quibusdam ad ventrem reduci non mirabimur; ac erunt, quos assumpti reditus ferculi gratioris primum delectet; qui non ingratum faucibus experimentum repetant frequentius, stomachumque inverso hoc in opere incauti, ad ipsam usque consuetudinem, cui demum resistere haud queunt, exerceant. Pars major certe illorum, quos ingestos ruminasse cibos compertum est, hypochondriasi ructubusque primum sat diu vexata fuit copiosis: ac plurimi ex illis, si demum redeunte a bolo nauseam percipiant; hanc tamen sub morbosi hujus operis initio vel minime senserunt. Nullum quidem in ventriculos arbitrio imperium est in sanis hominibus; sed est utique diaphragmati musculisque abdominis vicinis; vidimusque non paucos, perfecta licet sanitate caeterum gaudentes, qui flatus ex stomacho, quoties id lubuisset, cum impetu sonoros exploserint; nec est inde, cur magis his in rebus exercitatis, tum cibos tum potum ex pleno ventriculo in oesophagum pro arbitrio, quin nausea hoc jubeat, urgendi potestatem abnegemus. Haec nostra, jam pluribus ab annis in publicis praelectionibus exposita, opinio, recentioris industria auctoris, exemplo in se ipso capto, nuper confirmata fuit. Voracitas hinc, ali-

mentorumque vix concisorum contritorumque ad stomachum congestio, contracta jam dudum explodendis in ructubus consuetudo, tum denique minor primum a regerendis, quae ad gulam ascenderant, non ingratis gustui, cibis aversio potissimam ruminationis ad opus occasionem largiri videntur. Erunt utique et alia in multis ruminantibus, vel laesae digestionis, saburrae acidae, viscosae, flatulentiae, vel, ut nostro in aegro, et visceris adfecti alterius, symptomata (§. DCLV.); sed vel magis haec *cum* ruminatione, quam ut *causam* istius, subesse censenda sunt; vel ipsa ruminatio illorum adinstar malorum, alterius aegritudinis, rarissimum, symptoma constituit.

§. DCLVII. *Prognosis.*

Nisi morbi alterius, difficilis, symptoma sit ruminatio; in longum satis tempus eam sine magno vitae discrimine perferri, docet longior plerumque, foedi licet, morbi decursus, ut qui nostro in aegro, etsi scirrhus pancreatis subesset, quadraginta tamen per annos extensus fuit. Minor certe a sola ruminatione, quam a vomitu, debilitas, — quod sub illa, alimenti succique nutritii jactura sit nulla, exoritur. Nec etenim cibo, etsi hunc avidissime regerat, defraudatur ventriculus; sed redit is omnis sat prompte, longe melius subactus, ac salivae intimius commistus; nec aliud, si motum peristalticum per horas modo aliquas inversum excipias, foedae damnum consuetudinis esse potest: ut igitur maciem ac tabem, in quam tandem ruminantes incidisse referunt historiae, non tam ex illa, quam alio, eoque primario ex morbo latente, venisse credendum sit. Ruminationem ex patre in filium alia quam exempli, aut vitii alterius auctoritate transire, etsi plures id asserant, haud credimus.

§. DCLVIII. *Cura.*

Quem ab aliis modo corporis affectibus, vel a cibis avidius, sine dentium officio ingestis, et a perversa consuetudine derivandum esse credimus, morbum (§. DCLVII.); hunc, ni forte symptomaticum, nec propriam per methodum, nec alio, nisi constantis ciborum, regressum in fauces molientium, repressionis

consilio curandum esse credimus. Quod vero tam parca nobis hoc in morbo experientia non offert, — hoc aliorum non minus observatio, quam ipsa ratio suggerat oportet auxilium. Cibos modo parcos, eosque facile subigendos, ac longo satis dentium officio submissos, frequentius ingerat, parumque liquidi cum istis hauriat aegrotus; ructuum per oesophagum explosioni, quo magis potest, resistat; cibos vegetabiles parumque nutrientes, inprimis acidos, farinosos evitet; vino autem satis generoso, austero, nec tamen multo, horis a pastu jam aliquot elapsis, fruatur. Si quis alius ruminationi morbus, ut causa, subesse videatur; huic, si talia admittat, opportuna, alibique indicanda, opponenda sunt auxilia.

ORDO IV. GENUS II.

VOMITUS

---

§. DCLIX. *Vomitus extensio.*

Frequens de *Vomitu*, tum sub *febrium* doctrina, tum *inflammationum*, quae viscera partesque magis sensiles corripiunt, in historia, tum demum occasione *exanthematum*, injecta fuit mentio: et cum nullum, si *canem* excipias, sit animal, quod vomitum tam saepe tamque levi ex causa, quam *homo*, exerceat; non est qui morbosi hujus phaenomeni ignarus sit, vel nauseosum ipsemet experimentum hinc inde non fecerit.

§. DCLX. *Vomitus frequentia. — Nausea. — Vomendi conatus. — Vomitus. — Ructus.*

Vix enim utero concepit virgo foecunda ac vegeta, cum, seminis humani effectu in plurimas mulieres mirando, in vomitum, quatuor praegnationis per menses et ultra repetendum, prorumpat. Ipse, qui jejunus ex utero proficiscitur, foetus, haud raro vomit. Matris ab ubere pendens, nimioque lacte turgescens, stomachum ter quater in die exonerat, mox a vomitu subridens puerulus; nec frequens deest adultis, etsi sanis, vel a rei aspectu, memoria ingratae, vel in vectione in curru aut nave, vel ab inspecto praecipitii discrimine, vomendi occasio: ut igitur vix morbum saepe dicas vomitum; aut certe plerumque al-

terius hîc *symptoma* aegritudinis, vel ex universi systematis affectione, pro habitu ventriculi, et proprio huic visceri sub turbis generalibus agendi modo, vel ex solo cum partibus amicis *consensu*, oriundum, appellari mereatur.

Hunc igitur vomitum, si ab eo, qui in *febribus* (§§. LV. C.), in *gastritide* (§. CCXXXII.), ac in *haematemesi* (§. DCXI.) subintrat, recedas, non erat quod pluris hucusque, ac alia morborum symptomata faceremus. Est vero, cur et suum tandem *vomitui*, qui *primarium* chronicumque ventriculi morbum constituit, locum assignemus; ac ea, quae sparsim de *vomitu* in genere sunt dicta, et quae de eo dicenda supersunt, hîc in unum contrahamus.

Antequam vero, quid sit vomitus, dicamus; ejusdem de comite, seu duce perpetuo, *nausea* nempe, *vomendique conatu*, verba faciamus oportet.

Est ea scilicet ingrata et anxia circa stomachum perceptio, cum horrore a cibis, salivae in oris cavum affluxu adaucto, sputatione frequente, ac inani ventriculum superiora versus evacuandi desiderio.

Quod si, crescente sub nausea, tum ventriculus, tum ipsum diaphragma musculique abdominis hoc ipsum evacuationis ad opus sese componant; nec tamen istud perficiant: *vomendi conatum*, a nausea modo gradu majore distinctum, vocamus.

Eorum vero, quae ventriculo, tum solida, tum fluida, aëre densiora, per oesophagum ingesta, — aut (ex intestinis, visceribus, vasisque annexis retrograda) per pylorum restituta, commissa, — aut illinc secreta, effusa fuerunt, — ingrata, subita, violenta per fauces, vel et nares expulsio, *vomitus* vocatur.

Nec enim *ructus*, seu aëris, aut similis huic materiae subtilis, sonora per os explosio, etsi haec vomitum plerumque praecedat, comitetur, pro ista habenda est; nec descripta (§. DCLIV.) *ruminatio*, cui desunt et nausea, et anxietas, et impetus, huc spectant. Nec ad vomitum revocabimus reditum ciborum potusve ex solo oesophago, nunc spasmodice constricto, nunc aliis a causis occluso: quem morbum, etsi assumpta hoc e canali hinc inde cum impetu prosiliant, *dysphagiae* potius sub nomine, alibi describendum, reservamus.

§. DCLXI. *Differentiae.*

Varias autem vomitus, ut partim jam dictum est, differentias, causarum ex ratione (§. DCLXIII.) petendas, agnoscit. Nunc etenim passu celeri, *acutus*, nunc lento, *chronicus*, incedit; nunc ventriculi, contentorum e culpa, *primarius*, *idiopathicus*, *localis*, — nunc alterius lege morbi, *symptomaticus*, vel ex solo *consensu*, proficiscitur; in hoc, sine ordine, *anomalus*, — in illo, dato tempore, *periodicus*, *habitualis*, revertitur, vel et per *artem* movetur. In aegri salutem subinde vomitus absolvitur, quem *criticum* vocarunt. Si materiae a ventriculo expulsae ratione vomitus divisio petatur; multiplex is erit: utpote serosus, pituitosus, saburralis, biliosus, verminosus, faeculentus (ileum vocarunt), cruentus, insipidus, acidus, austerus, amarus, putridus, etc.

§. DCLXII. *Symptomata generalia. — Prodroma. — S. vomitus ipsius. — Vomitus acutus. — Vomitus chronicus.*

Ex dictis (§. DCLX.) quae vomitum praecedant, comitentur, symptomata, jam sponte patescit; interim pro gradu illius et vehementia, causarum (§. DCLXIII.) pro indole, diversis, haec differunt, ac alia aliaque succrescunt.

Vomitum *futurum* annunciant, sensus in ore, faucibus, imo stomacho et ventriculo molestus, nausea continuo adaucta, ardor, oppressio in regione epigastrii, exspuitio frequens, pallor faciei, horror aliquando et oscitatio, inferioris tremor labii, singultus, tussis, ructus, anxietas, alvi obstructio. Instantem praedicunt, vomendi conatus irriti, sub quibus aliqua ventriculi commotio versus superiora sentitur; contrahuntur, mox iterum laxantur, iterumque tenduntur musculi abdominis, hypochondria: spiritus retinetur, ac inferiora versus diaphragma deprimitur; angetur anxietas, sudores ad frontem cutemque universam viscidi, subfrigidi propullulant; lacrymantur oculi, naresque stillant; rubet nunc facies tumetque, tussis augetur.

Tandem non sine sensu violentae convulsionis ipsum ad ventriculum, sub artuum tremore, jactatione, sub

ventris tanta constrictione, ut ipsa interdum intestina eundem deserere, ac herniam formare cogantur, largo hic flumine res, quas amplectitur, per oris, nec raro narium per cava simul, sub longa et sonora exspiratione, cum impetu expellit: primum, pleno nisi stomacho, fere insipida, serosa, pituitosa; posthinc et in filos ductilia; nunc, qualia ex reliquiis ciborum forte continet: mox, novo celeriter in pectus ducto aëre, novoque visceris impulsu, subflava, amara; ac tandem profunde viridia, amarissima. Succedit his quies, et magni levaminis gratissima sensatio. Post brevem interim moram, nisi causa malorum jam rejecta, cessante, sub iisdem fere symptomatis, redit vomendi conatus, priore intensior, majoremque praecordiis inferens angustiam. In vanum aliquoties inanis concutitur emulgeturque ventriculus; donec hepar cum fellis receptaculo, intestinum duodenum, diaphragmatis fornicisque abdominalis inter praela, angustius in spatium compressa, partem, quos continent, succorum, motu inverso, ventriculo, singulorum impatienti, transmittant. Haec ita esse, ostendit major faucibus rejectae, quam quae ventriculo contineri omnis potuisset, copia indolesque materiae; ostendit sanguinis faecumque ipsarum, et clysterum, sub *ileo* (§. CCXL.) miseranda per gulam expulsio.

Atque haec fere vomitum graviorem comitantur symptomata, leviora certe tenellis in pueris (§. DCLIX.), in gravidis non paucis, et in illis, qui, largas post epulas, cibos potusque vel avide nimis, vel copiosius ingestos, more canum, e ventriculo rejiciunt. Pro vario tamen vomitus decursu, aut celeri aut lento, periodico, aut pro causae vel in ipso ventriculo, vel alibi haerentis ratione, differunt illius symptomata.

Sic in *gastritide* (§. CCXXXII.), vel blandissimis a liquidis inflammato ventriculo commissis, sub extremi sensu ardoris, doloris, hic illico ad vomitum convellitur. In *cholera* (§. DCLXXII.), a veneno, aut drastico remedio ingestis, diu, quin cibus aut potus suscepti stomachum, intestina, ad motus, quos produnt, violentos sollicitent, continua fere per oesophagum et anum, humorum propriorum excretio est. A cibis potuque magna copia ingestis, non multas a

pastu post horas, fibrae ventriculi nimium extensae, in spasmodicas contractiones rapiuntur, ac pondus inutile per vomitum excutiunt.

Aliter in *chronico*, *periodico* peragitur res *vomitu*. Hîc etenim cibos ventriculus non ubique recusat; sed exigit interdum, ac per horas illinc gratus amplectitur; hîc vero per dies, aut per menses illaesus suscipit: ut tandem quod superest ex illis, dato tempore impatiens excutiat. Has igitur vomitus diuturni ac rebellis species praecipuas succinctius hîc exponi juvabit.

§. DCLXIII. *Vomitus helluonum*, *s. pyrosis.*

Nunc scilicet ob victus, pridie, inprimis ad noctem, assumpti, vel copia, vel indole peccantis, — cibi nempe vel pinguis, rancidi, vel crudi, tenacis, vegetabilis, acidi, aut potus fermentationi obnoxii, cerevisiae, vini rationem; altera mox die, ad horas matutinas, circa stomachi regionem constrictio ingrata, copiosae exspuitio salivae, densioris pituitae screatio continua, sapor oris perversus, et ructus, et nausea, majorque in praecordiis ardor et angustia accedunt. Sequitur haec tandem aut aquae clarioris ac fere crystallinae, plerumque insipidae, acidae nonnunquam, vel et amarae, sub conatu a vomitu diverso, per oesophagum ex faucibus, unam alteramve ad unciam, vel et longe ultra, adinstar rivuli, ascensus; aut pituitae tenacis, glutinosae, albescentis, subpellucidae, insipidae, interdum amarae, ex acido austerae, ciborum cum reliquiis hinc inde commistae, per oesophagum eructatio, aut vomitus. Sunt alii, hypochondriaci inprimis vitamque desidem ducentes homines, qui, licet a *pingui* alimento abstinuerint, post aliquot tamen dierum spatium, nauseam, periodice, cum liquoris insipidi, mucosi, interdum etiam acerbi, vel amaricantis modico patiantur; vel *pinguedinem* haud exiguam super pavimento adinstar *sebi*, late satis, nunc dimidii calami scriptorii, nunc aliquot fere pollicum diametro concrescentem, mollem ac ductilem ab initio, sed mox ab aëris attactu duriorem, ignem sat prompte concipientem, et ad eum, liquescentem, e stomacho rejiciant. Infantes, pueri non raro ob voracitatem, ob lactis, vel pultis, ex eo farinaque paratae, ob fructuum horaco-

rum, acidorum abusum, a ventriculi oppressione, tumore, ardore, dolore colicisque adfectibus corripiuntur, convelluntur interdum; donec plenum oesophago stomachum exonerent, aut pituitam acidissimam per vomitum excutiant. Ab his, grata aegroto quies, levitasque oppressi prius ventriculi conceditur; sed pristina diaetae in vitia reverso, per vices eadem, matutinas circa horas, labescentis ventriculi incommoda succedunt: ciborum desiderium languescit, deletur; majorumque congeries malorum exstruitur.

§. DCLXIV. *Vomitus a coarctatione ventriculi, — pylori, — intestinorum. — Volvulus.*

Quod si nempe vomitus, aut his causis longo tempore agentibus, aut rebus, quae partes corporis molles indurant, et callum aut scirrhum in eisdem producunt (§§. CXXVI. CXXIX.), praemissis, — aut demum illis, quae stomachum, intestina comprimere queunt, praesentibus, certas fere ad horas a cibis assumptis revertitur; ad ipsum tunc ventriculum, circa pylori angustias plerumque, — interdum ad ipsas hujus sacci membranas, vel ad intestinorum, aut visceris, partis alterius, ventriculo vicinae, substantiam, causa vomitus haerebit. Assumptorum scilicet omnium vomitus impeditam ventriculi intestinorumque dilatationem consequitur: sive ipsa dilatare se non patiantur; sive opposita sint eorum dilatationi obstacula.

Nunc etenim ipsius *membranae* ventriculi, vel modo hinc inde, vel in totum, duriores, crassiores et chartae pergamenae aequales redduntur, ac vix non cartilaginis aemulantur duritiem; aut varii, has ipsas inter membranas, *tumores* glandulosi, scirrhosi, cystici, aliique protuberant; ac non modo partem cavi, stomacho concessi, suam per molem, adimplent, locumque cibis necessarium praecludunt, superficiem ejusdem, prius levem ac planam, tuberosam efficiunt et asperam; sed simul totius figuram distrahunt, contorquent, positionem invertunt, aequali hujus sacci extensioni, ac humorum per sua vasa distributioni resistunt, et pondus hujus visceris adaugent.

Nunc vero, ac fere frequentius, eadem substantiae ventriculi vitia circa *pylorum* oriuntur, et arctam jam

viam angustiorem longe reddunt; vel, quod ita pridem conspeximus, ac in Museo pathologico *Viennensi* conservavimus, ut nec aërem quidem, ne chymum dicamus, transmittat, penitus occludunt. Hoc idem efficitur a rebus, quae subigi solvique per vires animales haud possunt, ventriculo commissis, et suam ob molem, figuram, ad pylori angustias defixis: ut prunorum a nucleis, ab ossibus, a nummis, aliisque hujus indolis a corporibus incaute devoratis.

Nunc ipsa *intestinorum in substantia*, vel eorum in *cavo*, nascuntur similia praedictis obstacula. In illa nempe, primum, tot glandulae, folliculi mucosi, quae ex causis diversissimis apud multos turgere, ac in duros, nec raro conspicuos tumores elevari cernuntur. Tantus quoque vasorum omnis generis, tantusque nervorum acutissime sentientium numerus hîc est, ut his in locis, tot causis irritantibus continuo expositis, frequentior sit, quam alibi, inaequalis, spasmodica contractio, violenta extensio, vasorum compressio, impeditus humorum circulus, canalium repletio, infarctus, ac humorum, vel in istis stagnantium, vel in contextum cellulosum, membranis interpositum, effusorum, solidam in massam conversio, polyposa concretio. Ipsum adeo *emphysema*, ab aëriformi materia, cellulosam intestini telam ingressa, hîc natum esse, sectiones docuerunt. Atqui jam solis his a causis *cavo* intestinorum partem sui luminis non exiguam saepe detrahi oportet; nec rarum est, intestina, tam tenuia quam crassa potissimum, vel uno, vel pluribus in locis, plures adeo longitudinis ad pollices, tenuem in diametrum *contracta*, dura, et vix non callosa, alimentis lento fluxu hunc ad locum adpellentibus pertinaciter resistere, ac parte fluidiore transmissa, faeces densiores, ampliore indies, super loco obstructo, in sacco retinere, colligere, ac propriae corruptioni diutius committere. Nec certe desunt corporum duriorum, nucleorum, nummorum, ossium, concretionum terrearum, calculorum, vermium, amplos in glomeres contortorum, copiosa exempla.

Sed ipsa sibi obicem intestina hinc inde ponunt, dum pars una illorum sat conspicua, in alteram, ampliorem, pertinacius subintrat: *volvulum* dixerunt. Nunc

vero pars intestini superior, inferiorem, — nunc haec, illam, pro vagina sibi eligit, ac ibidem absconditur. Atqui frequentius hoc ipsum, vel pluribus adeo intestinorum in locis simul, — quin morbum ideo mox inferat, contingit; ac saepius a morte, quin ullum id symptoma in vita hominis, ex alio longe morbo defuncti, docuisset, detegitur unus alterve *volvulus*. Quod si vero sedem suam intestinum per causas morbosas *constantius* in alio intestino defixerit, ibique inflammatum, aliumque in modum ultro quam ut facile reverti queat, intumescat: eadem tunc, quam ab alio quocunque obstaculo, ciborum intestinalem per tubum progressui opposito, symptomata, ac vomitus rebellis, faecalis interdum materiae, quem *Ileum* (§. CCXL.) abhinc, et *volvulum* (incertae nimis rei synonimo saepius haud satis aequo) dixerunt, sequetur. Si pars major intestini in aliud intraverit, quod adeo de *ileo* intestino per valvulam coli, ad pedis longitudinem, suscepto, observatione compertum habetur; sequitur illam annexum ei mesenterium, mesocolon; nec desunt (rara etsi, ac facile non satis tuta, sed ex *pseudomembrana*, formam intestini ac habitum sumente, explicanda) portionis veri intestini, intus scilicet susceptae, et per gangraenam a parte sana separatae, per alvum excretae exempla.

§. DCLXV. *Vomitus per compressionem. — A cartilagine mucronata. — A fractura sterni, costarum. — A tumore viscerum. — Ab aneurysmate. — A tuberculis pulmonum. — A pancreatis scirrho. — A mesenterii tumore.*

Saepe vero non ipsam ventriculi intestinorumque ad substantiam aut cava, — sed ad viscera vicina partesque contiguas, haeret causa, quae stomachum, intestina, coarctet vomitumque inducat.

Ac primo quidem, *cartilaginis mucronatae*, ensiformis, aut fractae, aut luxatae, ad ventriculum conversio, inflexio huc spectat. Rarior quidem, ac vulgus contendit, vomitus haec causa, — sed et a nobis in sterno *sutoris*, in museo pathologico *Vindobonensi*, conservato, conspecta est. Hanc morbi causam, eodem fere cum successu, imitant virgines, mulieres, quae

propria cum thoracibus angustis hypochondria arctius in spatium cogunt, ac ligneis vel ex costa balaenae paratis cum clamydibus, trabeculis, ventriculum, extendi plenus ne possit, stulte coërcent.

Nec minus *sterni*, *costarum fractura* ultimarum huc pertinet, quarum fines asperos et acutos, pulmoni sinistro profunde deorsum infixos, ac sua vel compressione, vel excitato illinc consensu, vomitum lethalem in viro bajulo excitasse, *Ticini* conspeximus.

Alias vero ex liene, hepate, pancreate, glandulis mesenterii, mesocoli affectis, et ex illorum tumore, scirrho, steatomate, calculis, compressio ventriculi intestinorumque proficiscitur, ac vomitus. Feminam in clinicum, quod *Ticini* est, Institutum suscepimus. Huic plures ante annos, tumor ex sinistro hypochondrio surrexerat, per epigastricam regionem, dein per omne abdomen, ad pelvim usque, extensus, durus atque convexus. Quoties vero menstrua instabat excretio; tumor ventris insignem in modum augeri, vomitusque per dies quatuor, vel quinque, copiosus excitari solebant. Ad nos delatam, quin menstrua hoc tempore instarent, continuus, per multas jam dies, vomitus vexaverat. Hujus causam vomitus lienis solius in vitium ponentibus, pauci quidem, — ex eo, quod omne abdomen aequali, nec ullibi circumscripto tumore promineret, vomitusque pridem periodice redire consueverit, consensum nobis ex integro praebuisse videbantur: mors interim prompta exhaustae jam feminae, hanc nimis confirmavit diagnosin; ac vix dissectis abdominis integumentis, *lienem* nobis illico, ampli in modum scuti, intestinis ac ventriculo, arctum in spatium compressi, incumbentem, crudae fere carnis molem referentem, et ex pelvi, ad quam cunei adinstar impactus haesit, non sine labore trahendum, exhibuit, — sexdecim librarum ponderi aequalem. Ventriculus pylorusque ab omni labe conspecti sunt immunes.

Alia, quinquaginta jam annorum femina, optimaque fruens hucusque valetudine, a magno frigore mediam per horam corripitur. Mox ab isto, succedit vomitus biliosae indolis, diebus sequentibus, quin frigus redivisset, non diu a cibo potuque ingestis, revertens. Rejectae per vomitum materiae, ex bile cum cibis as-

sumptis remista, constare videbantur. Alvus obstructa est, aut omni sexta, octava die faeces caprinas, foetidissimas, deponit. In dextro hypochondrio dolorem aegra manifestat. Hoc rerum in statu, septem per dies versatur infelix, et animi moerore quamplurimum oppressa, vidua. Cessavit, vero tunc vomitus, sanitasque, — anorexiam aliquemque in dextro hypochondrio dolorem si excipiam, videbatur restituta. Cum vero duodecim post dies, ob lites, vicinos inter parentes exortas, quamplurimum terrefacta fuisset mulier; illico materiam ex bile atque pituita constantem, ad pondus duarum fere librarum, ter vomuit. Cessante vomitu, accessit sudor viscidus, subfrigidus ad faciem et jugulum: ab eo tempore, vomitus, quoties aut ederet, aut biberet, reversus est. Ad nosocomium nunc delata, exhibuit pulsum frequentem, subdurum, intermittentem; faciem quidquam rubram, capitis aliquem dolorem, os amarum, et linguam muco flavo obductam. Insignis aegram dolor in dextro hypochondrio divexat: quo in loco, magna, et ad tres circiter pollices ultra costarum spuriarum limbum extensa durities distinguitur. Abdomen quidquam tensum, alvus a sex jam diebus clausa, urina parca, rubra, doloris cum sensu excreta. Facilius in dorsum, quam in latera decumbit aegra, tristis et anxia. Eadem alteram in diem continuant symptomata. Die vero sequente, res vomitu ejectae acidum spirabant odorem. Sic dies circiter quinque in nosocomio transegerat; cum, sub aucto hypochondrii dolore ac alvo obstructa, sub vomitu urgente exspiraret. Sub cadaveris sectione, comparuit ventriculus magnopere extensus, ac tam amplus, ut vix duobus ab osso pubis pollicibus distaret. Ex aperto ventriculo fluxerunt sex fere librae aquae nigricantis multumque aëriformis materiae explosum fuit, utriusque foetentis. Ascarides lumbricoides quinque, eosque mortuos, continuit ventriculus. Pylorus naturali quidem praeditus conditione; ast multa ibi erat coarctatio parumque compressio. Hepar exterius molle ac sanum; cystis fellea bile fere vacua. Una nunc sectione uterque hepatis lobus dividebatur. Sub illa vero, culter in corpus durum impegit; et per vulnus hoc inductum, *calculus*, quem *Ticinensi* museo pathologico commissi-

mus, exivit, — figurae triangularis, ex albo flavescens, laevissimus, et ignem facile concipiens. In tumore hic calculus haeserat cystico, materia simul *sebacea* repleto, partem pylori externam inter et magnam hepatis scissuram, qua uterque jecinoris lobus dividitur, haerente. Tumor hic, in cujus medio sedebat calculus, ovi gallinacei superabat magnitudinem, et exiguos hinc inde conceperat abscessus. Omentum parvum, inflammatione correptum. Tenuium intestinorum superficies aliqua a phlogosi obsessa. Intestina crassa, multum contracta, faeces in globulos compactas continebat. Colon transversum, a pondere aquarum in ventriculo haerentium, umbilicalem ad regionem depressum. Levis ad urethrae orificium externum inflammatio. Frequentius certe, sub tantis sectionibus, ad lobulum *Spigelii*, quam alibi ad hepar, steatomata sat insignia et abscessus impuros deteximus: qui tumores, cum ventriculi curvatura minore, vel cum pylori viciniis concreti, non possunt quin cavum stomachi coarctent, ac saepius ad vomitus, — interdum, subministrata ipso ex hepate materia, purulentos, hoc viscus impellebant. Ipso in foetu, tam ob ventriculi figuram subrotundam, quam ob majorem, hac sub hominis aetate, hepatis lobum sinistrum, ventriculo late superimpositum, tam frequens et facilis est vomitus.

Nec ut tam contiguus sit ventriculo tumor comprimens vomitumque inducens, requiritur: sed ipso adeo thoracis in cavo, quod de costarum sternique fractura jam supra innuimus, interdum causa, quae ventriculum, diaphragma uno in puncto inferiora versus urgendo, compressit, est visa, *cordis* eo in loco, quo septo intermedio incumbit, in osseam substantiam conversi exemplo; quod stomachum in vomitus rapuisse, vir clarus conspexit. In *phthisi* ex ulceribus pulmonum frequenter, sub fine morbi lethalis, vomitus, — quos quidem visceris consensus utriusque bene explicat, contingunt: quod si vero *tubercula*, pulmonum lobos inferiores diaphragmati concretos dura satisque elevata occupaverint; non est, cur ex consensu magis, quam ex mechanica ventriculi compressione, irritatione, hos vomitus derivemus. Vir medicae in artis incrementum natus, sed fato huic et nobis iniquo, Vindobonae,

non multos ante annos, in flore aetatis, crudeli ereptus a tabe, feroci a tusse jam unum per lustrum, — ultimosque vitae per menses pertinaci, ac vix non in dies redeunte a vomitu simul vexatus, proprii ventriculi aut pylori de scirrho, vel callo, steatomate, vix dubium alebat: interim nec minimum hoc in viscere vitium, — pulmones vero *tuberculis*, pro parte suppuratis, undique obsessos deteximus. Pulmonum hinc ad lobos inferiores tubercula, scirrhus, inflammatio conspicua, cordis aneurysmata majora, — abscessus, steatomata mediastino reclusa, — humores serosi, purulenti, sanguinei, thoracis in cavo magna copia collecti, ad causas vomitus, quam compressio inducit, chronici, non raro pertinebunt. Quam insignem *herniae* diversae, compressis, strangulatis, quae loco suo egressa sunt, intestinis, vomitum inducant; cuivis ex chirurgicis est notum: nec minor compressionis in intestinum per vulnus abdominis prolapsum est actio.

Sed et *pancreatis* non raro vitium, ut causam chronici vomitus manifestam sese prodidit. Est quidem, ubi conspicuum haec pars in scirrhum mutata, vomitum tamen nequaquam induxerit; sed aliorum tam felix non erit aegrorum conditio. Nunc enim scirrhosi tumor pancreatis, ipsum, aut duritie, aut asperitate sua, ventriculum irritabit; aut suam per molem, ne satis dilatari hic saccus queat, impediet; nunc vero duodenum, eundem in modum lacesset premetque intestinum; nunc humor salivali hoc abdominis in fonte corrupto secretus, acrimonia peccabit; nunc sua forsitan inertia, paucitate, — quod suscepta in canibus docuit excisio pancreatis, ne chymus huc allidens sat cito diluatur, subigatur, aut ne bilis cysticae, a pleno ventriculo expressae, corrigatur acredo, inhibebit; nunc, inducta per pancreatis tumorem insignem venae splenicae vicinae compressione, sanguis circa ventriculum collectus, adempta hujus partis sensibilitate, eundem ad vomitum, interdum cruentum (§. DCXII.), urgebit.

Steatoma, tumor de inflammatione participans, purulentus, cysticus, scrophulosus, scirrhosus, carcinoma glandularum mesenterii, aut hydrops ejusdem, nec non partis cujuscunque contiguae vitia similia,

huc pertinent: ut a quibus, compresso intestini aut tenuis aut crassi canali, pertinax non raro, ac periodicus fere, vomitus inducitur; ac descripta jam partim alibi (§§. CCXVII. CCXX.) oriuntur symptomata.

Prout vero vicinus a cardia, ventriculi (angustioris illinc magisque contracti) vel callus, vel tumor scirrhosus, vel aliud obstaculum delitescit; eo citius a pastu, — nunc tribus, nunc septem, nunc pluribus ab eo horis, continuo augentur angustiae, nec non diversa materiae per vomitum rejectae est facies. Saepius nempe, sed certe non ubique, — nec pylori solius, sed et pancreatis sub scirrho, carcinomate, vel ulcere impuro, *fusci*, obscuri haec coloris est, et foetet; tractu temporis, sub ingenti ructuum copia, nec raro sub continuo singultu, — vel, si profundius intestinorum in tubo obstaculum haeserit, sub continuis borborygmis, ventris sonora sub intumescentia, non raro inaequali, alvoque pertinaciter in plurimis obstructa, acidissima expellitur. Si quando vomitus consuetum ad tempus non redeat: sub majore tunc molestia plerumque, sub stomachi inflatione manifesta, sub ardore, dolore ventriculi adauctis, majorem simul ad copiam paulo tardius revertitur. Mirum est, quod, quae tam *lente* in plurimis nascuntur circa pylorum, aut stomachum, vel ad ipsa intestina obstacula, tumores, steatomata, vel scirrhi, saepius per annos sine turbis praemagnis, si ructus, flatus, oppressionem ventriculi, deletumque per tempus ciborum desiderium, excipias, delitescant: donec, accedente inprimis terrore, aut animi moestitia, aut ira gravioribus, — aut emetico, vel drastico remedio, ob fallacem signorum gastricorum cohortem, porrecto, aut novas ob crapulas, — non facile sine sensu horroris, caloris levioris, ingesta per vomitum reddantur, commista bili, pituitae, alimenta potusque. Ab hoc fere tempore, concessis interdum dierum, hebdomadum quarundam induciis, praeviis copiosis exspuitionibus, vomitus redit alter iterumque redit; oppressio ventriculi augetur; nec rarum est videri tunc aegroto, aliud in latus converso, pondus aliquod, hoc idem in latus, altiore e loco revolvi ac descendere: quem duri corporis motum interdum vel ipsos medici per digitos licebit

distingui. Sunt, quibus dolor et tensio epigastrii, hypochondrii, converso in anteriora trunco, moderentur; alios, alia, brevi tamen solatio, sublevabit corporis positio. Adolescente jam morbo, sub macie corporis extrema, sub pulsu nunc frequente, nunc satis naturali, etsi longe debiliore, aquarum colluvies in ventris cavo subnascitur, fluctuatio manifesta percipitur. Frequentior nunc, et absoluto, quem amplius vix appetunt, a pastu, ingruit mox vomitus; debilitas, moestitia, pallor faciei augentur; lipothymiae hinc inde accedunt, dolores circa stomachum, hypochondria, vel ipsum ad ventrem, sub magna istius tensione, ardentes insurgunt; singultus sub auctis doloribus frequentior fit; ac tandem sub vomitu enormi, vel sub maximo ad istum conatu, tantorum pertaesa malorum efflatur anima.

§. DCLXVI. *Vomitus ab atonia extensi ventriculi. — Vomitus a sensibilitate morbosa. — Vomitus a suppresso profluvio. — Vomitus ab ulcere, etc. ventriculi. — Vomitus a podagra. — Vomitus a scorbuto. — Vomitus a graviditate. — Vomitus parturientium.*

Sed quemadmodum ipsis sub mali horrendi primordiis, haud raro ejusdem natura non agnoscitur; ita varia, quae morbum exasperant, spirituosorum, emeticorum, purgantium e classe, porriguntur, remedia. Sic et vomitu jam certas a pastu post horas redeunte, non minus incerta saepe morbi formatur diagnosis. Tumoris scilicet duri tensique circa regionem epigastrii in vita praesentis, ab attactu dolentis, — sed a morte, praeter distensum ab aëre ventriculum nil reperti, loquuntur exempla. Ipse nempe ventriculus, vel ob pylori angustiam, vel propriae ratione inertiae, *atoniae*, ad immensam haud raro amplitudinem, ac in trem, ipsi fere ventris cavo aequalem, distenditur, vaporum flatuumque a copia repletur, varios in sensus distrahitur, ad umbilici, pelvisque adeo in regionem descendit, et alterius longe visceris scenam ludere consuevit. Vel ipsam post mortem, ventriculum perampllum, oesophago per filum prius circumdato, tam arcte per tumorem ad pylorum residentem occlusum

deteximus; ut aër copiosus, qui tantam hoc viscus in molem repleverat, nec sponte exire, nec exprimi per artem potuerit. Sed et pyloro nequaquam scirrhoso, calloso, etsi debili laxove ventriculo ad sui contractionem violentam haud tanta esse videatur potentia; sequitur tamen ac multoties revertitur vomitus a cibi corrupti, ac visceris extensi a stimulo, ut videtur, diaphragmati musculisque abdominis illato, et debilioris vim stomachi supplente. Exemplum quidem viri exstat, qui, ob summam ventriculi capacitatem in cadavere ejusdem repertam, cum viveret, a fortioribus etiam emeticis assumptis, vomere non potuit; sed non semper cum stomachi extensione vel maxima, vomendi potestate hoc viscus spoliari, exemplo feminae, a nobis supra (§. DCLXV.) allato, confirmavimus, et altero, mox infra adducendo, ostendemus.

Ambigua satis ac difficilis est causae, quae hunc vomitum inducat, indagatio. Facilius quidem, egregio non ita pridem monente Viro, quam si callus, aut scirrhus latuerit, hic vomitus — ac uno quasi cum impetu absolvitur; nec doloris aut ponderis sensus regionem epigastricam circumdat; ructus flatusque foetidi frequenter, quin vomitus sequatur, vel et antequam hic succedat, prorumpunt; sensus plenitudinis, repletionis in stomacho, evacuari conantis, percipitur; tumescit, subrotundus in medio mollisque venter, compressaque regione umbilico pubique intermedia, aut ructus, aut contenti pars liquidi per oesophagum assurgit; senescentes jam, voraces bibulosque magis homines, quos, pallido sub vultu, debilis jam pridem ciborum vexaverat subactio; qui majores in istis potuque stimulos, ut famis, quam saepe manifestant, sensum sibi excitent, sollicite quaerunt, hoc malum divexat: ut qui ferculis copiose, ac plures interdum ante dies ingestis, ad stomachum torquentur, et copiosos eosque liquidos, serosos, vix tamen foetidos, interdum acidos, patiuntur vomitus, qui fuscum haud facile, sed cinereum vasis ad parietes sedimentum deponant.

Est sane aliqua his signis, sed vix tanta, quae errorem excludat, auctoritas. Ipse nempe ventriculus tantam in amplitudinem extensus, ut simul profundius

in abdomen descendat, oportet. Hoc vero sub statu, distracto nimis in longum oesophago, angustior hic redditur, nec surgentem ex imo quasi ventre crambem tam facile regurgitat. Quod si tamen vorace bibuloque in homine, debili jam pridem subactionis ciborum sub opere, sub alvo largas pluresque post epulas per dies clausa, sub abdomine ex imo subrotundum in utrem turgente, sub minore epigastricae regionis tensione, augustia, dyspnoea, — sub flatuum ex medio quasi abdomine ad oesophagum adscendentium sensu, vomitus longiore a pastu mora sequatur abundans, ventrisque tumor imi sub illo dispareat; — aut si compresso a manu, jam nimis repleto, abdomine, et flatus et contentorum pars liquidior facilius per oesophagum repullulent; licebit tunc, — etsi stomachum utroque vitio, nimia scilicet amplitudine et callo simul posse laborare, nemo, tunc satis certus, negaverit; de inerte ac extenso nimis ventriculo, ut causa vomitus praecipua, cogitare. Frequentem, etsi vix periodicum, vomitum vir excelsa sede natus, gulae vitiis nimis deditus, a longo jam tempore patiebatur. Ructus hic praeterea tam male olentes, ut plurium atmosphaeram cubiculorum, latrinae instar, inquinarent, explodere consuevit. Circa pylorum, *scirrhum*, — sed, ob dictum foetorem, et *ulcus* latere, suspicio nobis, ad consilium vocatis, nascebatur. Post mortem, ille quidem detectus, sed ulcus repertum non fuit. Ventriculus vero non modo ad ossa pubis usque extensus, sed prope cardiam quoque in alium quasi saccum, in quo cibi, huc delati, in propriam corruptionem abire, doloresque excitare. ac faetorem illum infestum, per ructus, spargere solebant, dilatatus repertus est.

Atqui nec major quidem languidioris extensio ventriculi requiritur, ut vomitum hic plures in annos frequentissimum, ac demum aegroto funestum, rebellis exerceat. *Vindobonensem* ad virum triginta quatuor annorum vocati sumus. Hic aliquot a mensibus, sub macie continuo adaucta, ac sub febris, quam *hecticam* appellant, symptomatis, singula quae ingerit, post horas aliquot a pastu, nunc ad noctem, matutinum nunc ad tempus, ventriculo expellit. Vigesies tandem et ul-

tra vomitus, vel unica in die, et vix assumptis vel cibo, vel potu, illico, vel et sponte, exoritur. Atqui nec tumor epigastrii, nec tensio detegitur; sed multis abhinc annis vertigine et capitis dolore laborare, dein ad horas matutinas non ad alias, ingesta vix quidquam mutata, vel chymi sub specie, evomere solebat. Venam homini, et tandem a morbo, et a veneris, quibus nimium indulsit, illecebris debilissimo, frequentissime adaperiunt, hirudines ad aures, et, — quod fluxum haemorrhoidum interdum sit passus, ad anum, ponunt. Augetur debilitas, frequentior fit vomitus: sub quo, bilem viridissimam expelli videntes, alvum-ducentia quamplurima praescribunt, ac aegrotum, in statum de quo diximus, conjiciunt. Sub tantis aerumnis, decoctum ex chinae cortice cum aqua cinnamomi et tinctura anodyna praescribimus incassum. Vir clarus et expertus, simul in consilium vocatur; sed mortem in vicinia esse, ex continuo singultu, ex animi deliquio, et ex pulsuum conditione, ambo intelligimus. Eadem vero secuta, cum vitium, ut vocant, organicum circa stomachum, aut pylorum, sollicite quaesiverimus; nec istud quidem, nec aliud, si totum vasorum systema sanguine quasi omni orbatum excipiatis, — nec ventriculum mole auctum, aut nimis dilatatum, deteximus. An calvariae in cavo, quod, ob temporis penuriam adapertum non fuit, vertiginis praegressae, doloris in capite tantorumque latuit origo malorum?... ex eo certe, quod alia, quae tale quid docerent, symptomata tot per annos non occurrerint, id minime videtur. Ipsa nempe corporis, vasorum *inanitio* ad vomitum contribuit; vidimusque non paucos, qui sub venae sectione largiore, — feminas, quae sub uteri profluvio cruento, copiose vomebant. Sub fame diuturna, et nausea, et vomitus succedunt; ac frequens hystericis, hypochondriacis hominibus, ex sola debilitate ac ventriculi sensu nimis intenso, vomendi est occasio. Sola rerum ingratarum recordatio, pilus optato in ferculo repertus, stomachum movent, ac in sensibilioribus vomitum illico excitant. Homini diutius obscuro in loco detento, solus lucis vividioris adspectus vomitum jam movet. Notus est nimis, effrenis ex itinere maritimo, seu vectione in nave, oriundus vomitus etc.

Est chronici vomitus species adhuc alia, quae ad illam, de qua loquimur, *sensibilitatis* nempe in ventriculo nimis *intensae*, plerumque revocanda, ac, etsi *symptomatica*, hîc tamen, ob magnas, quas in artis exercitio subministrat. errandi occasiones, nequaquam reticenda est. Oritur haec in sexu maxime sequiore, cui menstrua, vel gravidum ob uterum, vel ob causas morbosas, — vel demum solitae haemorrhoides, — nec non in viris, quibus consueta haec cruoris ex ano profluvia vel plurimum imminuta, vel protinus suppressa sunt, plerumque aut hystericis, aut hypochondriasi adfectis in hominibus. Hac sub rerum conditione, ut alibi jam diximus, non raro sanguis, ventriculi viscerumque abdominis debiliorum, vicinorum, in vasis diductis, aneurysmaticis, varicosis colligitur; ac *vomitum cruentum*, — quo interim saepe res non pervenit, sub diris ad praecordia doloribus, angustiis, sub ventriculi oppressione, lipothymiae sub sensu, sub nausea, vel sub vomitu, inprimis quo tempore pristina prodire debuissent profluvia, adaucto, exspectat. Etsi vero debiles et languidos haec sanguinis circa stomachum collectio in vomitum praecipitet; est tamen, ubi vires non infractae sint, et ex suppresso profluvio naturali, vel solito, abdominalis species plethorae robustis vegetisque in hominibus, in causa sit vomitus; ac talem, acutum scilicet, vel in vera pulmonum inflammatione, sicut ipsam diarrhoeam, subinde contingere, jam alibi (§. CLXXXVI.) monuimus.

Evidentior vero sensibilitatis morbosae in ventriculo est actio in illis, qui *cholera* (§. DCLXXII.) laborant; qui saburrali quidem ex causa vomuerunt, sed, jam omni rejecta, in vomitu effreni continuant; in illis, quibus aphthae oris, oesophagi, ventriculi ad cavum praegressae, ac nuda superficie istius separatae, aut *ulcus*, vel praevia inflammatione, suppuratione relictum (§. CCXXXVI.), vel aliis ex causis in ipso ventriculo lento passu inductum, impurum, herpeticum, scrophulosum, carcinomaticum, vel ab hepate, liene, pancreate suppuratis, vicino cum ventriculo concretis, ac eodem. ut vidimus, eroso. in ejus cavum depletis, — vomitus a re quavis, vel blan-

dissima assumpta, sub diris in epigastrio ardoribus, doloribus. copiosos, nunc parum aut nihil, nunc satis aperte purulentos, ichorosos, foetidosque producunt.

Nec minus huc spectat vomitus, antiquo ab ulcere promptius sanato, a *podagra*, ut se exprimunt, ad stomachum regressa, retropulsa, oriundus. Quamvis enim hoc mali genus, nunc acute incedens, nunc chronicum, ex alio, ut quondam docebimus, quam *materiae peccantis* ad ventriculum depositae effectu, explicari bene queat; ac etsi alterius id *symptoma* morbi dicendum sit; suum tamen hoc in tractatu de vomitu rebelli locum omnino meretur. Oritur nempe hic vomitus in illis, qui arthritidi, ut vocant, fixae, seu *podagrae* subjecti sunt, si medela huic perversa opponatur; vel si, corporis effoeti languore, consueti ad pedes dolores prorumpere recusent. Hoc scilicet ex fonte, vel iisdem potius ex causis, quae podagram inducunt, non raro viscera abdominis mali sedem largiuntur; ciborum illico prosternitur desiderium; accedunt oppressio ventriculi, tensio, tumor dolorque regionis epigastricae; nausea his jungitur ac vomitus tam atrox, ut veneni suscepti nonnunquam oriatur suspicio, aut dira ventriculum, intestina, videatur occupare inflammatio. Alias, sine tanta symptomatum atrocia, nausea, vomitus, dolorque ventriculi, aut longum per tempus, aut certos per reditus, aegrotum, a podagra interea immunem, rebellis divexat. Si forte solitus ad pedes, aut manus, dolor compareat; evanescunt stomachi prius adfecti symptomata. Virum, a multis retro annis frequenter a podagra affectum *Ticini* conspeximus. Huic diu podagra pepercerat; sed intumuit, sub cordis palpitatione pulsuumque intermissione fere continuis, abdomen; ac insignis tunc viscerum singulorum infarctus subintrasse videbatur. Resolventia, sic dicta, remedia incassum jam diu ingesserat; rediit tandem consuetus ad pedes dolor, ac abdomen in integrum detumuit. Femina *Mediolanensis*, vomitum, a quinque jam annis, non quidem continuum, sed omni fere mense ter quaterve redeuntem, atrocem, experta est. Cum nullum hucusque a medicis auxiliis levamen malorum habuisset aegrota,

Ticinum adivit. Etsi vero in sexu femineo, podagra, quam in alio, sit rarior; cum tamen a patre hoc morbo crudeliter vexato originem haec mulier traxisset, et frequentes antehac in artubus dolores, quasi arthriticos, conquesta esset: qui dolores eo, quo vomitus accessit, a tempore siluerant in integrum; aconiti extractum huic feminae largiores ad doses, ac parata ex sinapis farina pediluvia, nec non quavis octava die rubefaciens ex cantharidum emplastro remedium ad pedes praescripsimus. Post mensis fere spatium, accessit vehemens *podagrae* insultus: a quo, vomitus in integrum disparuit.

Similia vero scorbutus hinc inde vobis offeret ventriculi affecti, fallacia, symptomata; nec de istis hîc sermo foret, nisi proprii hac in re, plures ante annos, commissi erroris eundem nobis imponeret, profutura vobis ipsis, memoria. Cum *scorbuti* signis Clinicum Institutum *Ticinense* petierat femina. Accessit scorbuto febris epidemica, pro gastrico-nervosa tunc habita. A primo febris insultu, magnum in regione ventriculi pondus, ructus foetidissimi, oris summa amarities, ac demum vomitus biliosus, amarissimus, quo vermes simul plurimos et ore et ano ejecit, comparent; anxietas est magna, ac fauces a glomere ex stomacho per oesophagum ascendente constringi, spiritusque elidi videntur. Solventibus praemissis remediis, lene, quod nullus ab assumptis dolor esset ventriculi, ex ipecacuanhae radice, praescribimus emeticum. Gastrica abhinc increscunt symptomata, et sinistro in oculo *ecchymosis* sat larga comparet. Repetiimus diebus sequentibus, iterumque concessimus emeticum; sed morbus, etsi opium compescendos demum ad vomitus in auxilium vocaretur, continuo augetur, ac die duodecima terminatur in mortem. Aperto cadavere, suggillatio comparuit ad internam ventriculi superficiem amplissima, sublivida, — ecchymosi ad oculum haerenti simillima. Pancreas a scirrho corruptum, thoracis, pericardii cava, ab aquis partim repleta sistebantur. Nullum tunc nobis dubium esse potuit, hunc vomitum lethalem, non ex gastrica saburra, sed ex morbo principali, qui *scorbutus* erat, et ex suggillati

sensibilitate morbosa ventriculi, ab emeticis certe non parum adaucta, originem traxisse.

Vomitus gravidarum, etsi per consensum frequentius, quam primaria ventriculi e culpa oriatur; istum fere magis, quam alium ad locum, revocandus est. Is nempe in quibusdam mulieribus vix primis ab impraegnatione diebus aut hebdomadis, — in multis paulo tardius, — in plurimis a prima fluxus menstrui cessatione, — mitis, nec frequens. nec multus in istis, — in aliis uberior ac vix non continuus, medium fere praegnationis ad terminum, interdum vero ipsum adeo ad partum, — nunc stomacho jejuno, nunc a cibis, nisi uno alterove, ex regno fere vegetabili, non facile animali, excepto, fere singulis. — serosus, mucosus, acidus in istis, in aliis amarus, in quibusdam adeo cruentus exoritur. Sunt aliquae inprimis corporis structurae minus extensae, aut foetum in utero majorem, aut gemellos, aut copiosum saltem amnii liquorem ferentes, quae in ultimis potius, quam primis praegnationis in mensibus, maxime si cibis quidquam copiosis indulgeant, nauseam patiantur ac vomitum: quae symptomata vel usque ad partum, vel donec uterus ante istum, ut solet, subsederit, continuant. Communior illis est hic vomitus, quae largioribus antehac subjectae fuerunt menstruis; ac languidiores urbium apud feminas frequentior, quam in rusticis; robustae interim hinc non minus, quam debiles, cum conceperint, cibos per oesophagum rejiciunt. A vomitu peracto, pleraeque sublevatas se sentiunt; nec facile aut praegnans, aut foetus, abhinc salutis detrimentum patiuntur; ast si frequentior, violentior, a quovis fere cibo, pluresque per menses is redeat; debilitas ventriculi et languor totius, vomitus cruentus, vel haemoptysis, herniae, uteri descensus, prolapsus vaginae, abortus, timenda sunt.

Sed nec ipso *sub partu* immunis est vomitus femina: quem scilicet non raro ultimis sub nixibus, tum ex uteri, summopere ab istis vexati, cum ventriculo consensu, tum ex abdominalium musculorum, et diaphragmatis contractione violenta, experitur, — partui, ut putant, profuturum; sed pro potentioris potius ad foetum protrudendum actionis effectu habendum.

§. DCLXVI. *Vomitus consensualis.*

Multa hîc foret *consensuali* de vomitu ulterius disserendi occasio; nisi talem, ut aliorum symptoma morborum, alibi descriptum leviore nunc calamo tetigisse, — quod partim hucusque evitare non potuimus, sufficeret. Sic a sola jam faucium, pharyngis, per plumulam, aut immissum his per digitum, irritatione, ventriculus convellitur et contenta expellit: a dentitione in pueris, sicuti diarrhoea, ita non infrequens est vomitus. Ex admoto cruribus, herpetico ab ulcere adfectis, decocto cum croco metallorum remisto; vel et herbae nicotianae tabaci pulvere insperso, vomitus secutus est. Sub capitis dolore violento, hemicrania, vertigine. sub cranii laesionibus, carie, excrescentiis, sub gravi adeo ac lethàli apoplexia, ac in medullae spinalis adfectibus quibusdam, ut *cyphosis* in specie, sub colicis doloribus, vel sub illis, quos calculus, aut felleus, aut renalis, uretherieus, vesicalis, aut panaritium, aut luxatio, aut hernia, inducunt; stomachus contenta facillime regurgitat. A quovis contagio, quocunque demum modo corpori ingesto, admoto, stomachus facillime movetur; nec potentius certe contagiis plerisque, saltem febrilibus, est *emeticum.*

§. DCLXVIII. *Vomitus intermittens.*

Nec minoris dignitatis argumentum habetur de vomitu ex aucta corporis ac inprimis ventriculi, sensibilitate, debilitate oriundo, in *febre intermittente emetica* (§. XXXV.): in qua scilicet vomitus effrenis, periodicus, praecipuum febris constituit symptoma, ab opii fere citius, quam ipsius corticis peruviani virtute, cum ipsa febre fugandum.

§. DCLXIX. *Causae.*

His vomitus praecipuis speciebus hîc expositis (§§. DCLXIII. DCLXVIII.), causarum hujus morbi mentionem jam satis injecimus: ac ea, quae vomitum ex partium *consensu*, vel et *symptomaticum* inducunt, tum sub febrium, inflammationum, exanthematum descriptione jam adduximus; tum in aliorum expositione morborum suo loco referemus, *idiopathici* causa

vomitus in stimulo graviore, nimiam ventriculi, ad pilorum tunc clausi, contractionem excitante consistit: vivorum nempe sectiones animalium docuerunt, a stimulo tali admoto, vel ab ipso duodeno, motum ventriculi contractilem oriri; sequi pylori constrictionem, inde medii illam ventriculi; demum supremi: donec ad ipsam gulam bolus progrediatur, et a ventriculo sese contrahente, inque rugas plicato, sursum per os expellatur. Alias principium contractionis est in pyloro, vel medio etiam in stomacho: unde motus peristalticus versus oesophagum per omnen ventriculum retroagitur, usquedum materia ventriculo contenta per gulam erumpat. Quae igitur moderato cum stimulo ventriculum sollicitant, ad inferiora haec ejusdem contenta placide propellunt; quae fortius in stomachum agunt, eundem mox contrahunt leviterque convellunt, et nauseas proliciunt; quae vero fortius adhuc ventriculum exstimulant, ea hunc ipsum convellunt, et pyloro simul contracto, cibos per cardiam et oesophagum expellunt: sic ut igitur vomitus sit vera, clausi primum ad pylorum, — ad cardiam satis adhuc cedentis, *ventriculi* superiora versus *convulsio*. Hanc vero et ipsius diaphragmatis, et musculorum abdominalium contractio violenta coadjuvet oportet. Nam etsi et istis, aut quiescentibus, aut adeo dissectis, aut subtracto penitus eorum imperio exemptoque ventriculo, vomitus tamen excitari non minus posse, eximiis a Viris sit dictum; recentiora tamen hac super re instituta experimenta videntur utique docere: stomachum, etsi maximis a stimulis vexatum, non posse tamen, sine diaphragmatis, musculorumque abdominalium subsidio, sese satis contrahere; nec sine stomachi actione posse solos hos musculos vomitum absolvere, ac potentiae istum utriusque constantem esse effectum. Non oportet tamen nuperrimam viri eximii objectionem hîc reticeri; qua, vomitum *sub ipsa exspiratione* fieri, — diaphragma vero non sub ista, sed *sub inspiratione* contrahi, — et hinc vomitum *sub maxima diaphragmatis relaxatione* fieri monuit. Sed forsitan, priusquam stomachus contentas materias rejiciat, vim ille diaphragmatis, ad inferiora sibi per vices impellentis, jam satis expertus est; ut et propria, et musculorum

abdominalium contractione, ultimam vomitionis scenam absolvere possit; vel agitatus adeo et convulsus hoc sub opere, cum oesophago ventriculus, *sub exspiratione*, altiora versus sequitur diaphragma, inter cujus et musculorum abdominalium praelium excutiatur potentius. Feminam *Vindobonae* publice in clinico Instituto examinavimus, cui *hernia ventriculi* enata, hac ipsa vero. plures ante annos, incarcerata, ventriculus inflammatus, atque hoc in sacco, quo interea concreverat, suppuratus, et largo hiatu ad regionem epigastricam apertus fuit. Si quos haec mulier cibos molliores assumpsisset; mox hi ventriculo, nisi ulcere callose obtecto, per istud effluebant; quin ipsa sibi aegra, propriis cum digitis, cibos, quos nimios ingessisset, fermentatam ut brassicam, extrahere potuerat. *Lac dulce* coram nobis ac nostris Auditoribus numerosis, haustum, illico, *sed jamjam coactum*, amplo ex ulcere effudit. Huic igitur ulceri, primo digitum, mox etiam alterum, timide immisi: sed cum nullum aegra exinde dolorem accusaret; animose ad magnam ventriculi superficiem internam, circumduxi, ac villosa ejusdem super tunica huc illuc movi. Interroganti, num, hoc digitorum ex motu, vel nauseam, vel vomendi conatum persentiret? negavit. Quae ulterius, tantum circa morbum (cum quo per quinque adhuc annos, ex intestinorum tandem inflammatione peritura, vixit) experimenta, physiologis etiam notatu dignissima, sint capta, ea Auditorum unus concione exposuit. Sed et hoc nobis, — quod dicta, sat fortis, contrectatio vomitum nequaquam moverit, admirationem expressit.

Non semper totius tubi alimentarii motum inversum sub vomitu requiri, etsi alvus sub isto plerumque sit obstructa, *cholera* docet: sub qua, dum superiora versus convellitur ventriculus, intestinorum certe auctus est motus *peristalticus*; sed est, ubi pars major intestinorum ad vomitum contribuat, ac imo adeo ex colo aut recto intestino, vel ob dictas jam (§. DCLXIV.) rationes, cedente, aut rupta illius valvula, contenta, futuros in vomitus, regerantur in ventriculum.

Quaecunque igitur aut stimulum ipsi ventriculo majorem, quam par est, aut specifice odiosum, inferre, illumque convellere queunt; aut quae stoma-

chum, ne satis dilatari, aut in duodenum evacuari possit, impediunt: idiopathici ea pro causa vomitus haberi omnino merentur. Huc igitur, ut potiora uno hîc sistantur intuitu, spectant: *quantitas* ciborum, potulentorum aequo major, seu nimia (nec tamen, ut quae vomitum intercipit, summa) repletio aut crapula: *qualitas* ingestorum, vel parum a dentibus concisorum, contritorum, aut difficulter, aut nullatenus a stomacho, succis gastricis, cogendorum pyloroque expellendorum, aut corruptorum, acidorum, putridorum, aut ob idiosyncrasiam, ut vocant, contrariorum, aut suspectam ob indolem noxiorum, venenorum, emeticorum, drasticorum, aut acris, biliosae, corruptae materiae, — vermium, ex hepate, intestinis, in ventriculum ascendentium; — sensibilitas ventriculi morbosa, vel ob phlogosin, vel ob ulcus, carcinoma, vel ob aphthas, vel suorum vasorum repletionem, infarctum, extensionem ob aere, hoc viscus vellicans, ob spasmos; — debilitas, imbecillitas, atonia ejusdem, sub qua cibi, vim vitalem hujus organi non satis experti, spontaneam rapiuntur in corruptionem, et antequam per pylorum descendant, ventriculum ad vomitum compellunt; — coarctatio ventriculi, pylori, intestini, a callo, scirrho, steatomate, polypo, tumore cystico, calculis, volvulo, vermibus, faecibus induratis, aut re quavis alia, haec viscera comprimente, angustante, infarciente.

§. DCLXX. *Prognosis.*

Vomitus symptomatici, consensualis momenta jam alibi proposuimus; et quae de eo dicenda supersunt, suo quaevis loco a nobis tradentur. Idiopathici vero, chronicique inprimis, vomitus pericula, specierum (§§. DCLXI. DCLXIII. DCLXVIII.), et causarum (§. DCLXIX.), quae has ipsas excitaverint, ex indole judicanda sunt. Alia vero in genere ex vomitu discrimina descendunt ab *impetu*, quem ille ipse visceribus cavis cranii, thoracis, abdominis, contentis — partibus aliis, vasorumque inprimis systemati infert: unde varii effectus apoplexia, amaurosis, bronchocele, cynanche, raucedo, vitia pulmonum, oesophagi, herniae, prolapsus, abortus, suggillatio, vasorum nimia extensio,

aneurysma, varix, haemorrhagiae internae, externae, variaque in motu sanguinis impedimenta, nascuntur. Quam profusi viscidique sudores, sub vomitu, ex cute emanent; quam valida totius systematis concussio succedat, est notum: quae singula, vomitus effectus interdum proficuos, saepius vero pessimos, luculenter ostendunt.

Eo ipso vero, quod fluidorum corporis pars certe non exigua, et futurae nutritionis principia, sub maxima totius agitatione convulso ejiciantur e ventriculo; nisi causa simul vomitus cum istis expulsa, aut angusta ex sede, calculorum exemplo, in ampliorem detrusa, aut laxato, quod prolapsum intestinum strangulabat, vinculo, *vomitus debilitat*, ac in morbis quidem a nimio systematis vigore oriundis subinde fit proficuus; in illis vero, qui suam ex virium jactura nanciscuntur originem, pericula vel maxime adauget. Quo citius vero, et quo saepius mox a pastu hominem adoritur, — eo magis omni hunc nutritionis adminiculo defraudat. Sed quocunque demum ordine ac tempore incedat vomitus diuturnus, copiosus; motum hic intestinorum peristalticum infrangit, alvum obstruit, atrophiam. tabem, hydropem, singultum ominosum, convulsiones, syncopen mortemque inducit. Quo minus causam vomitus aut auferri, aut corrigi licebit; eo certius haec singula sibi tandem succedent: et hinc ille, qui ex vitio, ut vocant, locali. ex callositate, scirrho ventriculi, aut partis vicinae pendet vomitus, medelae raro, si unquam, est particeps.

Ad materiae per vomitum expulsae aspectum et indolem quod spectat, fallaces haud raro exinde tum causae latentis suspicio, tum prognosis deducuntur. De vomitus cruenti periculis jam satis locuti (§.DCXV.), id solum hîc iterum monemus: nigerrima rejici ab iis quoque, in quibus nullus in ventriculo, aud ad pylorum tumor est, ut minime necessarium sit, illiusmodi colores aut ab isto, aut a scirrho, aut ab ulcere harum partium derivari. Foetidissimae, faeculentae materiae in *ileo* rejectio, plerumque tristissima; ac si dolor abdominis sub ista cessaverit, ubique lethalis est.

§. DCLXXI. *Cura. — C. vomitus symptomatici. — C. Vomitus a veneno. — C. vomitus a crapula. — C. vomitus a coarctatione. — C. vomitus a coarctatione intestinorum. — C. vomitus a volvulo; — per mercurium; — per injectiones; — per abdominis incisionem. — C. vomitus ab atonia. — C. vomitus a sensibilitate morbosa. —*

Curandi vomitus praecepta, causarum suggerit cognitio. Sunt vero, quae omni demum sub vomitu valebunt, generales cautelae. Quicunque vomitus hominem jam pridem *hernia* laborantem corripiat, oportet loco, quo exitum intestina moliuntur, per sustentaculum mature prospici; et cum toties ab hernia, prolapsu, nascantur vomitus: sub nullo certe ex istis, etsi alia subesse causa queat, haec mali forsitan origo attentius exploranda non erit. Qui ex leviore occasione ventriculum per guttur exonerant, infantes teneri: hi, supino in cunis sub decubitu, nisi adstet, qui vomentibus succurrat, corpusque anteriora, vel in latus convertat, interdum suffocantur a vomitu. Similia adultis, ab alio forsitan morbo diuturno, vel magno, viribus jam fractis, ac semetipsos erigere, movere nesciis, si vomitus hoc corporis in situ contingat, instabunt pericula. Alvum quocunque sub vomitu cum clystere apertam servari, motumque intestini peristalticum revocari amissum, interest.

Diversas morbi ad species curandas quod spectat, alterius mali ut symptoma, vomitus sanationem, resecta prius, ex qua pendet, radice, habebit.

Si talis vomendi causa est, quam convulsus ipse excutiat ventriculus: quo facilius salutiferum hoc opus praestetur, cum tepida promovendus, non vero sistendus erit vomitus. Sic *venenum*, aut res suspectae, ventriculo ingesta, excitata etiam per artem emesi, ut corpus peregrinum noxiumve, removenda, aut, si nimia jam foret agitatio ventriculi, cum opportunis, si nota sint, ex chemicis, antidotis destruenda, corrigenda, aut saltem cum tepida diluenda, vel demum ope mucilaginis, aut olei, butyri liquefacti, vel nisi acida rei ingestae sit indoles, lactis, involvenda sunt. Si quae rei venenosae ipso sub vomitu fuga simul per pylorum, intestinorumque abhinc laesio, praevidentur;

haec ultima quoque, injectis per anum demulcentibus, oleosis remediis, infesto a stimulo defendenda sunt.

Sic vomitus a *crapula*, nisi sponte talis, qui erambem infestam eliminet, succedat; iterum cum tepida vel et levi cum emetico, promovendus est: quo interim sub opere cavendum erit, ne pleno protinus, aut utrumque ad ostium spasmodice contracto ventriculo, emeticum admoveatur inutile, aut stomacho, jam nimis extenso, infensum ingeratur, ac immobilis expelli tentetur materia. Diluenda igitur haec prius, quam emetico excutienda; aut fauces modo cum pluma aut immissum per digitum irritandae sunt: quo demum tanto sine impetu, ad sui evacuationem occlusus invitetur ventriculus. In hunc descendere atque agere si possit emeticum; pro urgentium violentia symptomatum, potentius interdum, quod apoplexiae, suffocationis imminentis a periculo hominem mox liberet, ac subjunctum huic, quod simul intestina exoneret, remedium indicabitur. Voracia nimis, quae molem ingestam evomere non possunt, animalia domestica, tam tristi rerum sub statu, audax interdum, de qua futuro in volumine loquemur, conservat operatio.

Atque haec de nausea, vomituritione, anxietate, majore ciborum voratorum ex copia oriundis valebunt! quod si tamen hae sese liberare jam solus potest ventriculus; non opus erit sane, inutile ac vires nimis exhauriens huic calcar superaddere; et in ipso morbi causae effectu, et longa satis a novo alimento, donec fames hoc exigat, abstinentia, securius jacet vomitus remedium. Quod si vero eodem gulae in vitio continuet, nec cibis subactu difficilibus renunciet aegrotus; viribus ventriculi sensim consumptis, labescent magis magisque istius functio, corporis nutritio; ac totius tandem systematis languor, illi ventriculi, indies adaucto, succedet. Minore tunc scilicet ciborum potusque fermentationi obnoxii a copia mox stomachi oppressio, ardor et nausea redibunt; et contracta demum cum istis consuetudine, certas vomitus quotidie ad horas, non facili sane opera expugnandus, revertetur (§. DCLXIII.); ac ipsius tandem labes organica ventriculi (§. DCLXIV.) sequetur.

His ut obviam eatur aerumnis, summa in ciborum,

aegrotis subministrandorum, selectu, et copia modaranda sollicitudo ponenda est. Hinc vegetabilium, fructuum horaeorum, in mole exigua haud satis nutrientium, acescentium, flatulentorumque, nec non vini, cerevisiae debiliorum, vapidorum, lactis usu seposito, ad victum animalem, saturata carnium ad jura, cum ovi etiam vitello remista, ad carnes teneras, non tamen aequo juniores, immaturas, glutinosas, aut pingues, ex sanis animalibus, et aquae dulcis ex piscibus desumptas, moderatum vini generosi ad usum, ad corporis exercitia, quae vires non deterant, sed excitent, ad amica consortia, mentisque gravioribus a studiis, a moerore, distractionem, ac demum ad ea, quae ventriculum, quae omne systema erigant, corroborent, remedia, recurrendum est. Quae acidis in stomacho corrigendis opponi solent, alcalina, absorbentia; ea quidem molesti ardoris sensum pro tempore imminuunt; vix tamen morbi causam attingunt; sed ipsi primarum viarum acido conjuncta, alvum, quod saepe non expedit, aegrumque magis debilitat, nimis movent; ac simul, nisi causticae, aëriformis ac molestae ventriculo, intestinis materiae quamplurimum evolvunt. Meliora ex roborantibus remedia hîc erunt, fel tauri, vel aliud, lignum quassiae, campechianum, cortex angusturae, peruvianus, trifolium fibrinum, ac similia: quae tamen liquida sub forma primum, ut aquae cinnamomi vinosae, aut naphae, aut aetheri vitriolico juncta, donec aliqua ex istis in substantia, ut dicunt, perferri queant, melius conducent. Sensibilitate ventriculi morbosa jam quidquam imminuta, martialia, ut aqua spadana, tinctura martis pomata, ferrique demum limatura, cinnamomi cum cortice, aut grato elaeosaccharo nupta, indicantur.

Incerta est, ut diximus, nascentis ad ventriculum aut calli, aut scirrhi, steatomatis diagnosis; et quo aliquam haec ipsa certitudinem habebit, tempore: curationis plerumque jam longe aufugit occasio. Sub spe vero illius tam exigua, quam in resolventia sic dicta remedia, in graminis, taraxaci, saponariae, ononidis spinosae, cicutae virosae extracta, in gummi ammoniacum, saponem medicinalem, ac inprimis in mercurium, caute tamen, ne scirrhi in carcinoma transitum pro-

moveat, adhibitum, cogimur reponere; major certe in victum, minores in portiones, frequentius porrigendas, distributum, tenuiorem, fere liquidum, ex ovo sorbili, carnium, gallinae, testudinum, cancrorum ex jusculo, ceu illis, quibus minor ad pylori angustias erit remora, ac nutrientes demum in clysteres, vitae, etsi miserae, protrahendae, fiducia ponenda est.

Similis *intestinorum*, ex causis adductis (§§. DCLXIV. DCLXV.) *angustias* solvendas premit difficultas. Praeter usum vero alimenti pauci, saepius porrigendi, ac tenuis, oleum ex amygdalis recenter expressum, olivarum, lini, aut ricini, ad unciam, vel integram, et ultra, quotidie assumptum, hanc praevenit interdum; clyster vero emolliens, oleosus, frequentius injectus, quod faeces in crassis intestinis collectae augerent, obstaculum imminuunt, et enemati nutrienti, quod chyli lueusque allidentis defectum aliquomodo suppleat, locum facit. Ea ipsa vero remedia, quae vitiis ventriculi similibus opponi solent, tempore scilicet vomitionibus intermedio, exhibenda sunt.

Varia ad volvulum (§. DCLXIV.), ut vomitus ileique causam, dissipandum data fuerunt, — ambiguo diagnosis, fere semper incertae, fulcro innixa, consilia. Nunc etenim *vivi* ac mobilissimi a pondere *mercurii*, ore scilicet ingesti, sperabant, susceptum ab alio intestinum, sua e vagina posse protrudi; — nunc per *tepidam ope machinae hydraulicae*, vel majoris siphonis, sua captivitate illud liberare studebant; — nunc vero ipsam *abdominis*, quo loco doleret, tumeret, *incisionem*, qua nempe volvulum mox detegi, ac a digitis chirurgi explicari posse sperabant, proponere sunt ausi.

Ad *mercurium* quod spectat, si auxilio non esset, ab eo, — ut qui, *vivus*, vasa lactea subire, ob pondus volubilitatemque, recusaret, — nil damni metuebant; nec desunt peractae hoc a remedio sanationis, non tamen nobis ipsis oblata, exempla. Haec quidem, conspicuis a viris adducta, negare protinus veremur; sed num *volvulum*, qui forsitan haud adfuit, tollendo. — vel num alia, simul adhibita, magis, quam porrectus mercurius, morbum profligaverint; hoc saltem in suspenso relinquimus. Vidimus interim in Italia virginem adultam, cui, praesentis ob volvuli suspicionem, ante

sex jam hebdomadas, unciae mercurii *sexdecim* per os ingestae fuerant. Convaluit haec sensim a morbo, quin ultra *tres* uncias hydrargyri per anum reddidisset. Sed eo a tempore, de sensu *frigoris molesti* in coeci intestini regione, et, quoties sinistrum sese in latus converteret, de pondere, ex dextro, in hoc ipsum delabente conquesta, *rebellem salivationem*, — quam tamdiu contritus intestinali cum muco mercurius induxit, — subivit. Cum vero portio intestini nunc *superior*, ab ea, quae sequitur, — nunc *inferior*, ab illa suscepta, volvulum constituat: qua ratione mercurius, primo in casu, intestinum liberaret, nec potius deorsum magis protruderet, difficile est intelligere. His accedit, quod rarum sit, e volvulo, nisi prius *inflammato*, fuisse ileum inductum; quo certe in casu, a pondere mercurii non potest non augeri irritatio.

Potior forsitan certis in casibus *tepidae*, vel oleo, saponi, salibusque remistae, quantitate ac impetu majoribus, quam per simplicem clysterem possit, auo injectae efficacia. Tanta enim est machinae hujus *hydraulicae*, — primum a celebri Haemastatices scriptore, — dein amico nobis Mediolanensi a medico, — mox a scholae *Vindobonensis* clinicae antistite quondam clarissimo, per experimenta in canibus hominumque in cadaveribus suscepta, confirmatae, — ac tandem anglo a chirurgo saepius cum successu in hominibus adhibitae, potentia: ut ipsa valvulae, quae ad colon est, resistentia, huic, sine damno cessisse, et aqua per anum injecta, ad ventriculum pertigisse conspecta sit.

Interim dirupti hoc experimento, in cane vivo, intestini, aquarumque ex isto, in cavum abdominis effusarum, — hominis adeo, non diu hanc post operationem vita defuncti exempla; ipseque dolor acutus, quem aegri hinc inde ab impetuosa hac intestinorum extensione accusant, — quam caute hîc incedendum sit, satis ostendunt. Quod si enim aquis copiosius impulsis, vel fortiore in valvula coli, vel exsiccatis in faecibus, vel peregrino in corpore, vel in tumore scirrhoso, vel in spasmodica, aliaque contractione, angustia canalis, vel in volvulo, vel herniae latentis ad locum, obstaculum sese opponat, quod majus est

gradu extensionis, quam intestina admittant; incautus, qui mensuram istius, viresque machinae hydraulicae ignorat, chirurgus, lethalem morbi, mitiore sub methodo forsitan sanandi, exitum promovebit. Quotiescunque hinc, aliis incassum adhibitis, — intestinorum nisi adsit inflammatio, hoc demum ad experimentum confugiendum esse, ex eo, quod melius sit anceps, quam nullum experiri remedium, putatur; lento primum gradu, ac donec sensibilia huic extensioni intestina adsuescant, homine in cubitus genuaque procumbente, aquae per anum pellendae sunt. Quamprimum vero aegrotus dolentis in abdomine sensum extensionis accusat; injectio per aliquot minuta sistenda, venter cum oleo inungendus, leviterque per manum impositam, ut aquae sese facilius per intestina diffundant, tractandus est: donec cessante, aut moderato in abdomine dolore, eadem sub cautela, ac usquedum alvi deponendae nisus accedat, repetatur injectio. Nisi faeces per anum sequantur; iteranda est aliquoties, vel post horam, vel post bihorium, operatio: qua, in homine adulto, sex fere aut octo aquarum librae possunt impelli.

Incisionem abdominis, ob volvuli suspicionem, in ileo instituendam, sub tanta istius, causarumque aliarum incertitudine, vix opus est, ut, post magna, quae jam Galliae chirurgus egregius eidem, etsi felici jam quondam cum successu tentatae, opposuit argumenta, pluribus refellam.

Chronicam, aut acutam vomitionem ex *compressione* oriundam (§. DCLXV.), solutio istius avertit. Hinc conversae ad ventriculum cartilagini mucronatae, — sterni, costarum fracturae ad leges chirurgicas prospiciendum; ac viscerum tumori, ventriculo infesto, debita, quam alibi trademus, opponenda medela est.

Ad *atoniam* ventriculi, ut chronici causam vomitus (§. DCLXVI.), quod spectat; difficilis quidem ea curationis est: ipsa interim. quae in dosibus refractis porriguntur, emetica, ventriculi hanc inertiam subinde corrigunt: ac in genere, irritantia, leviterque adstringentia, aromatico seu volatili principio conjuncta, indicantur hîc remedia. Elixir hinc stomachicum, fel sani animalis inspissatum, extractum quassiae, gentia-

nae, absinthii, in aqua cinnamomi vinosa solutum, arnicae radicis et nucis moschatae pulvis, parva dosi, sed frequentius porrectus, integri grana piperis sex, vel decem, jejuno ventriculo ingesta, camphorae granum unum vel alterum aliquoties in die sumptum, hîc maxime conducunt. Regionis epigastricae frictio, aut imposita huic aromatica, emplastrum vesicans, non minus commendanda sunt.

Morbosa ventriculi sensibilitas corrigitur per ea, quae causas istius moderant vel auferunt. Saepius est sola debilitas totius systematis, potissimum ventriculi, quae stimulum a cibis rudioribus, parum comminutis, paulo copiosioribus, vel quadam acrimonia imbutis, spirituoso a potu, haud perferat, et stomachum submoveat. A pauco alcohole assumpto, in viro sensibili, constantem singultum observavimus. Ipsum adeo opium, nisi parca in dosi porrectum in cholera, cardialgia, illico per vomitum expellitur; etc. hoc igitur rerum sub statu, blandiora, aliâs hoc nomine vix digna, stimulantia praeferenda sunt. Singula interdum, sub febre asthenica, ventriculus sensibilissimus, praeter *gelidam*, aut ipsam praeter *glaciem* saccharo conditam recusat: et quae toties, ventriculum obducendo, illiniendo, profuisse creduntur, *mucilagines*; hae, non tam dicta, mechanica, ratione, quam ex eo, quod mitissimum modo, ac tactui morboso adaequatum admoverint stimulum, utiles fuerunt. Plurimae, quas chlorosis, hysterismus tenent, virgines, sub morbo jam provecto, nec corticis peruviani decoctum, nec alia amara, nec martis tincturam, sine vomitu, retinebunt; elixir vero acidum *Halleri*. *Mynsichti*, cum gelida, et placido cum syrupo remistum, mox gratus amplectetur, ac majores abhinc ad stimulos praeparabitur, ventriculus. Saepius, sub gravi rerum positione, medicis haud paucis lusisse videbamur, cum magnis exigua morbis remedia opponeremus; sed felix hanc methodum eventus coronavit: et quos illi cum calcare morbos rudiore, sine quovis successu compresserant illico, et, recalcitrantes, modo auxerant; hos, blandiendo primum, — docili vero jam stomacho, suaviter monendo, — ac demum, ubi jugo hic collum submitti adsuevisset, stimulo majori coërcuimus.

Est, ubi morbosa ventriculi sensibilitas et vomitus, ex blandi, quo sub statu sanitatis ille fovetur, muci animalis defectu, per emetica, purgantia, venena acriora inducto, provocentur. Hoc in casu, debilitas, ut vocant, *indirecta*, majori a stimulo inducta, subesse, videri posset; sed major hîc utique abrasi humoris benefici, superficiem ventriculi oblinientis, jacturae est ratio; ac non tam stimulus praemisso stimulo haud multum inferior, quam illa, quae nudam stomachi superficiem, principio glutinoso imbuta, artificiali quasi mollique epidermide obducant, custodiant, indicantur. Similis est vomitus ab *aphthis* a ventriculo deciduis, vel ab *ulcere* stomachi oriundi, sanandi methodus: et radicis salep, hordei, oryzae, ex jusculo animali, decoctum, emulsio arabica, cunctis fere palmam hîc praeripiunt remediis.

Aliter constituta res erit, dum *arthritis fixa* (morbus, qui toties inductam ex abusu spirituosorum debilitatem pro causa agnoscit) loco pedum, vel partium externarum, ventriculum concutiat, vomitumque rebellem facileque lethalem, hîc provocet. Ea etenim sub rerum positione, nec mucilaginosa, demulcentia, nec stimuli leviores. sed vinum generosum, aether sulphuricus, ac opium, frenando morbo sunt apta. Praefectus militum *Ticinensis*, arthritidi, quam *vagam* appellant, subjectus, in cardialgiam incidit et in vomitum rebellem, — sub morbi principio, ac si febris tertiana lateret, periodicum, nec tamen a cortice peruviano, nec ipso ab opio, — cum singula remedia, nec minus potulenta, quam alimenta. per quindecim jam dies illico rejicisset ventriculus, domandum. Huic, in consilium vocati, amplum mox vesicans emplastrum regioni epigastricae adposuimus. Vix phlogosim ac urentem dolorem hoc ipsum in cute excitaverat; cum iste ventriculum demitteret, ac plenam huic functionum libertatem concederet. Si vomitus herpetem, vel ulcera antiqua, alibi praepostere sanata, sequatur; secretione morbosa consuetis in locis per vesicans adplicitum restituta, ventriculi turba haud raro compescitur.

Si major forsitan vasorum ventriculi ex infarctu cruento, expansio, distractio, sensibilitatem hujus vi-

sceris morbosam provocaverit; habito causarum talium respectu, sanguinem, quod raro indicabitur, nunc mittimus; nunc fluxus sanguinis, a natura, consuetudine, praescriptos, revocamus; nunc obstructiones viscerum, ut mali originem, adgredimur; nunc stimulos leviores, permanentes, ut vasorum atoniae succurramus, caute admovemus.

Si *per consensum*, quem ventriculus cum intestinis, hepate, liene, vel cum parte dissita amica, cum renibus, uretheribus, vesica, per calculos forsitan, aut per alia, adfectis, cum encephalo, utero, alit, stomachus contenta convulsus eructet: tunc, habita primarii morbi diversa ratione, vel in prioribus jam exposita, vel alibi exponenda, curam suscipimus; nec raro, donec opem huic ferre, vel chirurgicum implorare auxilium queamus, nisi alia id vetuerint, ad opium recurrimus.

Vomitus impraegnato ab utero, nec alia forsitan, cui nempe gravidae non minus, ac aliae quaequae feminae subjectae sunt, a causa venientes; raro, ipsius nisi graviditatis sub medio, vel subsidente jam demum viscere prolifico, sistuntur: est tamen, ubi feminae robustae venaesectio, — est ubi blandum evacuans hos sedent; est, ubi aquae selteranae, vel similes. aut interdum martiales, suasu medici egregii, perbelle conducant.

Qua demum ratione febris, quam *perniciosam emeticam* dixerunt, peruviano cum cortice, et cum opio tractanda sit, jam dictum est.

ORDO IV. GENUS III.

CHOLERA

§ DCLXXII. *Definitio.*

Ac si morbi quivis alii hoc nomine indigni essent; hunc, de quo hîc agimus, *choleram*, *morbum* dixerunt. Est vero haec, effrenis vomitus, cum effreni diarrhoea, nec per artem, nec demum a veneno inducta. Quod si *bilis* hoc in morbo vomatur; non aptum nimis ideo nobis nomen, sed quod civitate antiquitus donatum sit, retinendum videtur.

§. DCLXXIII. *Invasionis modus.*

Sub fine aestatis, ac autumno imminente, quo dysenteriae hinc inde prodire consueverunt, tempore, *cholera* caput exserit; non interim alio aestivo mense, si frigus nocturnum diurnos calores sequatur, ea prorsus excluditur. Sporadice hic morbus sub coelo temperato, ac nequidem frequenter occurrit; rarius, interdum, *epidemice*, calidioribus in locis frequentius, grassatur, et quasi *endemicus* agnoscitur.

§. DCLXXIV. *Divisio.*

Displicet nobis auctorum divisio, qua *choleram* in *spontaneam*, *legitimam*, ac in *artificialem*, seu *spuriam*, bipartiunt. Etsi enim ab acribus, a drasticis, a venenis ingestis, quo ultimam hanc referunt, et vomitus et simul diarrhoea effrenis oriantur; alterius

tamen subsellii haec esse, vel ex eo jam comparet: quod prima, totius morbum systematis, — *hypercatharsis* vero, localem modo ventriculi intestinorumque adfectionem constituat; et ex eo, quod, licet aliter vir magnus crediderit, non eadem curandi ratio, saltem in utriusque morbi principio, locum inveniat. Majoris in medicae artis exercitio momenti divisio est *cholerae* in *apyreticam*, quae sine febre incedit; — et in *febrilem*, quae febris legitimae, periodicae, et quidem *perniciosae*, plerumque tertianae, symptoma est (febris intermittens cholerica §. XXXV.), ac loca paludosa, calido sub coelo, vel maxime infestat; cum prima, ubique frequentius hac ipsa occurrat. Nec placet cholerae in *humidam* et in *siccam*, — qua in ultima, aëriformes vapores et ore et ano, sub magna anxietate, cum impetu et copiose explodi dicuntur, antiquissima licet, divisio. Hypochondriasis enim vel hysterismi symptoma haec dicenda est, chronica plerumque, nec, ut cholera, *acuta* adfectio. *Sthenicam choleram*, quam aliqui descripserunt, nec vidimus, nec facile concipimus.

§. DCLXXV. *Cholerae decursus.*

Subito et cum impetu plerumque *cholera* hominem prehendit. In quibusdam eandem praecedunt: sensus lassitudinis, stomachi tensio, dolores, ructus acidi, nidorosi, nausea, salivae frequens exspuitio, abdominis inflatio cum sonitu, colici dolores pungentes. Mox uno impetu et tempore, vel saltem alternatim, et vomitus et fluxus alvi effrenes sequentur. Primum aquae similia, dein, ac si recens caro lota esset, — non nunquam alba, et nigra, — in aliis, quod rarum est, lympha modo limpida, et ad frigus coitura, — in multis, primum ciborum reliquiae, postea humores biliosi, plus minus muco permisti, mox flavi, mox aeruginosi, mox fusci, nigri, plerumque acidissimi ac fere corrosivi, una cum copiosis iterum ructibus et flatibus, nec non ipso nonnunquam cum sanguine, repetitis frequentissime vicibus, et sub tam subitanea virium prostratione redduntur; ut assumpti veneni haud raro subintret suspicio. Ventriculus interea, ipsaque intestina mirum contorqueri solent in

modum. Vehementissima scilicet illum cardialgia, cum siti intensa, voce clangosa et rauca, — haec vero, maxime supra umbilicum, rosionis, morsicationis sensus invadit. Urina in vesica multorum retinetur, aut certe urit excreta. Ad anum, tenesmus urget. Singultus fortiori malo succedit; crurum, surarum, brachiorumque musculi tenduntur, convelluntur; incurvantur digiti, livent ungues, algent extrema, frigido viscidoque sudore obtecta, cum internorum ardore, ac animi deliquiis. Arteriae, jam antehac contractae ac minimae, pulsationes nunc offerunt frequentissimas, inordinatas; nunc vero a digito vix amplius distinguendas. Vehementiore in cholera, aegroti, ob immensam adeo, ac celerem humorum ex ventriculo intestinisque simul jacturam, ob crudelia et corporis et animi tormenta, post quinque, sexve jam horas, faciem vel maxime mutatam, collapsam, et sibi dissimilem ostendunt, atque, nisi promptum feratur auxilium, nunc adeo angusto unius nycthemeri spatio, — nunc secunda, tertia, quartave die, raro tardius, efflant animam.

Ubi *febris periodicae* legitimae typum assumit cholera: frigore vel praevio, vel nullo, extrema illico lassitudo, cardialgia, et atrox vomitus, et alvi excretio torminosa, frequentissima, cum aliis morbi jam descripti symptomatis, accedunt. Quod si vero his ferendis vires sufficiant: die intermedia vel una, vel altera, praeter magnam lassitudinem, vertiginem, somnolentiam, nil conqueritur aeger; sed eadem fere hora, qua antehac, redit nunc alter cholerae paroxysmus, priore vix non ferocior, ac facile lethalis, vel saltem, nisi experta manus opem ferat, futurum, sequente sub accessione, interitum praenuncians.

§. DCLXXVI. *Differentia.*

Quantum haec ab ea, quam *spuriam* dixerunt, et quae ex alimentis. mole, qualitate peccantibus, oriri dicitur, *cholera* distat! Sanissimus enim, vel de morbo vix cogitans, illa homo devoravit, ac, erroris commissi non inscius, localis adfectionis sensum, primum in ventriculo, tardius ad intestina, experitur. Quod si vomitus illum sequantur: hi alvi fluxum sat

diu *praecedunt*, nec utraque *illico simul* succedit excretio; quid quod sequente diarrhoea, vomitus plerumque frenetur frequentia. Quae vero utramque per viam expulsa sunt; ea de crambe pridie ingestorum incoeta sat diu testantur: cum in *cholera*, ejectis forsitan cibis moderate assumptis, innocuis, ac faecibus in crassis intestinis communiter detentis, praeter *fluida* acerrima, copiosa, vix aliquid expellitur. Praeterea quovis anni tempore, aestivo non magis, ac alio, ingluviei effectus *gulosos* apud homines, — cholerae illi, certo plerumque anni sub stadio, in sobrio aeque, ac intemperante in homine, sistuntur. Assumpti symptomata *veneni*, cum illis *cholerae*, magis interdum conspirabunt; et major erit effectuum utriusque morbi distinguendorum difficultas. A plerisque tamen *venenis* hieme iterum non minus, quam aestatis sub fine, efficacibus, vomitus effrenis, alvi ductionibus violentis longe prior est; haud raro rei venenosae particulae, per vomitum simul explosae, oculo experto se produnt: et certe, quidquid contrarii a viro, cujus magna apud medicos auctoritas est, concessum sit; crapulae, veneni ingesti, non *eadem*, sub morbi principio, quam *cholerae*, curandi ratio admitti potest (§. DCLXXIX.).

Non tam ardua *choleram* a *dysenteria* (§. DCLXXXVIII.) distinguendi res est. Vomitus quidam et istius in principio, sed minus constans, minusque violentus, ac in illa, — sub fine rarior, occurrit. Frequentior longe saepiusque epidemica *dysenteria* est, ac seriorem in autumnum extenditur. Copiosiores in hac, etsi tenesmus in *cholera* ubique non desit, deponuntur, fluidissimae materiae. Febrilis, nisi solum ad pulsum respicias, *dysenteriae* ubique morbus est; in *cholera*, sub insigni licet pulsuum, tantis sub nixibus, angustiis, frequentia, febris tamen exulat, et vomitu alvique fluxu ad artis praecepta sedatis, mox placida sanguinis circulatio redditur, ac turbae, quae febrem mentiebantur, disparent. Promptissime, nisi recta sub methodo, *cholera* exstinguit hominem, et, quasi utrem inversum, contentis privat liquidis: etsi vero *dysenteriae* quoque cito lethalis habeantur exempla; tardior tamen plerumque ex ista est interitus.

§. DCLXXVII. *Causae.*

Magna certe primam *cholerae* causam caligo involvit. In bilis per aestivos calores acredine adaucta, cholerae originem vix non omnes quaesiverunt; sed nequidem sub tanto morbi gastrici, biliosi apparatu, hoc malum ex bile, — sed bilem ex morbo scaturire contendimus. Scilicet moestitia, quae salso genas humore inundat, ex lacrymis descenderet! . . aut maritima navigatio, quae stomachum tibi movet, ac bilis flavae, herbaceae, aeruginosae, copiam ex illo immensam pellit, biliosae foret indolis! . . . Quousque demum *effectus* morborum, pro *causis* venditare pergemus? Oleum ab igne rancescere dixerunt, quo quidem *cocto, fricto*, tot populi, — quin rancorem contraxerit, quotidie cum delectatione vescuntur; et bilem sub statu sanitatis vix per horas eandem, ac virium vitalium imperio gaudentem, a gradu caloris longe minori, aduri, torrefieri credemus! Secretionis ope morbosae, sicut alios humores animales, ita et *bilem*, tum copia, tum indole peccantem posse parari, lubenter concedimus; sed quod secretionis huic vitio ansam dedit, non humor secretus, — etsi hic quoque suos edere effectus queat, pro morbi causa ponendum est. Sinceram cholcrae brevioris imaginem offerre solebat quondam poena, in certis Germaniae provinciis, meretricibus vulgatissimis imponi solita. Hae scilicet caveis oblongis, angustis, ex trabeculis constructis, erecto corpore commissae, lictoris per manus, in foro, celeriter in orbem ductae. post pauca minuta secunda, nauseoso sane exemplo, ut in ipsa *cholera*, insignem bilis copiam et ore et ano simul reddebant. Ut igitur talia contingant, nec bilis acredine, nec copia morbosa indigemus; sed sola diaphragmatis, musculorum abdominis, et simul ventriculi convulsio, quocunque demum a stimulo provocetur, ut bilis varii coloris, saporis, compresso. agitato simul ex hepate prematur, emulgeatur, — ut vasorum stomachi, intestinorum secretio in immensum augeatur, mutetur, jam sufficit. Quam profusus in *peste Britannica* (§. LXXXV.), in *Elode*, sudor e cute prorumpit! an simile quid sub *cholera*, in abdominis visceribus con-

tingit? Rariorem sane causam, quae istam producat, ob morbi ipsius infrequentiam, dixerimus! sed quaecunque demum haec fuerit, ex sola illius in solida, praeprimis in nervos abdominis, actione, excitari hae turbae poterunt. Quantus sit cutis cum ventriculo, intestinis, et istorum cum cute consensus, jam diximus (§. CCLXXIV.). Non mirabimur hinc, si non adsuetum apud hominem, a pedum frigido balneo quotidiano, — si a sudore pedum suppresso, — si ab incessu nudis pedibus super frigido pavimento suscepto, — si a natatione diuturna in aqua fluminis gelida, *choleram* secutam esse legimus; si pistor sanus aliâs et juvenis, viginti septem ante annos, nobis oblatus sit: qui, postquam ardentem ad furnum plurimum sudasset, ac, refrigerium quaesiturus, in cellam descendisset, — ibi vero aliquot per horas super humo frigido obdormivisset, a crudeli *cholera* illico correptus fuerit. Sed neque mirabimur, si ex ira, terrore, effreni, *choleram* fluxisse, per plura exempla confirmatur; si mulieris, sub quavis menstruorum suppressione a cholera prehensae, redeunte vero fluxu uterino, liberatae, — alterius vero, cui a lochiis suppressis cholera accessit, historiae exstent; si vel sola febris perniciosa intermittens, saepius, ac ipsa enteritis aliquando, vel et peripneumonia, peritonitis, puerperalis inprimis, *choleram* sibi pro symptomate consocient; si arthritis, abdominis in viscera furiens, lethalem viro summo, et de hujus ipsius morbi historia bene merito, *choleram* induxerit: ut quae singula satis docent, non unam quasi esse ac specificam, in bilis copia, acredine scilicet, *cholerae* causam; sed quemvis stimulum fortiorem, sub data rerum positione, ventriculo, intestinis illatum, huic, raro etsi, morbo excitando esse parem.

Num igitur, sub coelo inprimis urente, *a virium*, ut quibusdam est visum, *superabundantia* hic morbus aliquando originem habuerit; ignoramus (§. DCLXXIV.): ac, sub tanta humorum jactura, si modo per aliquas haec horas successerit, vix intelligimus.

Quod si vero illius, quam *spuriam* vocarunt, et quae longe frequentior est vera, *cholerae* causas hîc tangere velimus; innumerae hae sunt: quae scilicet ven-

triculo ac simul intestinis stimulum localem inferendo, *hypercatharsin* producant. Huc spectant: emetica, drastica fortiori manu porrecta; venena, arsenicum inprimis, mercurius corrosivus, fungi plures, ova barbae piscis; fructus adeo horaei majori copia ingesti, cucumis, melo; mala persica, pruni, frigida maxime, aut vino, cerevisia recentibus desuper epotis; cibi pingues, oleosi ac dulces; saburrae acidae, putridae ex ingluvie relictae, verminosae, etc.

§. DCLXXVIII. *Prognosis.*

Funestus est plerumque *cholerae*, sibi ipsi relictae, exitus. Sub artis vero praesidio, sat cito concesso, plerique ex illa, — quod tanta in alio morbo symptomata vix sperari permitterent, servantur. Senes atque infantes hic morbus citissime e medio rapit. Convulsio, praecordiorum summa angustia, jactatio major, singultus continuus, extremitatum frigus marmoreum, ardor internus, facies in totum mutata, lipothymiae frequentes, vicinam mortem fere indicant; etsi non pauci et hoc rerum sub statu, a recta methodo serventur.

§. DCLXXIX. *Cura. — An vomitus sit promovendus? — An vena secanda? — Frigidae usus. — Vinum. — Potiones antemeticae. — Opium. — Clysteres. — Fomentationes. — Cura cholerae intermittentis. — Calomelas.*

Maturius hoc in morbo, quam in quovis alio, ex *bilis* vitio per scholas derivato, evacuantis methodi discrimina pars major medicorum agnovit. Cum vero ipsa jam Antiquitas primo sub insultu, odiosae bilis expellendae gratia praeter *tepidam*, qua stomachum alvumque elueret, offerre nil auserit; aetas posterior, huic, modo pulli, carnis bubulae, vervecinae jura, vel panis, hordei, oryzae decocta, sub *cholerae* principio copiosius haurienda, haud magno sane artis conamine, progressu, substituit. Hanc nos quidem, timidam adhuc nimis, methodum ex perspecta minus verae *cholerae* indole, et hujus, a morbis localibus, ex saburra, veneno oriundis distinctione descendisse opinamur: sed quousque incerta esse potest morbi

diagnosis; primos aegroti ad vomitus, non in totum rejicimus. Vix tamen artis periti, ac ne vix quidem, — ut longaevum istius exercitium nos docuit, ad *choleram* sanandam tam prompte vocantur; ut latentis forsitan saburrae (frenando vomitum alvumque, jam nimis effrenes) retinendae timor aequus esse queat.

Sed si damno plena, vel saltem suspecta esse possit, prima, quam sibi plurimi hîc ponunt, indicatio: qua scilicet peccantem noxiamve, ut putant, materiam corrigere, attemperare, et ejicere satagunt; non minor est alia, in re tam gravi medicorum discrepantia. Partim nempe, ut diximus (§§. DCLXXIV. DCLXXVII.), sub coelo fervido, partim in Anglia, atque ipsa demum in Germania, fuerunt, qui *choleram inflammatoriam*, seu sthenicam, — et per venaesectiones cum successu tractatam fuisse, testati sint. Certe, experientia dum loquitur, — rationem vel silere, vel illi consonam esse oportet; sed non omnem, qui *cum* venaesectione tractatus fuit, — ipsa, quae sola adhibita non fuerit, morbum sanavit, venaesectio: ac donec experiendi ars tam difficilis, plurium, hanc vere edocti, virorum suffragio suffulta, contraria nos, ad haec amplectenda tam promptos, quam cautos edoceat; venaesectionem in *cholera*, nostris non paucis, et felicibus observationibus innixi, rejiciendam esse putamus.

Expulso jam satis, ut credebant, morbi fomite, veteres cum *frigidis*, stomacho exterius admotis, et *potu* quoque *gelido* morbum aggressi sunt: qua certe in methodo, nisi summa jam virium suppressio contrariam expetierit, — quod felix saepe eventus eandem, tum in *cholera*, tum in *chronico*, ex morbosa ventriculi sensibilitate oriundo, *vomitu*, coronaverit (§. DCLXXI.), — imitari merentur.

Vini quoque usus generosi, scilicet exigua portione porrecti, veteribus jam notus, ultro commendandus est.

Potiones, ut vocant, *antemeticae*, ex sale alcalino fixo, vegetabili, succo citri remisto, media sub effervescentia hauriendae a quibusdam laudatae, etsi nobis sub *vomitu* hinc inde profuerint; cum tam acuta hîc premant vitae avolandae discrimina, *certiori medicamini*, ne tempus forsitan incassum teratur, postponendae sunt.

Est vero hoc omne, in *opio*, ratione, qua stomachus hoc ferat, porrecto, collocatum. Quod si nempe unquam divinum hoc auxilium, sub ipso *cholerae verae* principio porrectum, nocuerit: non quod peccantem in ea humorem, ut morbi causam, retinuerit, — sed quod primis stomachi convulsi furoribus frena quidquam laxanda sint, id fecisse videtur. Donec tamen medici consilium, tam raro prompte nimis, imploretur; haec ipsa contrahendi, plerumque praeceps jam satis, nec ulterius negligenda, est occasio. Ipsum vero opium, vel rebus gustui ingratis, vel irritato nimis ventriculo copia sua molestis remistum, — vel solum quidem, sed dosi majore ingestum, vomitum haud raro movebit. Hinc sola *tinctura thebaica*, ad guttulas quindecim primum, post quartam vero quamvis horae partem, donec vomitus omnis sedetur, decem ad guttas, vel saccharo instillata, vel cum aquae melissae, vel simplicis, paucissima quantitate, porrecta, omnem hîc paginam absolvit. Necesse vero est, a vomitu cessante, non illico remedium hoc omne suspendi; sed intervallis nunc quidquam longioribus, ac minores ad doses, nisi sopor insequatur, per dies aliquot exhiberi.

Qui *clysteres* hîc saepius, ut alvus, jam nimis mota, eluatur, injiciendos esse dicunt: illos vix unquam hunc morbum in sua ferocia vidisse, et extremas sub eo difficultates, corpus aegri, tam anxii et exhausti, hoc ad opus vertendi, ignorare oportet. Interim, si opium, ore assumptum, diarrhoeam effrenem non comprimeret; idem hoc remedium, *enematis* sub forma, pauco carnium jusculo, ovi vitello, et amylo remistum, ano injici omnino posset.

Theriacam praeterea, vel oleum nucistae, vel sacculos, herbis floribusque aromaticis repletos, et cum aceto, aut cum vino generoso, aut cum spiritu lavandulae irroratos, regioni ventriculi, — vel si atrox ventrem dolor dilaniet, fomentationem, cataplasma levioris ponderis, huic ipsi admoveri, juvabit.

Cum vero frigus extremitatum, summa arteriarum debilitas, pulsuum vacillatio, intermissio, oculorum caligo, lipothymiae frequentes, — ne vires demum vitales exstinguantur, nos admoneant; quod jam veteres cum oleo calido faciebant, brachia et crura cum vino,

cui herbae aromaticae infusae sint, calido, fricabimus fovebimusque assidue.

Ubi *febris intermittentis perniciosae* typum observaverit cholera: *opium* tunc, quo cortex peruvianus, ratione qua diximus, a stomacho feratur, non minus erit necessarium.

Calomelas et *opii* refractas doses, *americae* a medico, in *cholera*, quae infantes illinc plurimos corripiat, laudatas, nos quidem nunquam hucusque praescripsimus.

Caeterum, devicto jam morbo, viribus collapsis ita succurrendum est: ne cum stimulo fortiore, aut ingrato, tam facilem adhuc diu in vomitus, stomachum moveamus. Amara hîc magis opportuna sunt. *Radicem columbo*, sub ipsa *cholera occidentali in India* communissima, felices effectus habere, tradiderunt. Haec igitur radix convalescentibus, quibus alvus adhuc est mollior, frequens, in decocto, aut vino hispanico, tockayensi, infusa, praescribi potest. Tinctura martis demum, sed tardius, cum aqua cinnamomi, victus parcus, sed frequens, facile subigendus, ac nutriens, aër campestris, amica consortia, corporis moderata exercitia, rem omnem absolvent.

ORDO IV. GENUS IV.

DIARRHOEA.

§. DCLXXX. *Intestina.*

Tubum intestina humana praelongum, ut experientia recentior docuit, *vivente* animali *breviorem* plicisque internae membranae evidentioribus instructum, — in *frigido* vero ac *emortuo longiorem*, — membranoso — muscularem, hîc tenuem, illinc ampliorem, crassiorem, propriam per valvulam divisum, constituunt. Hic vero canalis tortuoso itinere incedens, communi membrana suspensus, tum ramis arteriosis, venosis, tum vasis lymphaticis, glandulis cryptisque mucosis ditissimus, chymo ex ventriculo suscipiendo motu proprio ac lento cum suis humoribus, cum bile, cum succo pancreatico miscendo, in animalem magis materiam convertendo, donec magnum hoc opus peractum sit, concessas inter plicas ac in spatiis amplioribus retinendo, et faecum tandem sub indole per anum, suo sphinctere munitum, propellendo, dicatus est.

Amplissima, et cutis illa vix minor, superficies canali huic data est: ex qua, sub statu sanitatis, vaporis blandi, ac humoris mucosi continuo, quantum nempe ad eandem defendendam, humectandam, lubricandam, sufficiat, secernitur. Quod si vero major liquidi serosi, lymphatici, mucosi, puriformis, hac ipsa ex superficie distillet, ac promptius, frequentius, copiosius, cum contentis, per anum praecipitet: morbosum profluvium exoritur.

§. DCLXXXI. *Definitio.*

Hoc autem profluvium (§. DCLXXX.), seu aucta, mutata intestinorum, interdum et visceris contigui in illa, secretio, ac frequens, fluidior, copiosior, secretae materiae, vel solius, vel aliis contentis commistae, per alvum dejectio, *diarrhoea* vocatur.

§. DCLXXXII. *Divisio.*

Varia hujus profluvii (§. DCLXXXI.) est indoles. *Primariam, idiopathicam* dixerunt; ubi causa hujus mali vel ipsis intestinis inhaeret: *secundariam, symptomaticam*; ubi vel alio ex morbo, vel a stimulo longinquo, per consensum, hoc nascitur profluvium. Cum vero nunc citiorem, nunc lentiorem, nunc vero *periodicum* decursum diarrhoea absolvat; vel *acutam*, etiam febrilem, vel *chronicam, habitualem*, — ac, si aegrotantis in salutem contingeret, *criticam*; si morbi chronici, vel tabis sub fine lethali rebellis contingeret, *colliquativam*, -- si per artem sequeretur, artificialem, nominarunt. Nunc vero late inter populos divagatur, *epidemica*, — nunc unum modo alterumque, ex causis diversis prehendit, *sporadica* diarrhoea. Respectu materiae per alvum excretae, diarrhoeam *stercorosam, verminosam, biliosam, serosam, subcruentam, mucosam, chylosam* (fluxum coeliacum), — modo *semidigestorum* (lienteriam), — *saniosam* (fluxum hepaticum) vocarunt etc. Singulas has species et alias, divisio, diarrhoea in illam, quae *locali* affectione contingit, et in illam, quae *totius systematis* influxu exoritur, vel *sthenicam*, vel *asthenicam*, comprehendit. Unica interdum intestini pars magis adfecta, alvi fluxum inducit, sed saepius certe, dum uni modo illius loco inhaesisse morbi causa. post mortem, videtur, — vel systema universum, vel tractus intestinorum omnis, prehensa fuerunt.

§. DCLXXXIII. *Symptomata. — Diarrhoea stercoralis. — Diarrhoea verminosa. — Diarrhoea biliosa. — Diarrhoea a drasticis venenis. — Diarrhoea serosa. — Diarrhoea urinalis. — Diarrhoea mercurialis. — Diarrhoea mucosa. — Diarrhoea cruenta recens na-*

torum. — *Diarrhoea sthenica.* — *Diarrhoea coeliaca.* — *Diarrhoea lienterica.* — *Fluxus hepaticus alius.* — *Fluxus hepaticus intermittens.*

Symptomata diarrhoeae generalia sunt : languor, oppressio ventriculi, appetitus deletus, inflatio, tensio abdominis, obstructio alvi, borborygmi, plerumque, — pulsuum intermissio interdum, praecedunt. Sequitur mox dolor ventris, per vices invadens, nunc hanc istius partem, nunc illam quasi discindens, perterebrans ; nauseam, vomendi conatum, breves inducens ; ab alvo, primum faecali, excreta, remittens ; mox iterum, eadem, fluidiore, instante rediturus. Saepe satis vix dolor diarrhoeam comitatur ; sed praeviis modo turbis abdominis, flatibus hinc inde divagantibus, sonoris, alvus denuo excernitur liquidior, copiosa. Sub hoc vero profluvio, abdominis moles ac tensio minuuntur quidem in multis ; in aliis vero redeunt, — et quo major copia humorum ano excernitur ; eo magis augentur : *meteorismus* subnascitur. Urinae interea parcius secedunt, cutis plerumque sicca est. Rarius tenesmus ad anum hîc premit ; post frequentes tamen alvi excretiones, ardor in recto intestino percipitur incommodus. Continuante per dies, aut ultra, hoc fluxu, — vel eodem, licet breviter, sed magna humorum sub jactura absoluto, facies mirum collabitur, pallescit, mutatur ; torositas, pinguedo corporis, vel si quis praecesserit, tumor aquosus, subcutaneus, disparent ; cutis exsucca flaccescit ; ulcera, fonticuli exsiccantur, crura vacillant, pedes tumere incipiunt, febricula accedit, capilli decidunt, lipothymiae sequuntur ; et vel tabes, vel hydrops, vel — novo atque diro, ardente, fixo, abdominis in cavo suborto dolore, praevio singultu vomituque, intestinorum inflammatio, gangraena, succedunt.

Post ingluviem et crapulas (ut de illis diarrhoeis, quas vitia localia producunt, primum loquamur) frequentior diarrhoeae, quam *stercoralem*, *crapulosam* dixerunt, occasio est. Hac igitur in specie, non ignota morbi causa, oppressio, inflatio, tensio ventriculi, abdominis, anorexia, nausea, ructus nidorosi, vomituritio, interdum ingestae, nec tamen subactae, vo-

mitus materiae, borborygmi, circa umbilici regionem dolores divagantes, intercurrentes, lancinantes, flatus, sulphur accensum olentes; ac tandem, ani ardore, faeces copiosae, pultaceae, liquidae, corruptae, foetidissimae, sublevantes, unam alteramve per diem, — debiles, litteratos, aut senes apud homines per longum nimis tempus, sub insigni virium languore, nec sine omni illorum discrimine, sequuntur.

Verminosam diarrhoeam, praevia vermium symptomata, pituitae, quasi vitreae, copiosa per alvum excretio, tum istius, tum animae foetor specificus, faeces griseae, magis vero corruptorum exuviae vermium, aut vermes ipsi, tum vivi, tum mortui, per intestina secedentes, interdum sanguis purus, vix multus, cum istis vel sine istis excretus, distinguunt. Pueris haec frequentior quam adultis, diarrhoea est; interim et istos haec, *epidemico* subinde imperio, divexat. De *recti* intestini, quam *ascarides pollicares* ac alia excitare consuescunt, *medorrhoea*, alibi (§. DXXX.) locuti jam sumus.

Biliosae diarrhoeae symptomata, fallacitatis sunt plena. Nec etenim semper, cum, sub oris amarore, anorexia, nauseaque, viridia per alvum praecipitant, bilis abundantia, vel acor, diarrhoeam induxit. In languente infantum, lacte vescentium, ventriculo, acida nonnunquam praedominat bilemque viridi colore tingit, materia. Dentitionis sub opere, quin hepatis secretio vitiata videatur, viridissima est alvus; ipsa animi pathemata, colorem bilis excretae non parum immutant. Est tamen, ubi bilis in fellea vesicula, ob calculum aliasque rationes, detenta diu, ablato demum obstaculo, intestina inundet, suaque tum copia, tum vero acredine, diarrhoeam colicosque dolores inducat. Est, ubi hepar ab ira effreni specifica, vel a stimulo quocunque excitatum, bilem majore in copia, vel a sana diversam, secernat. Cum interim ardente sub sirio, diarrhoeas, ex *bile*, per calorem atmosphaerae magis *rancescente* plerumque derivaverint pathologi: non satis in leges vitales, quae humores sibi subjectos a spontanea corruptione tamdiu conservant, — nec satis in ea, quae, ut alibi monuimus, sub ciborum cum oleo frictione, tot gentibus communi, nec

certe rancidum olente, contingunt, — nec demum in methodi medendi, his diarrhoeis, ut vocant, biliosis, magis opportunae rationes, satis attenti fuerunt.

Diarrhoeam a drasticis, venenis exortam, dolor ventriculi intestinorumque atrox et has partes quasi perterebrans, cum siti insigni, comitatur. Sequuntur saepe ipsius cholerae symptomata (§. DCLXXV.) alvusque varia, et tandem saniosa, vel cruenta, tenesmoidea frequentissime movetur. Obscura interim hujus mali, nisi causa ejusdem satis pateat, vel et chymico eruatur examine, diagnosis esse consuevit.

Vel sola materiae per alvum secedentis indoles, qua faeces modo paucae, solutae, sed laticis aquosi ac tenuis, vix tincti, quamplurimum, quin sphincter ani tam facile coërcere hoc possit, cum impetu, non sine acoris, caloris ad anum sensu, praecipitat, de *serosa diarrhoea* testatur. Plurimi autumno, ubi corpus et aestate, et subinde meridianis caloribus agitatum, subito frigore corripitur, in levitatem, seu quasi *sudores intestinorum*, aut inversam fere transpirationem, qua humor multus, aquae similis exit, etiam pluribus diebus, incidunt. Tormina plerumque, sat acuta, flatuumque exclusionem urgentium fallax sensatio, praecedunt; sequitur et citior, et magis abundans per alvum excretio: quo tempore et cutis augetur siccitas, et urinae parcius fluunt, et sitis increscit, et vultus, vel et corpus universum, forsitan anasarca laborans, citius collabitur. *Coryzae* (§. DVIII.) persimilis hic morbus, ac ejusdem hinc inde originis, seu verus *intestinorum catarrhus* est: quo, pro magna istorum superficie, ac pro tunicae villosae extensione amplissima, tensionis primum ingratae in abdomine sensatio, alvus quidquam tardior, vel etiam obstructa; mox vero, — copiosioris atque acrioris hîc secreti humoris effectu, qua ratione drastica id ipsum remedia efficiunt, tormina, alvique urentis frequens ac liquida depositio sequuntur. *Serosa* videbatur, non erat, diarrhoea, quam in presbytero *Ticinensi* observavimus, atque alibi descripsimus, — *urinalis* magis dicenda: quod lotio, per ulcus vesicae rective intestini, in hoc ipsum fluenti originem debuerit. A paucis interdum granis *calomelas*, aliquot per dies, forsitan ob luem

contractam; ingestis, largior, quam blanda vis evacuans remedii potuisset, humoris scilicet serosi, acrioris, ac *salivae* quasi *pancreaticae*, fluxus procreatur.

Vel sequatur *serosam*, vel talis ordiatur, *diarrhoea mucosa*, *pituitosa*: folliculorum, qui copia prorsus insigni intestina, potissimum crassa, viscoso blandoque humore ubique defendant, interdum *localis*, haec morbus est; saepe totius systematis e vitio propullulat. Verisimile est, intestinorum gravedinem, primum eosdem in istis, quos coryza ipsis in naribus (§. DVIII.), — vel quos, in obscoenis, *medorrhoea* urethralis (§. DXXI), vaginalis, vel contagiosa (§. DXXIX.), vel insons (§. DXXXII.), tum ani illa (§. DXXX.) agnoscit, effectus producere. Etsi vero prima morbi illius rudimenta minus certa sint, quam illa *nasalis* catarrhi; plenitudinis tamen et hic sensus ingratae percipitur: morbosam intestina sensibilitatem prodere, venter turgere, tendi, flatibus vexari, dolere, tardiusve excernere, tenuiorem primum et acrem calidumve humorem cum nisu expellere, tandem vero *pituitam morbosam*, nunc pellucidam, fere *vitream*, gelatinae instar tremulam, inodoram interdum, frigidissimam, nunc turbidam magis, subalbidam, aut griseam, puriformem, — nunc flavescentem aut viridescente colore instructam, — nunc striis sanguineis notatam, — nunc parum olentem, nunc foetidissimam, vel minore, vel majore copia, aut frequentius, aut rarius, cum summo interdum dolore, cum symptomatum levamine, haud raro inconstante, — nunc acuti, cum locali folliculorum inflammatione stipati, morbi ingressu, — nunc adfectionis chronicae, interrupto saepe, et cum alvi obstructione non raro alternante, sub ordine, cum virium vitalium et nutritionis decremento, longe quam alibi majore, effundere observatur. Tanta aliquando pituita intestinum, a morte, repletum comparuit, adeoque intestini tumuerunt folliculi; ut digiti tantum crassitiei foramen in illo, ad faeces transmittendas superesset. Fuit adeo, cui crassa pituita ventrem omnino, lethali cum eventu, suppresserit. Debilium, compagis laxae, scrophulosae, catarrhis frequentius obnoxiae, *diarrhoea mucosa* morbus est quidem; sed *epidemico* nonnunquam influxu tum corpus universum aegrotat,

febricitat; tum intestina praecipue affecta, fere omnem humorum massam hîc in tenacem, amicam vermibus, pituitam convertere videntur.

Diarrhoea cruenta foetus vix utero exclusos interdum corripit, discrimine nunc plena, — nunc, etsi tanta quantitate cruor per alvum excernatur, ut linteamina plane sint sanguine imbuta, minori tamen cum periculo incedens. Ex loco vasis haemorrhoidalibus superiore hic sanguis, nunc fluidus, nunc vero congrumatus, per intestina descendit: vel solus, vel faecibus, repetitis subinde vicibus, ac plures per hebdomadas alvo, quin dolorem prodat infans, excernendus. Marcor interim ac debilitas hunc morbum comitantur; nec vulgi timor, hunc fluxum lethalem pronunciantis, semper vanus est.

Diarrhoeae sthenicae, quamvis sat rara, exempla tamen hinc inde, quod de *peripneumonia*, jam notum est (§. CLXXXVI.), occurrunt: vel ex fluxu menstruorum, haemorrhoidum, lochiorum, per causas irritantes compresso; vel ex congestione sanguinis in vasis gastricis plerumque repetenda. Excitante, diarrhoeam hanc cohibente sub methodo, febris, nisi quae jam adfuerit, illi superadditur; vel presens augetur; tormina, ventris moles, durities increscunt; ac ipsa demum *enteritis*, cum gangraenae periculo, subnascitur.

Aliquam cum diarrhoea mucosa, quae chronica est, affinitatem referre videtur quidem illa, quam *ventriculosam passionem*, *fluxum coeliacum*, veteres, — recentiores vero *diarrhoeam lacteam*, *chylosam*, salutarunt. Magna interim, circa morbi hujus indolem, inter omnes contradictio est. Hic etenim, cum liquidi alimenti incocti profluvium, et *dimidiam* quasi *lienteriam*, hunc vocavit; alter, *chymosam*, *chylosam* alvi dejectionem nominavit; tertius, in eo, ventrem nihil reddere, ac ne spiritum quidem transmittere, in ipsius vero ventriculi porta consistere praetendit. Fuit, qui sat frequentem, et infantibus familiarem esse morbum, asseruerit; dum alius, rarissimam hanc, et a paucis conspectam, aegritudinem appellaret; ac tam parcas esse morbi hujus descriptiones succinctas esse moneret: ut vix ratio ex illis, cur non pro *inveteratae diarrhoeae* specie habeatur, eluceret: abundantes hîc alvi

dejectiones occurrere plures asserunt; ab alio, paucas modo ad drachmas expulsam ano materiam ascendere refertur. Nec potuit sane, si ex solo faecum aspectu externoque habitu, eandem judicari praetenderint, morbus idem non alius aliusque videri. Nunc etenim, vel uno eodemque in aegro, alba, chyloque, vel cremori lactis similis, — nunc pultis cinerei coloris, inodora materia, nunc cocti ac dissoluti fere hepatis, — nunc argillacea quasi ac subgelatinosa, — nunc diversi coloris, sanguine adeo hinc inde striata, substantia, — quin igitur in morbo ipso magni quid mutatum esse dici queat, — per alvum dejicitur.

Nos vero, in eo *coeliaci fluxus*, a caeteris diarrhoeae chronicae speciebus, differentiam collocamus: quod, etsi ingestorum male subactorum aliquae reliquiae simul hîc alvum saepe deserant; non tamen istae, ut in illis alvi profluviis, sed *fex puriformis*, lutulenta, *ab intestinis morbose secreta*, profluvii hujus alvini materiam constituat. Recte sane illis, qui *chymum*, aut *chylum* hoc in morbo intestinis aufugere dixerunt, oppositum fuit: quod, etsi diu aut parum, aut nihil ciborum assumpsissent aegroti; non minor tamen albescentis illius materiae per anum his contingat jactura; ac eadem, sine dubio, si alterius coloris, consistentiae, materiae, longe quam ferrent ingesta, copiosius ac subliquida ex alvo dejiciantur, objectio valebit. Hinc *tabi* pulmonum pituitosae (§. DXIII.), *medorrhoeae* tum ani, tum uteri insonti (§§. DXXX. DXXXII.), vel magis forsitan *diabeti* (§. CDLXXVIII.) persimilem esse *fluxum coeliacum*, ac *tabem puriformem, lutulentam tubi intestinalis* constituere putamus. Quem nempe *fraxinus excelsior*, dum cortex illius ex incisione, vel sponte plorat, succum mellitum, *mannae* sub nomine venientem, — ut renes in diabete saccharinam materiam, secernit: hanc intestina, in *fluxu coeliaco*, varii variique aspectus materiam, chemiae sanae adhucdum examine egentem, morbosa secretione preparare, nec a stomacho recipere, sed ex massa humorum extrahere, perficere videntur.

Nosse vero, monente vetusto jam artis magistro, oportet: quod aliquando, quidem per circuitus malum

hoc affligat temporibus quibusdam alvo restitante; quibusdam vero ordinate per horas fluente; aliquando vero incessanter appareat. Comes *mediolanensis*, quem ex hoc morbo, jam per annos durante, tractavimus, pallidi et cachectici coloris senex, saepe per octo, et quindecim per dies, sat bene valere, cibos appetere, videbatur; cum illico, borborygmis praecedentibus copiosis, ventre turgente ac tenso, nec sine aliqua instantis deliquii sensatione, quam plurima ex ventre egereret, pultacea, fluidiora, cinerei vel et albidioris coloris excrementa spumantia, foetidissima. Tabes vero ac lenta febricula hunc morbum, tarde lethalem, comitatae sunt. Felicior sors viri fuit rustici, *Ticinensi* in clinico Instituto a nobis pertractati; ac alterius, sexagenarii, *Vindobonensis*: quos, eodem modo, jam duobus abhinc annis, affectos, integrae sanitati restituimus.

Etsi *lienteriam*, seu levitatem intestinorum, a *fluxu coeliaco* non aliter quam in eo differre a quibusdam defensum sit, quod iste, actionem tubi intestinalis *imminutam*, — illa vero, *abolitam* praesentaret; ex illis tamen, quae de fluxus coeliaci origine statuimus, apparet: quod cum iste, secretionis morbosae magis effectus sit; *lienteria* potius motus tum ventriculi, tum intestinorum peristaltici vitiose aucti phaenomena exhibeat. Hoc scilicet chronico in morbo, cibi potusque, quales assumpti fuerunt, tales fere, quin eorum consistentia et color, aut odor, aut externa quaevis constitutio, vel multum, vel aliquid mutata sint, citra sanguinis aut bilis complexum, cum nutritionis jactura, seu tabe, diu expelluntur intestinis; ac ingesta, ut clari viri verbis utamur, non quia incocta permanent, cito dejiciuntur; sed quia cito dejiciuntur, idcirco nullam habent coctionem. Sat saepe lienteriam praecedit, raro comitatur, fames canina. Sunt, quos, hoc morbo adfectos, anorexia, gravitas ventriculi, nausea, ardor in hypochondriis, et ingens cibi fastidium, subinde ptyalismus, interdum ventris dolor, divexent. *Popularem* saepe esse *lienteriam*, quod magni quondam nominis pathologus asseruit, nos quidem haud vidimus: vix enim, quae post dysenteriam his illis, secundario effectu, contingunt similia, tam generali quidem epitheto sunt digna. Nec porro brevem illum

quorundam, ex devoratis, nec per dentes confractis, subactis leguminibus, pisis, lenticulis, oleribus, particularum crudarum, et inconfectarum, apud sanos etiam, magis vero apud infantes, ac vitae desidis apud homines; secessum, — utpote nec liquidum, nec foetore consueto privatum, nec viribus infestum, *lienteriam* vocabimus. Lienteriam vehementem, tertianae febris in modum *periodicam*, in sene nobili, octogenario, *Ticinensi*, observavimus, ac peruvianum per corticem cum opio sanavimus.

Aliena quoque ex culpa, intestina profluvium, — quin hîc de illo, quod (§§. DCXII. DCXIII.) tetigimus, loquamur, — succi morbosi, partim non sui, patiuntur. Quasi modo *hepar* hunc funderet, quoties excrementa seroso-cruenta; et aquae, in qua carnes nuper mactatae demersae, ablutae fuissent, similia; vel materia saniosa, ichorosa, cruenta, carnea, bili interdum remista, tractu temporis vero crassa et atra, per alvum secedebant: toties et *fluxum hepaticum*, vel *hepatirrhoeam*, *hepatis atoniam*, adesse, credidit, ac tali modo correptos, *hepaticos* vocavit. antiquitas. Atqui tamen non magis ex *hepate*, per ductum choledochum, vel illius ex ulcere, cum intestinis duodeno aut colo, praevie concreto, ac in unum ex istis patente, — quam ex *splene*, *pancreate*, *mesenterio*, inflammatis, suppuratis, tum pus cum sanguine remistum, tum ichor, aut sanies cruenta, effluere, intestina stimulare, alvumque frequentiorem, liquidam, dicta jam materia notatam, excitare valebit: quo in casu, hoc malum *fluxus splenici*, *pancreatici*, *mesenterici*, — vel quocunque ex loco stillaverit, illius nomen merebitur.

Exspectabitur sane, ut tam diversa puris, ichoris, saniei, intestina alluentis, origo, distincta quoque inter se agnoscat, alibi partim pertractata (§§. CCXLIX. CCLIV.) symptomata; nec tamen haec tam certa ubique esse, quin errori sit locus, dixerimus. Altiore loco, et ex matre rachitica, *plica* quondam polonica laborante, progenita virgo, cephalaea pridem insigni, diuturna, epistaxi, erysipelate posthinc faciei, — ab his vero, hepatis dolore dirissimo, cum febre correpta fuit. Intumuit hoc viscus et lien praegrandem

in modum; febris lenta exorta est; hydrops abdominis, oedema pedum, sudor nocturnus, pertinax diarrhoea, cum fame quasi canina, capillorum defluvium, vigiliae continuae, summaque elegantis pridem corporis macies, secuta sunt. Hoc in statu, quinto fere aegritudinis anno, perlongo ex *Rossia Vindobonam* instituto itinere cadaveris sub habitu, nostrum hîc exploravit consilium. Etsi conclamato adeo aegrotantis sub statu, unde hoc capiendum esset, haereremus; recusare illud in totum nolentes, viribus primum vitalibus, cum victu debito aliisque subsidiis, quantum licebat, prospeximus. Columbo radicis, paucique opii usu diarrhoeam, a sic dictis resolventibus continuo hucusque auctam, ante omnia moderavimus. Hepatis lienisque regionibus praeduris, unguentum ex hydrargyrio caute inunximus; urinarum dein fluxum, digitalis ope purpureae, adauximus; febrem lentam, cum elixirio vitrioli et corticis infuso frigido impugnavimus. Post duos fere menses, tumor viscerum et abdominis, mediam sui ad partem, consederat; febris quamplurimum, ut fames morbosa, sudor nocturnus, imminuta erat; pedum oedema disparuerat, rediitque optatus diu somnus. Ab hoc quidem, roseus genis color restitui, corpus universum nutriri, ac vires adeo, ut montem urbi vicinum alacris ascendere potuerit, increscere coeperunt. Sed dolor ad hepar sat magnus, et diarrhoea hinc inde redibant: et quod alvo exibat; illud *puri*, aut lactis cremori, sub nova virium jactura, ac febris sub reditu, erat simillimum. Hepatis interim tumor, hoc ipso sub alvi profluvio, magis subsidere cernebatur. Aquarum in abdomine moles, fluctuatio, multum quidem imminui, sed nunquam disparere sunt visae; urinae, mox turbidae, rarae, — mox clarae, citrinae, nec adeo paucae fuerunt. De abscessu in hepate latente, mox clauso, mox aperto, jam diu subintraverat suspicio. Redux in patriam, meliore certe salutis sub statu, virgo, sensibilem in modum florere, pinguescere, amicas frequentare incoeperat; cum hiberno sub gelu, dolores ad hepar iterum ingentes. pungentes, mox vero pulsantes redire, jecur magis magisque intumescere, nec attactum perferre, — aquae in abdomine, sub urinis parcissimis, jumentosis, au-

geri, — febris lenta aegram depascere, vomitus hinc inde biliosus accedere, sudoribus nocturnis corpus resolvi, de novo conspicerentur. Alvus nunc saepius, tum indolis purulentae materiam, tum faeces biliosas, viridissimas, saepe atras et liquidas deponere, semper vero hepatis dolorem, tensionem ac molem imminuere coepit. Nunc erysipelatis in facie gravioris duplex eruptio, et tussis aspera accessit; nec tamen febris ab illa imminuta, sed aucta fuit; et pedes et abdomen insigni mole tumebant. Icterus, si album oculorum excipias subflavo colore tinctum, alibi corporis certe nullus. Suscepta nunc, aegrae diu optata, paracenthesis abdominis, sanguinis et fluidi et coagulati permultum, cum lympha. ex aëris attactu mox in gelatinam convertenda, sub extrema virium jactura, dedit. Post mensem, febre, macie perpetuo adauctis, aquis iterum ubique collectis, vomitu, aut potius eructatione frequente, aeruginosa, tandem vero cruenta, copiosa succedente, atrocibus in ventre doloribus praemissis, tandem suffocatis, diarrhoea vero cessante, tam longis vitae miseriis a morte impositus est finis. Abdomine aperto, cum aquas permultas, ex tanto ejusdem tumore, effluxuras putaremus: sat paucae lentius secutae sunt. Hae scilicet aquae in tela cellulari laxissima, ad intimam peritonaei superficiem, non sine praevia inflammatione, generata stagnabant; nec nisi eadem hinc inde incisa, *hydropem telae cellularis morbosae subperitonealis* sistentes, profluebant. Hic contextus cellulosus, intestina, undique gangraenosa, laxe revinciebat. Lien mole parum auctus, substantiam tamen hepatis, propria firmiorem, offerebat. Hepar, justo majus, convexa sui parte a pseudomembrana densa, albescente, obtectum; superficie vero concava *aureo prorsus colore* ubique splendebat. Idem vero color aureus totius parenchymatis hepatici, dissecti, quod substantiam attactu mollem, *spongiae* compressae similem, et quasi maceratam, sed tamen elasticam, referebat, repertus fuit. Vesicula fellea collapsa, bilis parum, et quidem atrae, continebat. *Nullibi vero abscessus comparuit.* Cavum pectoris utrumque, sanis pulmonibus instructum, aquis copiosis repletum fuit.

Sanies quidem, hoc in exemplo notabili, manifesta

per alvum excreta non fuit; sed *chronicae hepatitidis*, de qua et pseudomembrana jecinoris convexi testabatur, — et suppurationis hoc in viscere absolutae, nec ulla defuerunt symptomata. Quae per alvum continuo fluxerunt, ea *puris* certe imaginem offerebant; nec tamen verus, ut dictum est, abscessus hepaticus se obtulit. An intacta tela cellulari hepatis, omnis istius visceris substantia, huic intermedia, tam parum intellecta, abscessus specie singulari, exhausta, — ductus vero hepatici, qui bilem omnem in telam cellularem evomerent, errosi fuerunt? Saepius certe hepar omne subflavo colore tinctum reperimus; sed *aureum* illum colorem, quem *cystica* modo bilis largiri posse videretur, parenchymatis scilicet hepatici, ac hoc ipsum in substantiam, quam descripsimus, spongiosam, nec tamen collapsam, conversum, in millenis cadaveribus nec unquam videre nobis contigit, nec ab aliis adnotatum percepimus.

Sed non semper hoc in fluxu hepatico, aut alio, *ulcerosam* viscerum substantiam in causa esse: patet tum ex eo, quod in aegris *scorbuto* correptis, ille hinc inde occurrat; tum ex illo, quod ipsa *febris intermittens perniciosa* sub *fluxus hepatici* imagine, per corticem peruvianum delenda subinde comparuerit. Nec febris fluxum omnem hepaticum, nisi jamjam provectum, nec cibi hauriendi desiderium ubique comitatur.

§. DCLXXXIV. *Causae.*

Quae *sano* in homine fibras ventriculi. intestinorum, ut inferiora versus per vices se contrahant, impellunt; — quae sanguinem ad vasa gastrica vel alliciunt, vel cogunt, — quae organa secernentia, quae ex cruore his advecto, humorem sibi proprium praeparent, ac vaporis, muci, bilis sub forma, effundant, disponunt; — quae collectos hic loci succos, quin fere crudos sese in sanguinis torrentem praecipitent, — ac faecales materias, quin aequo promptius, aut lentius descendant, impediunt: — ea *excretionis alvinae*, aetati, sexui, temperamento cuivis praescriptae, rationes in se continent.

Quae vero ventriculi, intestinorum sensibilitatem,

irritabilitatem intendunt; aut, quod *aphthae deciduae* faciunt, internam superficiem decorticant; aut aequo magis has partes vel ipsas, vel consensu majore sibi affines, e longinquo exstimulant: ea non modo actiones illarum, secretiones omnis generis, sollicitant, adaugent; sed has ultimas quoque *pervertunt*, ac primae causae stimulanti, ut novum stimulum superaddunt. Scilicet ut oculi a cepis, a fumo, — sic intestina a fructibus horacis, a fungis, cucumeribus, melonibus, a cibis fermentantibus, contrariis, pinguibus, semicorruptis, ingestis, aut a potu copioso nimis dilutis, ab acri, a vermibus, saburris, a bile, succo pancreatico aut copia aut indole peccantibus, ab ipsis adstringentibus, vel quovis a stimulo, maxime specifico (nisi summo, utpote qui secretiones magis suspendit ac supprimit) forsitan et a contagio, a congestione sanguinis, vellicata lacrymantur, ac profluvii alvini materias, nunc sero, nunc glutine mucoso, puriformi, nunc vero acido, bilioso, vel etiam sanioso principio ditiores, et illis, quae proprio in cavo stagnarunt, remistas, effundunt.

An praeter has causas, *secretio faecalis materiae*, quin ciborum reliquiae hanc dederint, *ex sanguine* in tubum intestinalem contingit?... Physiologi hoc videant. Scilicet quod in *foetu*, novem per menses jejuno, colligitur, *meconium*. — quae in morbis diuturnis, quin (liquidis exceptis) ulla alimenta multo a tempore coepissent, ab aegris, jam saepe nimis exhaustis, interdum copiose alvo redduntur, suspicionem nobis movent; et cum *lotium* renes nunc clarum, nunc turbidum praeparant, — cum ipsa vasa cutanea *sudorem* impurum ad pellem exhalant; cur intestina humorem *lutulentum*, faeces specificas depositurum, non *secernerent*, et vel solum, vel ciborum subactorum reliquiis intermistum non emoverent?

Saepe fluxus alvinus, serosus nempe, aut mucosus, ut diximus, inversa modo, ex refrigerio externorum, ex terrore, transpiratio, sudor, vel et catarrhus, rheuma intestinorum est. Vel iniqua, ex cute resorpta, exanthematum, *variolarum*, *morbillorum* inprimis, impetiginum variarum, ulcerum, vel ex viscerum vicinorum latente abscessu intestinis advecta materia, simile,

vel etiam puriforme, purulentum, saniosum ex illis provocat profluvium. Vel ipsum, ex ulcere vesicae in rectum intestinum patente, effluens lotium, diarrhoeam excitavit urinalem (§. DCLXXXIII.). Nunc sola fibrarum intestinalium *laxitas*, diarrhoeae, ut causa, subjaceat? — ideo, quod, nisi morbosa simul sensibilitas eidem praesideat, vix uberior abhinc secretio exspectanda sit, dubitamus; ac in ipsa vesicae et ani paralysi, urinae quidem faecumque fugam, — haud vero secretionis augmentum, aut indolem secreti humoris mutatam observamus. Etsi vero glandularum mesenterii infarctus post chronicas diarrhoeas in cadaveribus hinc inde fuerit repertus; vix tamen ille solus, quod chyli vias praecludat, cum tam saepe major ac summa illarum obstructio diarrhoeam pro effectu non agnoscat, istius culpam, — nisi rodens ichor ex illis suppuratis intestina vicina penetraverit, — habebit.

Certe vero universi magis systematis, quam propria, locali adfectione, intestina rapiuntur in, quaecunque demum, profluvia: et cum talis assertio per morbos asthenicos diversae indolis, toties a diarrhoea viribus vitalibus iniqua jam abunde confirmetur; majus adhuc eidem argumentum ex *febris intermittentis* diarrhoicae, exemplis, cholericae, ac similis naturae ex fluxu hepatico (§. DCLXXXIII.), accedit. Ipso dentitionis sub opere, sub peripneumonia, in peritonitide puerperarum, ac in ipsa metritide, saepissime, nunc utilis, nunc perniciosa, nec sine habito principalem ad morbum respectu sananda, diarrhoea excitatur: frequens diarrhoeae, inprimis chronicae, causa in praegressa *dysenteria* (§. DCLXXXVIII.) quaerenda est: non quod veterum opinio, ac si *intestinorum cicatrices*, ex illa pedisequae, hoc profluvium producerent, fundata sit; sed quod summa tubi alimentarii ex fluxu dysenterico debilitas, sensibilitas in morbosas secretiones tam prona, et longiori ciborum retentioni tam contraria, diu supersit.

Quid *cruentam recens natorum diarrhoeam* producat, non satis id patet; nec quae dubia haec solverit, infantilis hoc morbo enecti sectio cadaveris nobis hucusque innotuit. Vasis intestinalis varicem connatam huic phaenomeno subesse, modo suspicamur.

Quid de *lienteriae*, de *fluxus coeliaci*, *hepatici* causis

sentiendum sit, sub ipsa horum profluviorum descriptione (§. DCLXXXIII.) partim jam innuimus. Minus adaequate veteres sola intestina, et istorum praecipue *levitatem* justo majorem, *lienteriae* ut causam, accusarunt. Ipse nempe ventriculus, — etsi tanta *pylori relaxatione*, hoc in morbo quondam, sed et sine isto, reperta, haud opus sit, non minus hic quam intestina, afficitur; ac praematuro in haec ciborum, nec dum subactorum, descensui favet: ita ut vis expellens, irritabilitati istius morbosae, ac stimuli, etiam mitioris, impatientiae innixa, universo hoc in tubo superabundet. *Fluxui coeliaco*, prout jam indicavimus, secretionem morbosam, specificam, ab illa, quae *diabetem* inducit, non longe diversam, nec tamen ideo hac ipsa magis intellectam, sublatere opinamur. *Fluxus hepatici*, aut similis, rationes, in jecinoris, aut alterius in visceris *abscessu* in ipsa intestina patente, derivavimus quidem; ast vero saniosum, subcruentum humorem, sine ulcere interdum posse *secerni*, intermittens et *periodica* hujus fluxus natura jam satis manifestat.

§. DCLXXXV. *Prognosis. — P. lienteriae. — P. fluxus coeliaci. — P. fluxus hepatici.*

Diarrhoea pro magna sui parte *symptomatica* est: hinc *prognosis* ejusdem, ex morbis, quibus jungitur, non minus, quam ex ea ipsa, quae hos facile aut exasperat, aut, ex adverso, imminuit, petenda, et aliis hujus operis e locis eruenda erit. In genere, si, quae evacuari oportet, evacuentur; bonum est, — et quae cum constante satis levamine fluunt, salutaria sunt. Etsi vero tum color, tum foetor eorum, quae alvo redduntur, ut saepe jam monuimus, non satis certum de morbi causa judicium ferri sinant; nullum tamen alvi profluvium est, in quo excretorum inspectio. — non tam sola, quam aliis diagnosis atque prognosis subsidiis juncta, ad has conferre non possit, ac debeat. Quae praeter conscientiam adultis fluit alvus: ea vel de praesente delirio, vel de extrema virium jactura testatur. Si, fluente licet alvo, meteorismus accedat, aut praevius augeatur, malum est; pejus vero, ubi singultus aut vomitus simul aegrum divexant. Quae

morbis diuturnis, atrophiae, tabi, hydropi, scorbuto, etc. supervenit, rebellis diarrhoea, lethalis est. Benignos certe diarrhoea effectus agnoscit, quoties ingluvies et crapula primas vias cibis, quibus hac subigendis sunt ineptae, opplevit; aut quoties vermes copiosi, alia corrupta materia, vel ex viscere vicino, vel ex toto systemate, has alluit, ac tumida hypochondria ex hinc subsidere, functionumque in isto libertas redire cernuntur. Hinc morbi chronici diversi ac difficiles, exemplo arthritidis, epilepsiae, melancholiae, maniae, paralysis, hydropis, surditatis, febrium periodicarum rebellium, obstructionum antiquarum, suborta diarrhoea fugantur interdum; saepius ex eadem praeceps augmentum assumunt. Diarrhoeae scilicet protractae, aut nimis abundantes, nutritionis opus omne praescindunt; sua corpus substantia exhauriunt; tabem, leucophlegmatiam, oedema pedum, ac lethalem tandem hydropem inducunt. Flatus sub diarrhoea rebelli diu retenti, nunc per alvum exeuntes, sonori, vires intestinis vitales redire testantur. Diuturnum alvi profluvium, superaccedente vomitu spontaneo, subinde conquiescit; saepius, adjunctis simul torminibus ac febre, alvo nunc clausa, gangraenam instantem praenunciat.

Facile ex istis, quae *lienteriae* sit *prognosis*, elucet. Aestate consistente, vel sub autumno, praegressae dysenteriae ratione, illa magis occurrit. Senibus plerumque lethalis; pueris, junioribus, minus perniciosa est. Quae febris indolem periodicae legitimae assumit: ea, cito satis hae recognita, medelam admittit. Quo vero diu noctuque magis assidua est; quo diutius, sub siti paucisque urinis, sub ciborum appetitu prorsus abolito, ac oris cavo ab aphthis obsesso, perseverat; et quo graviores morbos consequitur: eo magis exitialis erit. Respiratio difficilis dolorque lateris, vicinam aegro hoc fluxu laboranti tabem praedicunt. Lientericos tandem tumescere, haud rarum est. Ascites, ventris tormina, ac vermium egestio, — quod ultimum tam tarde hîc fieri nos ipsi non vidimus, interdum praecedunt.

Quod si *fluxus coeliacus* nihil praeter *dimidiam*, ut multi voluerunt, *lienteriam* foret: sequeretur exinde, dimidia quoque illi, istius esse pericula; sed aliam

primo ex dictis profluvio, ac *diabeti* non absimilem, esse indolem, non sine magnis argumentis suspicati sumus (§. DCLXXXIII.); et sic majora eidem, quam ipsi *lienteriae*, discrimina jamjam attribuimus. Interdum quidem fluxus coeliacus aegros trahit, sed alios subinde praecipitat. Saepius hic morbus absque causa manifesta desiisse videtur; sed leviori ex vitio jam denuo revertitur, ac tandem, maxime in senibus, in tabem, anasarca, ipsamque in mortem ruit.

Fluxus hepatici discrimina non minus ex ipsa hujus morbi descriptione (§. DCLXXXIII.) jam satis patent. Affinitatis quidem iste, cum *melaena* (§. DCXIII.) interdum non parum habere videtur; sed causarum et symptomatum ratio, quam, praeter fluxum cruentum, uterque morbus agnoscit (§. DCXIII. DCXIV. DCLXXXIII. DCLXXXIV.), ac diluti magis, et quasi saniosi, in fluxu hepatico, profluvii cruenti conditio, — etsi et in hoc, morbi sub fine, sanguis multus praecipitare ex ano possit, diagnosin prognosinque conducent. Vidimus et nos *divi senis* effatum; « quod, secundum jecur, aut lienem suppurati, si pus album exiverit, serventur, » confirmari: scilicet ubi febris demum et ipse ille fluxus brevi tempore conquieverint. Amurcam quasi olei excerni, lethale est; nec melior sors illorum, qui ichorosa, livida, aut nigra, rebelli ac pertinaci fluxu deponunt, continuo febricitant, ac tabe indies adaucta, cruribus ventreque intumescunt, dicenda erit.

§. DCLXXXVI. *Cura diarrhoeae, — gastricae, — biliosae, — a drasticis, venenis; — serosae, — mucosae, — verminosae, — cruentae recens natorum, — sthenicae, — chronicae. — Cura fluxus coeliaci ac lienteriae. — An drastica? — Cura fluxus hepatici.*

Qui ad causas hujus morbi (§. DCLXXXIV.) respexerit: is nec quodvis alvi profluvium illico sistendum, — nec cujusvis diarrhoeae sanandae rationem hoc loco quaerendam esse intelliget.

Quotiescunque scilicet vellicans intestinum materia, *saburra*, *vermes*, *venenum*, *drastica* remedia, humor alibi morbose secretus, vel retentus, ac totius eum beneficio huc affluens per ipsam, quam movent, diar-

rhoeam excuti jam possunt: toties non adeo sistendi, quam potius, fovendi,—vel, si pigrius materiae moveantur, etiam promovendi alvifluxus indicatio subintrat. In ea igitur diarrhoea, quam crapula, saburrarum collectio, vermes corrupti, bilis copia vel indole peccans, producunt: praeter infusum tenue florum chamomillae, aut herbae theae, nihil, — aut illud adeo radicis rhei, quod causam diarrhoeae certius climinet, praescribimus. Excitatus cum radice ipecacuanhae vomitus, — si constans nausea, vomituritio, ructus nidorosi, superiora versus turgere materias docuerint, — istarum ad intestina descensum, ac taediosam nimis exinde diarrhoeam, citius praescindet.

In bilis abundantioris, acrioris ad intestina confluxu, serum lactis, decoctum tamarindorum, fructus horaei maturi, parvae cremoris tartari doses, agent. Si talia profundius intestina irritare videantur: clyster ex aqua, vel sola, vel oxymelli juncta, ex sero lactis conducet.

Quam *drastica*, *venena* induxerunt, diarrhoeam, in primo casu, oleosa, emulsio arabica, lac tepidum, tam ore, quam ano, sat copiose ingesta, — in secundo vero celerrima veneni rejectio, vel cognita ejusdem indole, antidota ex toxicologia repetenda, non aequali semper hîc fortuna, frenabunt.

Cum suppressa cutis universae, vel pedum consueta transpiratio, intestinorum illam adauxerit, ac *serosam* diarrhoeam excitaverit: quae illam restituant, praeter lecti teporem, vel pediluvium, infusum sambuci, pulvis *Doveri* conducunt. Emulsio arabica, opii cum grano juncta, vel aequa theriacae portio in sambuci infuso hausta, nimium hunc et intestina torquentem fluxum compescent.

Dentitionis ex opere succedens diarrhoea, nisi nimia, illius plerumque sublevat symptomata. Sub fortiore, quam par est, alvi fluxu: gingivarum, ut alibi docebimus, habenda ratio, atque ad syrupum diacodii, aut ad leves opii portiones, emulsioni arabicae commistas, recurrendum est. Diarrhoeam ex usu mercurii oriundam, istius missio, potus demulcens, semicupium tepidum, fomentatio similis abdominis, vel et hepatis sulphuris solutio frenabunt.

Ad *mucosam* diarrhoeam quod pertinet: ea, si *catarrhi* intestinorum effectus est; non alio certe modo, quam *serosum*, similis originis, alvi profluvium pertractanda venit. Saepius tamen diarrhoea mucosa, febris epidemicae, *lentae* inprimis *nervosae*, *pituitosae*, ut vocant (§. CI.), non semper contagii insontis, symptoma sistit, ad leges contra hanc ipsam praescriptas pertractandum. Radicis arnicae hoc in casu virtutem modo hîc tangimus, iterumque monemus: non in mechanica quasi solutione, evacuationeque tenacis pituitae, sed in recto causae, quae secretionem istius morbosam inducit, moderamine, morbi curam esse ponendam.

Eodem modo, si *vermes* intestinorum folliculos mucosos, quo pituitam copiosius vomant, excitaverint: non haec ipsa adeo, quam illi, curae objectum, alibi a nobis exponendum, constituunt.

Quid in *diarrhoea recens natorum cruenta* indicetur auxilii: id, nisi ex generali haemorrhagiarum tractandarum theoria (§ DLXXXVI.) desumamus, ob causae hujus mali obscuritatem (§. DCLXXXIV.), majore scilicet in hoc experientia destituti, edicere vix audemus. Radicis rhei, vel corticis cascarillae infusum aquosum, — sub majore sanguinis jactura, cum grano uno vel altero aluminis in eodem soluti, et cum syrupo cinnamomi, saltem proponimus.

Diarrhoea sthenica causas, a quibus pendet, vel sola tandem tollit ipsa; hinc minime vel cum opio, vel cum adstringente remedio sistenda est. Si vero lentius, cum torminibus acutis, vel cum febre incedat: praeter victum tenuem potumque frigidiusculum; hirudines, prout vel haemorrhoidum, vel menstruorum, vel lochiorum fluxus per causas excitantes suppressus, et sanguinis in vasorum gastricorum systemate congestio facta sint, vel ano, vel perinaeo apponendae; aut, ubi symptomata inflammatoria urgent, ut in ipsa enteritide (§. CCXLIV.), venae secandae sunt.

Diarrhoeae chronicae rite pertractandae ratio praecipue huc spectat; etsi fateri oporteat, ob causas hujus profluvii saepe vel nimis absconditas, vel cum exiguo successu oppugnandas, incertitudinis ac difficultatis

quamplurimum nos premere. Nullibi nempe major est in morbis gravioribus remediorum, quam in quibus insignis istorum copia venditari solet, penuria. Divitias extollit vel rerum exercitio destituta juventus, vel auri magis, quam scientiae ac sinceritatis amica, plebs medica; senectus, fronte cicatricibus non minus ac lauri foliis cincta, ne imperfectae obsit incremento scientiae, veritatem, in qua sola gloriari fas est, cur reticeat, non habet.

Quae profluvia alvina lentius decurrunt atque hominem consumunt: ea, pro maxima parte vel ex sola ventriculi, intestinorum atonia et morbosa sensibilitate, vel ex universi systematis adynamia simul his juncta, oriunda (§. DCLXXXIV.), excitantem sibi methodum omnino, sed cautam, ne, quae primo contactu intestinalem in tubum agunt, remedia, hunc nimis exstimulent, requirunt. Ipecacuanhae igitur radicis pulvis ad granum unum alterumve, omni bihorio, cum elaeosaccharo macis, adulto aegro porrectus, — quod non minus intestina excitare, quam motum eorum peristalticum paulo invertere valeat, apprime conducet. Ipse adeo vomitus hoc per remedium, si vires admitterent, excitatus, aliquando fuit utilis; ac rebellis diarrhoea, a suscepto itinere maritimo, quo stomachus non paucis subvertitur, hinc inde sanatur. Si media sub diarrhoea, sordes intestinis novae collectae fuerint: pulvis radicis rhei, cujus interim non a sola evacuatione virtus circumscribitur, sub curae principio, vel solus, pauca dosi, vel amaris commistus, illis, quae alvum contineant, praemitti potest. A lenioribus dein hujus indolis remediis, ad magis efficacia ascendendum est. Radicis columbo pulvis, ad scrupulum, ter quaterve in die porrectus, optatos nobis effectus sat saepe praestitisse conspectus est. Radix arnicae singulo bihorio aut trihorio, a drachma dimidia ad integram in pulvere porrecta, in diarrhoea sub typho symptomatica laudes non vanas sibi promeruit. Semen etiam plantaginis veteribus non insolitum, usu medico non prorsus excludendum est. Praeterea cortex simarubae, cascarillae, nucis juglandis, glandes quercinae lignum campechianum, decocti sub forma porrecta, huc pertinent. Aluminis rupei granum unum vel

alterum, cum gummi mimosae aliquoties in die porrectum, gummi kino, aliis proficiunt. Tormentillae radicem, *fabam*, ut vocant, *pichurim*, ab aliis laudatam, nos in usum non vocavimus. Raro cortex peruvianus hoc in profluvio nobis profuit. Si tamen id ipsum *intermittentis* indolem *febris* assumat; sacram omnino ille anchoram constituet. Opium vero vel dictis remediis junctum, vel sola emulsione arabica susceptum, virtutem illorum adauget; vel et sola theriaca sufficit. Pulvis *Doveri*, ad granum unum vel alterum, quovis bihorio, porrectus, pertinacem hinc inde sedat alvum. Diarrhoeam sub typho singulis rebellem, cum clystere ex vino injecto sanavimus. Enemata quoque alia, vel amylo ac opio nupta, hinc inde profluvium sistunt.

Quod si rheuma, podagra, herpes, vel alia impetigo, externa corporis parte derelicta, intestinis vim fecerit: vesicans emplastrum loco pridem affecto impositum, semicupia tepida, conveniunt. Non vano consilio antiquitas, cum acria intestinis incumbentia pro causa morbi agnovisset, lactis recenter mulsi potum commendavit; aqua calcis vero huic superaddita virtutem remedii, recentiorum in manibus auxit. Cauteria adeo veteres ac recentioris quoque Aegypti medici, pertinacis diarrhoeae sub cura, si adhaerens intestinis acrimonia in suspicionem venisset, ventri apposuerunt; diuque locum, vel exustum, vel per pharmaca exulceratum suppurari jusserunt.

Quod si glandularum in mesenterio infarctus et obstructio profluvium alvi chronicum non modo comitari, sed — quod rarius continget (§. DCLXXXIV), producere videretur: remedia, quae illis, ut alibi docebimus, solvendis conveniant, forent praescribenda. Veremur interim, ne vias, quae *chylo* ipsi clausae sint, medicamenta facilius legant; ac certe solventia sic dicta remedia, nisi erigentium, morbi causae oppositorum, ex classe petantur, alvum jam nimis laxam, cum damno aegri laxiorem reddent.

Convalescentibus, tinctura corticis peruviani, chalybeata, aquae martiales cum lacte asinino, equitatio, erunt proficua. In genere vero, quod alibi jam fecimus, monendum hîc est: *adstringentia* sic dicta re-

media majore pondere porrecta, *haud* raro alvum non tam sistere, quam potius augere. Quaecunque vero adhiberi hîc morbi voluerint; nisi ventrem simul pedesque a frigore foveamus, sat raro illa proficiunt. Nec minus vel optima remedia non ob aliam rationem toties incassum adhibentur; quam quod aegri, in morbo tam taedioso, ac tam facile redituro, regiminis strictioris impatientes vix quidquam sublevati, monitis medicorum recalcitrent, ac vel in victu, vel in potu, vel aliis in rebus iterum iterumque delinquant. Hinc summa in selectu ciborum, ac sobrietatis in legibus observandis cura diu, et morbo adeo jam, ut videtur, devicto, ponenda est. Fructus horaei, olera, potusque in fermentationem proni, pingues stomachoque graves, cane pejus et angue fugiantur; panis vero biscoctus, carnes tenerae, assatae potissimum, ova recentia, parca manu, sed sepius offerantur oportet. Potus copiosus, cibos per intestina citius praecipitat: hinc paucus hic esto, vel ex aqua, melius destillata, cui tosta panis crusta et corticis cinnamomi integri portio commissa fuerit; vel, quibus id rerum inopia non vetat, ex vino generoso, non acido, utpote vel cyprino, vel malacense, vel *capense* sic dicto, vel *madera sicco*, ut vocant, vel *tintilio de rota*, etc.

Non alia, quam quae a nobis ad diarrhoeam adynamicam medendi methodus laudatur, ad *lienteriam* et ad *fluxum coeliacum* commendari meretur. De omni quoque diarrhoea chronica, habituali, valet consilium summi scriptoris de medicina latini: » cum in omni fluore ventris, tum in lienteria praecipue necessarium est, ut haec ipsa mora in consuetudinem ferendi oneris intestina deducat «. Quod si *fluxus coeliacus*, cum *diabete* analogiam agnosceret, — quam de hac non minus, quam de variis secretionibus mucoso puriformibus, lente atque cum tabe incedentibus suspicati jam sumus (ut cui objecto per certiora experimenta ulterius investigando praemium ab *Imperiali Academia Vilnensi* nuper publice constitutum fuit): tunc victui animali, ut recentiores in *diabete* curando experientiae, et alios, et nos ipsos docuerunt, — licet eundem supra suaserimus, prorsus foret renunciandum. Senis *lienteria* omnibus rebelli laborantis exemplum in fastis

medicis exstat: cui electuarium ex conservae rosarum rubrarum antiquae, sex unciis, ex theriacae optimae sex drachmis, cum miva cydoniorum confectum, et ad unciam dimidiam, nihil superbibendo, exhibitum, sanitatem restituit.

Etsi vero *sola ratio*, in profluvio alvi provecto, ac sub virium ab eodem inducta majore jactura, usui evacuantium fortiorum prorsus contraniti videatur: ea tamen, qua in *experientiam*, ut rerum magistram ferimur, reverentia, ne casum, *Taurini*, octodecim abhinc annis a nobis observatum reticeamus, nos cogit. Vir scilicet quadragenarius, ab annis jam aliquot diarrhoea laboraverat, omnibus medicorum illius metropolis celebriorum tentaminibus rebelli. Ab egregio tunc temporis Instituti clinici *Taurinensis* professore, qui curam aegri jam diu gesserat, mox a nostro in hanc urbem adventu, in consilium vocati, prognosi, ob tabem summam febremque lentam, et alia pejoris notae signa, vix non certe exitiali instituta, aliqua adhuc, a nobis quondam in aliis proficua visa, proposuimus; sed et ista spem paucam omnino fefellerunt auxilia: cum accedens posthinc agyrta, sanitatem, ut solent, certam promiserit: et hunc in finem *drasticum*, nec tamen cognitum aliis, pulverem exhibuerit. Ad orci fauces hic, alvum enormi effectu movendo, aegrum perduxit; — sed quoque, morbo prorsus abinde devicto, remedium audax eripuit. An *vitrum ceratum antimonii*, in dysenteria quondam a multis laudatum, nec tamen semper in suis effectibus tam vehemens, huic subfuit? — An drastica remedia, *cereolorum*, quos urethrae in chronica medorrhoea, atque hanc in acutam, breviore temporis spatio cessaturam, convertimus, adinstar, intestinorum in tunicam villosam agunt, et morbosam secretionem aut invertunt, aut sistunt? — Sed quis unicum, etsi felix, illico pro norma exemplum prudens arripiet? aut quis, sub tanta virium imbecillitate gradum stimuli majoris, qui sanitatem restituát, non mortem acceleret, inducat, definiet?

Veterum de fluxus hepatici tum indole, tum causis doctrinam vacillare jam diximus (§§. DCLXXXIV. DCLXXXV.): sequitur, nec methodum medendi, anti-

quae hypothesi innixam, esse firmiorem. Etsi vero et nostrum de hoc morbo judicium vix in omnibus satisfaciat; ex eo tamen, quod nec *hepar solum* morbi sedem constituere, nec semper visceris, cujuscunque demum, abscessum aut ulcus hîc subesse, et materiam illam saniei similem largiri, — nec abdominis adeo, quam totius systematis culpa interdum hanc fluere, noscamus: magnum arti salutari incrementum accessit.

Scilicet ubi vel hepatis, vel splenis, aut visceris alterius abscessus vel ulcus hujus profluvii causam in se continet: hoc misero rerum sub statu, ad ea, quae de viscerum abdominalium suppuratione pertractanda, in *libro de inflammationibus*, partim jam diximus, — tum ad illa, quae alibi de *phthisi*, ejusque moderandis effectibus docenda supersunt, recurrendum; et ne purulento, sanioso, et internis partibus insidioso humori via per alvum praecludatur, curandum est.

Si, ut in caeteris alvi fluxibus alia aliaque per alvum excernuntur, ita hujus morbi sub aspectu, secretio saniosa, ulceris latentis adinstar, alvum solvat: tunc eadem, quam ad diarrhoeam jam supra indicavimus, medendi methodus requiritur.

Si vero hic morbus legitimae *intermittentis* subjugetur imperio: tunc ea, quae de hujus curatione jam satis exposuimus, erunt illi opponenda.

ORDO IV. GENUS V.

DYSENTERIA.

§. DCLXXXVII. *Transitio.*

Ad morbi atrocis multasque strages humano generi quotannis parantis, *dysenteriae* nimirum, seu *difficultatis intestinorum*, historiam tandem accedimus. A *profluviis* quidem istam, — quod alvus in eadem *suppressa* magis, quam profusa esset, — separare conatus est clarus *Scotiae* nosologus: interim non omnis dysenteria, sub invasione, alvum tam parcam, ac sub morbi incremento, agnoscit (§. DCXC.); apud multos in *chronicam diarrhoeam* illa convertitur (§. DCLXXXIV.); nec certe paucum illud, quod intestinis cum tenesmo continuo hîc exprimitur, a profluvio magis, quam catarrhus (§. DV.), abludit.

§. DCLXXXVIII. *Definitio.*

Est vero *dysenteria*, corporis totius febrilis adfectio, in intestina, maxime crassa, furiens, aestatis sub fine, in serum autumnum, satis raro maturius, epidemica, — interdum sporadica, cum torminibus, continuo ad alvum deponendam, sed inani fere, stimulo, et puriformis, saepe cruentae, materiae, ex recto intestino, frequenter plus minus inflammato, sub diro tenesmo, defluxu.

§. DCLXXXIX. *Divisio.*

Non omnis igitur dysenteria, singula haec signa

(§. DCLXXXVIII.) prae se fert; sed plurima illi, tum ex *febre*, cujus modo symptoma constituit, *sthenica* nempe, vel *asthenica*, eaque vel *continua*, vel *intermittente*, — vel *simplici*, vel cum vermibus, saburra, interdum cum visceris alicujus phlogosi *complicata*, differentia accedit. Nec *acuti* semper morbi, sed et *chronici*, plures per menses extensi, formam dysenteria interdum assumit. Quam morbi hujus divisionem a *colore* materiae per alvum excretae diverso, nunc *albo*, nunc *rubro*, petierunt: non magno illa in arte vel cum lucro suscepta fuit.

§. DCXC. *Symptomata. — S. dysenteriae sthenicae. — Gangraena. — Carunculae, polypi. — Induratio intestini. — Suppuratio intestini. — Tenesmus chronicus. — Symptomata gangraenae asthenicae.*

Prima morbi hujus invasio, ab illa, *diarrhoeae* (§. DCLXXXIII.), epidemice haud raro *dysenteriam* praecedentis, sequentis, non semper abludit. Saepe nempe cum horrore, interdum cum frigore sat notabili, et per horas adeo extenso, haec incipit; ponderis ad ventriculum ingrata sensatio, oris amarities, nausea, vomituritio, lassitudo, tormina circa umbilici regionem, — alvum (apud plures, per dies adhuc aliquot satis copiosam, aspectu biliosam) annuntiantia, quin tenesmus apud omnes tam cito se prodat, succedunt; calor corporis cum pulsuum frequentia, siti, augetur, donec faecum omnis supprimatur evacuatio, et pauciora quidem adhuc liquida, sed cum nisu majore, cum diris ac frequentius frequentiusque redeuntibus torminibus, mira vultus contorsione vix non semper indicatis, cum ardore, dolore, tenesmo ad anum, — tandem vero, praeter materiam mucoso-puriformem, nunc albescentem, nunc sanguineam, nunc autem viridem, perpaucam, specifico fere odore foetentem, perparum exprimatur. Quibusdam, praecipue vero pueris, ob dejectionum frequentiam, et nixus vehementiam alvus ipsa, foedo sane spectaculo, iterum iterumque prolabitur, ac, nisi promptius reposita, strangulatur et cito gangraenescit. Tantum vero ad gradum doloris in abdomine vehementia apud hos vel illos evehitur: ut ab eo non minus, ac in *colica saturni-*

na, brachii aut pedis unius vel alterius paralysis sequatur.

Sat multos interim apud aegros, modo longe diverso haec se habent: nullus saepe horror, aut calor morbosus hos a morbi principio divexat; ciborum adeo non in omnibus deletur desiderium; pulsuum vix manifesta apud alios frequentia occurrit: quo factum esse censemus, quod plures scriptores *febrim* inter characteres *dysenteriae* necessarios (utpote in alia, quae illam saltem adultiorem, confirment, morbi symptomata, in lassitudinem, morositatem, cutis siccitatem, sitim, in urinae mutationes, in ea, quae sub fine, vel ipsis in arteriis, succedunt, — cum tamen vel ipsa in febre nervosa (§. LXXXVII.) non absimilis interdum sit rerum conditio, haud satis attenti) admittere recusaverint. Quod vero magis adhuc febrilem dysenteriae naturam comprobat, est: quod morbus hic certas fere per horas aliquomodo remittat; vespertino autem, vel noctis tempore, quo febriles accessiones exacerbari consueverunt, magis furiat. Non paucos aegrotos et nos observavimus, quos jam prima morbi die, vel altera, praeter tormina, inanis alvum deponendi conatus, ac vehemens *tenesmus*, ut princeps illius phaenomenon, corripuerint. Sunt quibus nec faeces, nec humor puriformis, vel solus, vel sanguini remistus, sed *merus cruor*, interdum sat multus, — quin semper igitur res pejus incedat, — quid quod cum bono aliquando istius, in robustis, cum successu, per alvum excernatur. Dysenteria epidemica observata fuit: in qua aliquot pueri, viri, mulieres, ab ipso invasionis momento ne de minimo quidem dolore conquerebantur; sanguinolenta tamen confestim egerebant. Aegri alii torminibus, hi vero nullis torquebantur; et licet viderentur hi mitius aegrotare citiusque evasuri: omnes tamen sorte eadem peribant. Quomodocunque vero haec, morbi primo sub stadio, se habeant: sat cito tamen febris eidem, vel propriae, vel epidemicae constitutionis jure, dominantis character se manifestat.

Ac primo quidem, fortiores habitu, cujuscunque demum aetatis aut sexus, homines, — vel jubente sic regnantis morbi genio, minus etiam robusti, mox a febre violenta, continua, frigore nempe magis conspi-

cuo, calore magno, ac pulsu frequente, sub initio saltem pleno et magno, post hinc vero contracto et duro, — maxime autem a saevis torminibus, hunc inde cedere aut cessare visis, mox vero cum augmento redituris; uni fere loco abdominis infixis, mox omnem super ventrem dispersis, invaduntur. Urgente sic istius, attactum recusantis, non raro duri, dolore, vomendi conatus, vel adeo, ut in ipsa *enteritide* (§. CCXL.), vomitus succedunt. Interea vehemens in recto intestino, ac ad ipsum adeo perinaeum, vel urethrae canalem, ardor, tenesmus, dysuria, stranguria, cum pauco et flammeo, vel aquoso prorsus lotio, lumborum, coxarum dolor, miserum divexant. Hic morbi, celeriore ingressu incedentis, est: quo, aut ex vasis haemorrhoidalibus distillans, aut ex villosa intestini tunica, saepe, apud infantes praecipue ac juvenes, per ani sphincterem prolapsa, strangulata, tumente, morbose secretus sanguis, copiose satis prosiliens, symptomata imminuat; ubi cruor vena detractus, inprimis corium densum, atque concavam in insulam contractum mox offerat; ubi methodus medendi excitans, potus spirituosi, remedia, ut vocant *antidysenterica*, seu adstringentia, styptica, opiata, extemplo morbum adaugeant, ac alvum per dies quidem sistant; sed ventris cruciatus mirum accendant, tumorem, duritiem, ac instantis intestinorum, in dysenteriis lethalibus frequenti, ad *rectum*, prae aliis, malo (§. CCXLIII.), *gangraenae* pericula vel maxime intendant. Sub hac rerum conditione, lingua aridissima, pulsus contracti, celerrimi, inaequales, singultus, vomitus, ac, alvo demum involuntaria, cadaverosa non obstante, meteorismus, frigus extremitatum, sudor algidus cum aestu internorum, lipothymiae, ac tandem, sub plena dolorum cessatione, mors ipsa, sequuntur.

Mitiore quidquam sub morbo, et febris, et dolor abdominis, et ipse tenesmus minus urgent; inter liquidas dejectiones interdum hîc faeces figuratae, globosae, cum remissione symptomatum eximia, deponuntur; urina nec limpida nimis, nec aequo saturatior excernitur; cutis minus sicca est.

Haud raro, tum in hac ipsa, tum quavis alia dysenteriae sub specie, materia puriformis, ab intestini recti

superficie interna morbose secreta, *solidescit*, ac in *pseudomembranas* conversa, variis sub formis, per anum, aut in frustis exiguis, contortis, aspectu floccosis, levissimis, expellitur, et liquidis simul expulsis materiis *caruncularum* sub nomine, innatat; aut longiores in pelliculas, — aut in tubos polyposos, intestini, cui adhaeserant, figuram referentes, efformata, dejectionibus inhaeret; aut demum, ad sat magnam longitudinem, ex ano, ut diu pro *tunica villosa*, ab intestino detersa, per judicii errorem sit habita, terrorem aegris incutiens, propendat.

Quod si hae *pseudomembranae* intestino firmius adhaereant ac tandem adcrescant: quod quondam in laryngis ac tracheae inflammationibus contingere (§. CLXXIII.), et in ipso intestino recto, a phlogosi correpto, factum esse, feminae exemplo docuimus (§. CCXLIII.); — aut si, spatiis fibrarum, tunicarum intestini intermediis, cellulosis, collectus humor puriformis solidescat, ac istius diametrum imminuat; tunc aegrum, licet hoc a morbo restitutum, perpetuae circa vias stercorales angustiae multaeque miseriae exspectant.

Nec minora aegros quondam dysentericos mala prement; si, quod magnis, eadem in paragrapho, alibique allatis cum exemplis jam satis illustravimus, inflammati et cum vicinis visceribus concreti *suppuratio intestini recti*, aut *colon* sequatur.

Tanta vero *tenesmi* fortioris in quavis dysenteriae specie pertinacia est; ut et morbo jam jam absoluto, in quibusdam ille sat longam temporis per moram, vasorum haemorrhoidalium, a malo praegresso magis turgentium, vel tunicae villosae sensibilitati morbosae innixus, continuet.

Frequentissima vero inter omnes, *dysenteria* est *asthenica*; etsi haec quoque gradus vehementiae diversos utique agnoscat, atque hoc anno, blandius decurrat, — alio autem, *maligna*, vel ipsius pestis in morem insidias horrendas struat. Qui fidam *typhi*, seu febris nervosae gravioris imaginem a nobis depictam (§§. LXXXII. LXXXIII. LXXXVIII. XCI.) coram oculis posuerit, eique jamjam allata partim *dysenteriae* phaenomena, ut *symptoma*, superaddiderit: is

longiore hîc dirissimi, et vix non integrum sibi soli librum requirentis, morbi descriptione haud facile indigebit. Ut breviter, sed quantum interest, rem expediamus: subita hîc et magna, vel summa mox virium vitalium prostratio, cum pulsu exili, inaequali, urina sanae fere simili, aut pallida, aquosa, artuum tremore, subsultu tendinum, spasmis, somnolentia, deliriis, extremis abdominis cruciatibus, interdum fere nullis, tenesmo crudeli, singultu praefocante, lipothymiis, — non raro petecchiae, maculae lividae, nigrae, miliaria, — aphthae copiosae tum oris et faucium in cavo, tum in oesophago, ventriculo, intestinis, per sua symptomata (§. CCCLXV.) cognoscendae, sese manifestant. Dejectionum numerus hîc fere infinitus est; ac tanta interdum per intestina, tenuis, saniosae materiae, vel sanguinis soluti evacuatio contingit, et aegros non minus, quam in *ephemera britannica* sudores (§ LXXXV.), quos inversos fere hic sistit, brevi tempore penitus exhauriat. Multis sane partimque gravissimis dysenteriae epidemiis plures apud populos, quibus octo fere per lustra pro viribus adstitisse gloriamur, interfuimus; sed horret adhuc animus ab illa, quam viginti tres ante annos *Bruchsaliae* observavimus. Primum haec teneros infantes quamplurimos, quin opem medicam his parentes ferri curassent, celeriter mactavit; mox adultos, ut solet, pauperum ex classe, morbus corripuit, et jam tertia quartave die, primis scilicet illius principiis neglectis, magna ex parte trucidavit. Cadaveris sub aspectu aliqui ex istis per cubile ad fenestras profundas vacillantes, nobisque manus jam frigidas et tremulas porrigentes, priusquam de periculo somniassent, sequente jam die exspirabant. Brevissimo tempore haec infelix constitutio et nata, et fausto sub omine exstincta fuit. In castris, in urbibus obsidione circumductis, et in classibus maritimis, nec minus in carceribus, ergastulis, strages saepe haec dysenteriae species, immunes, a plebe, ad cives reliquos et ad classes istorum potiores transire solita, edidisse est visa.

Frequentius hac dysenteriae sub specie, *gangraena* tubum intestinorum, inprimis recti, prehendit: quo in casu, tormina quidem, ac ipse tenesmus omnino

cessant; sed meteorismus subnascitur, singultus perpetuus, aegrum vix non praefocans, aeruginosus saepe vomitus, extremitatum marmoreum frigus, sudor gelidus, alvus copiosa, cadaveris foetorem spirans, anxietas, non raro sopor, deliria, oris extrema siccitas, vox rauca, aphonia, dysphagia, facies hippocratica, lipothymiae frequentes accedunt, ac mortem vicinam annunciant. Vidimus tamen, ubi haec, lethalia aspectu, symptomata per mensem, quin haec ipsa sequeretur, urgebant.

Si mitius dysenteria incesserit: quo ordine symptomata sub morbi principio increverant; hoc demum sub fine illius sensim sensimque minuuntur. Tormina et simul suam ferocitatem deponunt, tenesmus mitigatur; flatus hinc inde sonori per anum redduntur, faeces aliquando figuratae cum emolumento, vel saltem pultaceae minusque liquidae secedunt. In aegris quibusdam, exanthema cutaneum, pruriginosum, pustulosum et quasi variolosum, in aliis squamosum, aut crustae lacteae fere simile, in cute, — apud alios, dolor artuum quasi rheumaticus, intestina liberasse videntur. In sat multis diarrhoea chronica dysenteriam, hac ipsa sanatu difficilior, subsequitur. Haemorrhoidalia non raro symptomata a praegressa dysenteria, aut major ani sensibilitas, aut ipse adhuc tenesmus, convalescentes hinc inde sat diu premunt. Exhaustos nimis a morbo graviore homines, aut hydrops, aut tabes tandem perimunt.

§. DCXCI. *Causae. — An fructus horaei? — An refrigerium? — An contagium? — An bilis? — Opinio nostra.*

Varias *dysenteriae causas* assignaverunt medici: hi enim, et quidem antiquis non minus, ac recentioribus temporibus, *fructus horaeos* hunc morbum producere, — illi *frigus autumnale*, maxime nocturnum, post dies calidiores, eidem pro fundamento esse, — alii, *contagium* hunc ipsum generare, — *bilem* sub aestivis caloribus *corruptam* huic ansam praebere, — in *constrictione coli* intestini a faecibus duris irritati rem fere omnem esse positam, alii putarunt.

Fructus horaeos tanti quidem criminis insontes esse,

veterum jam aliqui viri eximii notarunt: et qui dysenterias iis adeo temporibus, quibus aut nulli sunt ex illis, aut quo fructus necdum ulli gustari potuerant, epidemice tamen per integras provincias grassari viderunt; illi non vano hanc causam argumento rejecerunt.

A *frigore*, ac suppresso transpirationis cutaneae ab opere diarrhoeas non paucas proficisci, ultro concessimus (§. DCLXXXVI.); nec sub fluxu dysenterico, nec ab eo jam sedato, *rheumatismi*, illinc *intestinalis*, hîc vagi, desunt ubique symptomata (§. DCXC.). Interim vel omni anno, vel mensibus illius quibusvis, refrigerii suppressaeque transpirationis haud deest occasio; nec tamen anno quovis, tempestatis ratione licet iniquo, nec fere aliis, quam serae aestatis ac autumni sub mensibus, intestinorum difficultas venit in conspectum. Accedit, quod in morbo, sub quo, tepido in lectulo detentus aeger, hunc ipsum quovis fere momento nunc deserit, nunc repetit, rheumaticis affectionibus, quin hae ipsae fluxui dysenterico ut causa subfuissent, ansa dari potuerit; et quod, si novo hoc sub morbo, alter ille compesci videatur; hoc ipsum *per successionem* contigisse, ex eo non satis certum sit: quod morbus novus, quidquam atrox, alterius licet originis, antecessori tamen suo saepe legem imponat. In multis sane, quos dysenteria gravis corripuit, nullum omnino praecessit refrigerium; nec tenerûm infantum ab illis satis tutae sunt curae; nec coeli septentrionalis magis, ac meridionalis, aut vicissim, illa progenies est.

Contagii hoc in morbo rationes nunc satis conspicuae, nunc nullae esse videntur. In castris, exercitibus, in locis obsidione cinctis, in carceribus, ergastulis, nosocomiis, apud plebem, domibus angustis, impuris compressam, et ingressu prior, et frequentior dysenteria esse consuevit. Ast vero nec haec quidem perpetua sunt. Interdum pauci ejusdem habitaculi incolae, interdum plures hoc a morbo plectuntur. Solitariae exempla dysenteriae, et quae in alios, quamvis sibi diu expositos, nequaquam transiverit, haud raro occurrunt. Per decem annos, quibus *Vindobonensi* praefixi fuimus magno nosodochio, plures

quidem in illud dysenterici suscepti fuerunt; sed ex his, in alios morbus ita non transiit, ut manifesta esset hoc in loco contagii illati propagatio. Nec methodus medendi felicior ubique contagium latuisse satis confirmat.

Ex *bile*, *saburris* corruptis, acrioribus dysenteriam quoque, sicut morbos vix non omnes, aetas nostra, plus quam ulla alia, nimis diu derivavit. Quae, interim tot aliis in locis, sed potissime quae de ipsius *cholerae* natura et causis adduximus argumenta (§. DCLXXVII.): ea hanc olidam scholarum hypothesin satis infringunt; nec medendi ratio melior et hanc magis suffulcit. Qui bilem hîc copiosius et acriorem in hepate *secerni*, et sic ex illa morbum, de quo agimus, oriri contendunt: hi, etsi veri quid asserant, *effectum* tamen cum causa confundunt.

Sed magni certe momenti, ac rerum sub indagine *intermittens* hinc inde dysenteriae character est. Haec morbi indoles scilicet jam sola satis ostendit, dysenteriam alterius morbi *symptoma* esse posse: unde facile, nunc saepius atque aliis sub rerum conditionibus hoc modo morbus incedat, quod certe de *scorbuto* dicendum est, necessitas eruendi deducitur.

Non alius est, qui guttur, seu *intestinorum* per fauces introitum, — quam qui anum rectumve intestinum, seu *intestinorum exitum*, occupet morbus; ac summa plures *cynanchis* species inter atque *dysenteriam* affinitas intercedit. In angina fortiori, sensus ardoris, rubor, inflatio, tensio, puriformis, interdum subcruenti humoris secretio, screatio continua, deglutiendi nisus perpetuus, dolore plenus, ac *tenesmo*, qui ad anum est dysentericis, in omnibus persimilis, occurrunt. *Cynanches membranacea*, *ulcerosa*, cum *dysenteria gravi*, sed potissime cum *maligna*, vix non in omnibus conspirant; ac sicut maculae cinereae, ex livido nigrescentes, gangraenosae foetidaeque illinc fauces, oesophagum, laryngem, — ita rectum, vel et colon intestinum, in illis, quos *dysenteria* enecuit, frequenter occupare cernuntur. Quae hoc in morbo carunculae, pseudomembranae, concretiones polyposae per anum haud raro secedunt: illae in *cynanche membranacea* per tussin expelluntur.

Atqui cynanche quaevis, nisi *localem* modo affectionem constituens, non morbus princeps, sed constitutionis, febris, nunc hujus, nunc vero illius *symptoma* est; ac ipsa angina ulcerosa, *scarlatinae* cum typho majore incedentis satellitem exhibet Quod si ergo febris, quae morbum talem, vel quae dysenteriam malignam pro symptomate agnoscit, *contagio* suam debuerit originem: difficultas quoque ipsa intestinorum particeps erit contagii, nec tamen erit illis in casibus, in quibus morbi contagiosi effectus non fuerit. Causae hîc certe non requiruntur *specificae*; sed quae hiberno sub gelu pneumonias, typhos, — quae verno tempore catarrhos, faucium affectiones multiplices, erysipelata, — quae aestivo, iterum febres asthenicas cum alvi fluxu copioso, et alia inducunt: illae ipsae (quo certe et frigus, et transpirationis suppressio, et rheumatismus, et alia bene multa pertinebunt) alium in modum directae, autumni sub decursu huic formae favente, intestinum magis rectum et colon afficient, ac praeter febris sibi propriae, nunc intermittentis, *dysenteriae* quoque symptomata excitabunt. Fructus quidem horaei, dysenteriae culpam epidemicae non habent; sed quidquid de illorum adeo virtute in illa sit dictum, — in copia ingesti, inprimis immaturi, aquosi, ubi pronum jam corpus in hunc morbum est, eundem magis prompte invitabunt. Eadem de multis oleribus, ab excrementis, succis suspectis, larvis plurimorum insectorum, uligine, vel alio morbo praeter morem obsessis, correptis dicenda sunt: quae igitur esculenta curam magistratuum majorem, adventante sub autumno, sibi semper exposcent.

Effectus dysenteriae frequens, inflammatio, diversae indolis, intestini recti, aut coli, erysipelacea, interdum profundior, est. Raro *ulcus*, quod Veteres hîc morbi accusarunt, interdum tamen, subnascitur. Per dies novemdecim hoc morbo aegrotaverat mulier, tres ante annos in *Vindobonensi* nosocomio defuncta. In recto intestino non minus, ac colo sinistro atque transverso inflammationis comparebant vestigia, atque *vera* hinc inde *exulceratio*. Alibi, dictorum canalium superficies interna a pseudomembrana atque variis excrescentiis erat obducta. In casu lethali frequentissime gangraena

succedit. Intestina crassa in aliis, ut diximus, hoc a morbo solito densiora, rigida, coriacea, et contracta reperta fuerunt.

§. DCXCII. *Prognosis.*

Prognosis hoc in morbo momenta, tum ex aegri praegressa conditione, febris morbum inchoantis ex indole, tum ex cognito gradatim epidemicae constitutionis charactere, ac tandem ex serie et successione symptomatum, eruenda sunt.

Aetas tenerior, provecta nimis, pubertatis instans periodus, graviditas, puerperium; corporis habitus debilis, valetudinarius, pusillanimitas, dysenteriae pericula augent.

Quam *febris intermittens*, ut symptoma, producit aegritudinem: hanc recta illius pertractatio facile satis dissipat. Vidimus et nos, praeviae huic febri periodicae, dysenteriam, ut morbum alienum, successisse eamque suspendisse; cum vero haec ipsa sanata jam esset, febris iterum quartanae typum, ut antehac, rediisse. Dysenteriae ex febre *energica* venientis, aut intestinalis modo catarrhi specimen sistentis, haud tanta, sub cura morbi debita, esse solent discrimina. Neglectis vero mali principiis, enteritis et gangraena timendae sunt. Profluvium cruoris ex ano, etiam sat multi, sub hujus morbi exordio proficuum esse solet. Dysenteria, febris asthenicae intensae, contagiosae, seu typhi gravioris effectus, quamplurimum ominosa est. Saepe febris lenta nervosa dysenteriam sub initio satis mitem offert: atque sub symptomatum apparatu non magno insidiose blanditur; eundo vero larvam mox abjicit, ac improvisa nunc struit pericula. Saepius mox primus morbi insultus aperte satis haec prodit: virium prostratio conspicua, ventriculi oppressio, vomitus, dolor abdominis atrox, continua, sed vana desidendi cupiditas, — tenesmus, parturientis nixui mulieris aequalis, nec fere desinens, — dejectio pauca, nunc rubra, nunc alba, scenam aperiunt, typhique gravioris sibi prompte symptomata succedunt; donec viribus in totum dejectis, aut novus sub fine morbi vomitus, aeruginosae bilis rejectio, vel cardialgia gravis, vel infamis medicis singultus, ardor abdominis fixus, con-

tinuus, meteorismus sequantur; ac praeter petechias, aut maculas nigras in cute comparentes, aphtharum cohors per oesophagum ascendat, oris cavum, linguam obducat, vocem omnem ac deglutitionem elidat, suspendat. Tandem dolor quidem omnis in abdomine cessat; nec tamen singultus supprimitur, sed, quod supra (§. DCXC.) jam monuimus, facie collapsa, pallida, vel brunea, oris antro siccissimo, nigrescente, soporosus, oculis semiapertis, in dorso, cruribus inverecunde divaricatis, jacet aeger, ac praeviis borborygmis, deleto sphincteris ani officio, alvum liquidam nunc multam, bruneam, subnigram, foetidissimam, inscius amittit. Facile nunc lipothymiae sibi succedunt; subsiliunt continuo tendines; extremitates frigent; sudor viscidus, glutinosus has obducit; ac tandem, tempore non aequali, sed ad dies quindecim, viginti, aut longe plures extenso, interdum sat brevi, finis tantis miseriis ac vitae imponitur. Paucissimi, sed, ut jam supra monuimus, aliqui tamen hinc inde vitam, vix non in totum amissam, lento passu recuperant. Paucarum dierum spatio dysenterias malignas subinde mortem induxisse, jam diximus.

Est, ubi prima dysenteriae epidemicae invásio quamplurimis, — sub fine vero paucis, lethalis sit. Inverso prorsus ordine haec res interdum incedit; vel et medio regnantis morbi tempore major erit civium jactura. Hiberno redeunte gelu, morbus plerumque disparet, illis nempe, quos chronica nunc diarrhoea divexat, exceptis.

Nec semper tam funestus morbus dysenteria est; atque tunc praeclara methodum nunc hanc, nunc illam venditandi, offertur occasio. Bonum erit utique, si rariores sint, aut fiant alvi excretiones; faeces vero copiosiores, pultaceae, et cum dolorum moderamine deponantur. Cutem hoc in morbo fieri mollem, tractabilem, vaporosam, vel amplo, non viscido sudore madescere, urinas et flatus sonoros facile secedere, opportunum est.

§. DCXCIII. *Cura. — C. dysenteriae asthenicae. — C. disenteriae complicatae. — C. dysenteriae intermittentis. — C. dysenteriae chronicae. — Cautela.*

Tam diversa causarum, quae dysenteriam indu-

eunt (§. DCXCI.), et morbi ipsius ex indole, erui satis potest, non unam huic malo medendi methodum esse opponendam. Insano quidem nisu, vulgus in sistendo hoc profluvio vix non unicam ponit operam, ac insignem *antidysentericorum*, adstringentium scilicet, stypticorum, opiatorum, consulit catalogum; sed qui hos agyrtarum vetularumque errores correcturi, ex vana hypothesi, ubique bilem rancidam, rodentem, saburrasque olent, ac in his per repetita emetica et per evacuantia alvum remedia eliminandis, dies noctesque terunt: non minores hi generi humano strages parant.

Quod si nempe dysenteria subjecta robusta, juvenilia, succiplena, vel quavis ex ratione ad morbos energicos disposita corripiat, ac febris *hypersthenicae* symptoma constituat; si dolor intestinorum atrox, ventris major ad attactum sensibilitas, tenesmus vehemens hominem divexent; si pulsus satis constans, magnus ac vibrans, aut prae doloris vehementia contractus, parvus, sed durus compareat: tunc facta, atque repetita adeo primis morbi temporibus venaesectio, ac methodus debilitans, praestantissimum et unicum subsidium, — neglecta vero, inprimis ubi styptica, opiata, vel alia excitantia remedia propinantur; dirae hominem enteritidis praedam constituet.

Etsi vero dysentericorum cadavera, intestina hinc inde non parum inflammata ostendant plerumque; vix tamen primis morbi, non summi, diebus, aut interdum nequidem a morte, haec ita se habebunt; sed istis, aut sine cura debita, aut perversa sub methodo transactis, oportet sane ut canales illi membranacei, tot vasis sanguineis instructi, atque tam sensibiles, inflammationem tandem localem saepissime concipiant, ac dirae periculo gangraenae submittantur.

Non mirum igitur esse dicamus, si facta prius una alterave venaesectione, vel sub morbo non summopere inflammatorio, sed fere catarrhali, hac adeo omissa, aut *emeticum* porrectum noxam semper non tulerit; aut blanda ex tamarindorum pulpa, manna, oleo ricini americani, aliquoties exhibita *evacuantia*, — non quod bilem, ut morbi causam, egesserint, sed quod emesis diaphoresin saepe moverit, evacuantia vero

alvum remedia vires superabundantes aegrorum, fluidorum blanda cum subtractione, infregerint, opem ferre sint visa. Hoc scilicet, et complicationis manifeste *gastricae* sub casu, methodus alvum evacuans, in dysenteriae, vel parum, vel magis sthenicae, principio adhibita, laudem, quam omnes fere hujus morbi ad species multi nimis extenderunt, aliquando meretur. Sunt tamen, quibus, ob majorem intestinorum irritabilitatem, modo sola venaesectio et stimuli cujusvis fuga conveniat; evacuantia vero quaecunque, sic ut in *coryza* inflammatoria *sternutatoria* certe facerent, morbum mox adaugeant. Hac in specie dysenteriae quibusdam fructus horaei probe maturi, ac moderate ingesti, cum alvum blande subduxissent, auxilio fuerunt. Aliis, hi ipsi, ob flatus quos generant, ac ipsa adeo acida mitiora, tormina mox revocant. Pro potu, emulsio amygdalina, sed tenuis, et quae minus nutriat, vel leve hordei, avenae, panis albi decoctum conveniet. Nitrum, quod minori in dosi parum praestat,, nec hîc certe refrigerat, — majore vero pondere praescriptum intestina lacessit, his non addimus. Prout vero injectiones quondam sub sthenica *cynanche* in fauces institutae, has aperte irritare ac magis incendere solebant; ita et intestinorum hac sub difficultate, nisi faeces illis durae inhaereant, *clysteres*, quamvis ex rebus mucilaginosis constantes, et copia non magna injecti, saepe magis irritant, quam causam mali auferunt. Sub majori abdominis dolore, fracto jam satis cruoris impetu, fomentationes tepidae ex lacte cum lini seminibus, aut cum herba malvae cocto paratae, modo lecto aeger fixus inhaereat, eundem frenabunt.

Sedato febris hypersthenicae furore, nec tamen, nisi simplicis catarrhi intestinalis sub casu, maturius, sub tepore lecti, diapnoica mitiora, ex infuso sambuci, melissae, et spiritu, ut vocant, Mindereri, praescribimus. Antimonialia, opium et camphora, nisi morbo jamjam in asthenicum converso, latentes adhuc sub cineribus ignes facile in flammas provocabunt.

Asthenicae cura dysenteriae, pro gradu ac indole febris, cujus haec symptoma constituit, diversis, mitiora nunc auxilia, nunc vero efficaciorem sibi methodum requirit.

Levior interdum adynamia, a refrigerio inducta, catarrhalem intestinorum affectionem cum dysenteriae mitioris symptomatis producit: ad quae fuganda, tepor lecti constans, infusa aromatica, in transpirationis incrementum tepide epota, spiritus Mindereri, pulvis Doveri, vel tinctura antimonii cum parca dosi opii, et mucilaginis gummi arabici vel tragacanthae portione, jam sufficiunt. Emetica hoc rerum sub statu porrecta, magis quod diaphoresin promoveant, quam quod bilem, hîc innocentem, expellant, subinde conducunt; meliora tamen erunt, quae tanto sine tumultu eosdem effectus praestare non inepta sunt.

Quid quod *gravior* adeo *febris asthenica* sub forma *nervosae versatilis*, cum dysenteria incedens, maxime si contagium subfuerit, a solis volatilibus et opii portione admista, utpote quae incitant et secretionem in cute augent, auxilium saepe habeat. In India Occidentali, ubi haec dysenteriae species frequentius occurrit, venam prius tundunt, dein vomitum cum ipecacuanhae radice, alvum vero cum vitro antimonii, movent; et, obtecto mox corpore, cum pulvere Doveri, aut cum vino antimonii atque opii portione sudorem amplum eliciunt. Ad venaesectionem quod pertinet, ea, in vera febre asthenica indicari certe haud potest; suspicamur interim, sub tropicis morbos non paucos acutos, sub sua invasione, *sthenicae* potius indolis esse; ac, vi stimuli majoris, citius quam alibi in *asthenicos* transire: igitur sub primo tam praecipitis morbi insultu, sub ventris dolore atroci, ac pulsu contracto et duro, sanguinis mittendi necessitas omnino subintret. Ad emeticum, et ad vitrum antimonii quod spectat, fatetur vir clarus, illis in locis medicinam professus, haec ipsa non tam evacuationis abdominalis ad gratiam, quam sudoris movendi ad finem praescribi; nec reticet, quod in casu morbi subitanei ac admodum violenti, ne aeger cunctando perimatur, ad opium, et ad cordialia, non inepte sic dicta, illico recurrendum sit.

Monuimus haec ideo, quod quovis sub coelo, sicut quondam de ipsa *peste* jam diximus, ac sicut de *febre flava* partim nunc notum est, talia, *sthenici* sub principio, — sed hoc neglecto, mox *indirecte asthenici*,

exempla mali, ex causis ubique non obviis, oriri bene possint: in quibus, methodum medendi, hodiernae theoriae, primo saltem aspectu, adversam, sed experientia confirmatam, rejecto praeconceptae opinionis jugo, amplecti non ultro, quam aequum est, haesitemus.

In communi igitur dysenteria *asthenica* graviori, quin vel de emetico, vel de purgante alvum remedio somniemus, quidquid in contrarium sit dictum, experientia suffulti, mox ad opium, vel in emulsione cum gummi arabici mucilagine, vel in decocto salep solutum, recurrimus. Similia, cum tenesmus nimis urget, ano, pauca quantitate, tepide committimus; ventri vero admodum dolenti fomentationes aromaticas, tum siccas, tum humidas, vinosas, vel simile cataplasma, — vel, malo magis premente, vesicans, ad cutis modo rubedinem, imponimus. Quas ab opio, hac morbi sub specie, *paralyses* derivarunt: has nos quidem non conspeximus; sed et sine usu opii hinc inde dysentericis membra resolvi, jam diximus.

Si vires magis magisque fractae id exigant: opium cum camphora, vel cum moscho et gummi arabico jungi, ac demum singula, quae in febre nervosa graviori consulimus (§. XCIV.), inprimis vinum rubrum cum cortice cinnamomi infuso, morbo discrimine pleno opponi oportet. Magnos certis hujus febris in casibus tepido a balneo effectus obtinuimus; in dysenteria vero gravi, sub tanta aegrorum debilitate, ac sub tam continuo ad alvum deponendam nisu, rara satis, rarior apud pauperes, illud administrandi concedetur occasio.

De *vitro cerato antimonii*, quondam, — de *nuce vomica*, nostris temporibus tam intense hoc in morbo laudatis, nec tamen multis a medicis hanc usque in diem continuatis, — de *floribus sulphuris* cum *sale ammoniaco* jungendis, — de *electuario cerae*, — quod ad talia confugere nos hîc coactos needum viderimus: aliorum quidem effata venerantes, sed propria experientia destituti, sermonem non movemus. Nec usum *mercurii* (primum ab Angliae quibusdam medicis, deinde *Ticini*, jam duodecim abhinc annis a viro claro publice laudati, — quamvis hoc genus remedii in morbo dysenteriae affini, in *cynanche* scilicet *mem-*

branacea, et frequentius nunc in *hepatitide asthenica*, cum fructu adhibuerimus): ex dictis rationibus, quin ideo his consiliis remittamus, tentavimus. Neque tantam nos, inter febrem *nervosam versatilem* (§. LXXXVII.) atque *nervosam stupidam* (§. LXXXVIII.), tum denique inter *pituitosam* (§. CI.), nisi *formae* differentiam esse hucusque credimus: ut dysenteriae, sub hac, vel illa febris ejusdem sub veste incedenti, diversam adeo medendi methodum adaptandam esse censeamus. Hoc interim hîc non reticebimus: stimuli hac adynamiae sub specie ipsis intestinis ingesti rationem, ex eo quidem in genere diversam esse debere; quod illa partem prae caeteris irritatam prima sua actione mox allidat, et facile hinc violentius, quam aequum sit, eandem afficere queat. Quare utique conspicuo admodum sub *sensibilitatis* intestinalis augmento, mitiora, et quidem rebus mucilaginosis juncta, — sub *stupore* vero, fortiora et magis nuda excitantia adhibenda veniunt.

Primis igitur febris asthenicae cum dysenteria incedentis temporibus, stimuli magis volatiles ex dictis indicati sunt. Quod si vero morbus quidquam adultus his solis non cedat: tunc permanentes seu fixi magis stimuli eisdem jungendi sunt. Hoc scilicet temporis sub stadio, nec fere prius, *corticis simarubae* decoctum, cui aquae cinnamomi simplicis, interdum et opii portio adjecta fuerat, quamplurimum nobis praestitit. Capta cum *lithro salicaria*, seu *lysimachia purpurea*, hoc in morbo experimenta, spem nostram, et multorum illam fefellerunt.

Si febris vel sthenica, vel asthenica, cum *bile* morbose secreta, aut cum *gastricis saburris* manifeste incedat: tunc certe, praemissa, in primo casu, phlebotomia, in secundo vero, exclusa, emeticum et purgans alvum remedium sat blandum, donec ad suam simplicitatem reductus, et nunc aliter tractandus sit morbus, indicatur. Sat raro *vermes* tantis intestinorum in dysenteria motibus diu resistunt, vel a morte in illis reperiuntur. Vidimus tamen ante triginta fere annos virginem hoc a morbo extreme labefactatam: cui tandem gravis singultus mortem minari videbatur; cum verme, ascaride lumbricoide, per vomitum spontaneum rejecto, mox ille, ac morbus ipse sat cito cessaverit.

Dysenteria periodica, intermittentis febris soboles, istius in modum, cum opio, mucilaginis gummi arabici ope aquae aromaticae juncto, ac demum peruviano cum cortice fuganda est.

Si longum in tempus dysenteria trahatur: tenesmum tunc illa, et tormina, saltem violenta, febrimque, nisi lentam forte, deponit; blennorrhoeae intestinalis, seu *diarrhoeae chronicae* indolem assumit; ac ut ista (§. DCLXXXVI.), — quod magnae molis opus constituet, pertractanda est.

Sedato tandem morbo dysenterico, ejusdem recursus, facillimus, quavis cum cura, per adaptatam cuivis illius speciei diaetam, per medicamenta huic propria, maxime vero per atmosphaerae frigidae fugam diuturnam, praecavendus est.

FORMULAE
MEDICAE
IN
PARAGRAPHIS
PRAECEDENTIBUS
CITATAE

Num. LIX.

Pulvis aluminosus.

Recipe Aluminis drachmam unam,
Gummi arabici drachmam dimidiam;
Misce, fiat pulvis, dividatur in quatuor partes aequales.

N. LX.

Serum lactis aluminosum.

℞. Lactis vaccini libram unam.
Ebulliat in vase terreo; dein adde
Aluminis drachmam unam.
Lac coagulatum coletur per chartam emporeticam.

N. LXI.

Tinctura cantharidum.

℞. Cantharidum contusarum unciam dimidiam.
Spiritus vini rectificati libram unam.
Digere per triduum, et filtra.

N. LXII.

Tinctura thebaica.

Vid. Formul. Medic. N. XVIII.

N. LXIII.

Solutio opii.

℞. Opii puri grana quindecim,
Solve in
Aquae distillatae unciis decem.
Cola.

N. LXIV.

Solutio opii saturnina.

℞. Opii puri grana quindecim,
Solve in
Aquae distillatae unciis decem; adde
Sacchari saturni, grana decem.
Misce.

N. LXV.

Injectio mercurialis.

℞. Mercurii sublimati corrosivi granum unum,
Solve in
Aquae distillatae fervidae uncia una.
Detur *pro usu externo.*

N. LXVI.

Vitrioli solutio.

℞. Vitrioli albi granum unum,
Solve in
Aquae distillatae uncia una.
Cola.

N. LXVII.

Lapidis caustici solutio.

℞. Lapidis caustici chirurgorum drachmam dimidiam,

Solve in
Aquae distillatae unciis sex.
Cola per chartam emporeticam.
Detur *pro usu externo.*

N. LXVIII.

Solutio myrrhae.

℞. Sacchari saturni drachmam unam,
Solve in
Aquae distillatae unciis sex; adde
Liquaminis myrrhae uncias duas,
Tincturae thebaicae unciam unam.
Misce.

N. LXIX.

Injectio vaginalis aluminosa.

℞. Aluminis,
Vitrioli albi, *ana* drachmam unam,
Solve in
Aquae ebullientis pinta una.
Frigida colentur per chartam.

N. LXX.

Injectio vaginalis mercurii.

℞. Mercurii dulcis,
Gummi arabici, *ana* drachmam unam,
Aquae calcis,
Fontis, *ana* uncias duas.
Misce.

N. LXXI.

Mixtura corroborans.

℞. Myrrhae electae drachmam unam,
Solve terendo in mortario cum

Infusi chamomillae unciis sex,
Aquae cinnamomi uncia una; adde
Salis martis, grana quindecim,
Syrupi corticum aurantiorum unciam unam.
Misce.

EXPLICIT

NUPERRIMAE HUJUS EDITIONIS

VOLUMEN TERTIUM

INDEX



CLASSIS QUINTA

PROFLUVIA

GENERALIA DE PROFLUVIIS

§. CDLXIII. Integritas corporis . . . *pag.* 7
» CDLXIV. Profluvii definitio . . . » 8
» CDLXV. Diversitas . . . . . . » ib.
» CDLXVI. Causae generales. — Solidorum actio adaucta. — Imminuta. — Tenuitas humorum. — Totius culpa. — Nervorum actio. — Plethora. — Causae secundariae. — Actio specifica. » 9
» CDLXVII. Prognosis . . . . . » 13
» CDLXVIII. Methodus generalis. — Sub impulsu aucto ; — sub tenore imminuto ; — sub vitio humorum . . . » 15

ORDO I.

PROFLUVIA SEROSA.

GENUS I.

EPHIDROSIS.

» CDLXIX. Sudoris natura . . . . . » 18
» CDLXX. Definitio . . . . . . » 19
» CDLXXI. Diversitas . . . . . . » ib.
» CDLXXII. Natura morbi . . . . » 20

§. CDLXXIII. Causae . . . . . . pag. 21
» CDLXXIV. Prognosis . . . . . . » 23
» CDLXXV. Cura . . . . » 24

ORDO I. GENUS II.

DIABETES.

» CDLXXVI. Secretionis urinae vitia . . » 25
» CDLXXVII. Diabetis infrequentia . . . » ib.
» CDLXXVIII. Definitio . . . . . . » 26
» CDLXXIX. Divisio . . . . » ib.
» CDLXXX. Symptomata. — Urinae copia. — Urinae dulcedo. — Diabetes decipiens. — Diabetes spurius . . . . » 28
» CDLXXXI. Causae. — Opinio propria . . » 31
» CDLXXXII. Prognosis . . . . . . » 37
» CDLXXXIII. Cura . . . . » 38

ORDO I. GENUS III.

ENURESIS.

» CDLXXXIV. Natura morbi . . . . . » 41
» CDLXXXV. Definitio . . . . . . » 42
» CDLXXXVI. Differentiae . . . . . . » ib.
» CDLXXXVII. Symptomata . . . . . . » 43
» CDLXXXVIII. Debilitas. — Paralysis. — Sensibilitatis augmentum. — Vitium organicum . . . . . . » ib.
» CDLXXXIX. Prognosis . . . . . . » 47
» CDXC. Cura enuresis ex debilitate, — enuresis ex paralysi, — enuresis ex sensibilitatis excessu, — enuresis ex vitio organico . . . . . » ib.

ORDO I. GENUS IV.

PTYALISMUS.

» CDXCI. Ptyalismus . . . . . . » 50
» CDXCII. Definitio . . . . . . » 51
» CDXCIII. Differentiae . . . . . » ib.
» CDXCIV. Symptomata . . . . . » ib.
» CDXCV. Causae . . . . » 52
» CDXCVI. Prognosis . . . . . . » 54
» CDXCVII. Cura . . . . » ib.

ORDO I. GENUS V.

EPIPHORA.

§. CDXCVIII. De lacrymis: . . . . pag. 56
» CDXCIX. Epiphorae definitio . . . » 57
» D. Differentiae . . . . . » ib.
» DI. Natura. . . . . . . » ib.
» DII. Causae. . . . . . » 58
» DIII. Prognosis . . . . . . » 59
» DIV. Cura . . . . » 60

ORDO II.

PROFLUVIA MUCOSA.

GENUS I.

CATARRHUS.

» DV. Introductio generalis . . . . » 61
» DVI. Definitio catarrhi. . . . . » 62
» DVII. Species variae . . . . . » ib.
» DVIII. Coryza. — Catarrhus narium. — Catarrhus sinus frontalis. — Catarrhus antri maxillaris . . . . . » 63
» DIX. Abscessus ozaena. — Ozaena sinus frontalis. — Ozaena antri maxillaris. » 66
» DX. Raucedo. — Aphonia. — Alalia . » 67
» DXI. Catarrhus trachealis et bronchialis. » 68
» DXII. Catarrhi epidemici influentia . » 70
» DXIII. Tabes pulmonalis pituitosa. — Catarrhus chronicus . . . . . » 72
» DXIV. Causae. — Causae speciales coryzae, — branchi, — catarrhi tracheae ac bronchiorum. . . . . . » 74
» DXV. Prognosis . . . . . . » 81
» DXVI. Cura. . . . . » 82

ORDO II. GENUS II.

MEDORRHOEA.

» DXVII. Transitio. . . . . . . » 87
» DXVIII. Definitio. . . . . . . » ib.
» DXIX. Variae species. . . . . » ib.

§. DXX. Symptomata. . . . . . *pag.* 88
» DXXI. Medorrhoea urethrae. — Stadium invasionis. — Stadium inflammationis. — Suspensio fluxus . . . . » ib.
» DXXII. Chorda. . . . . . . » 92
» DXXIII. Bubo . . . . » ib.
» DXXIV. Epididymitis. . . . . . » 94
» DXXV. Phimosis . . . . . . » 96
» DXXVI. Paraphimosis. . . . . . » 97
» DXXVII. Ophthalmitis. . . . . . » ib.
» DXXVIII. Stadium relaxationis . . . . » 98
» DXXIX. Medorrhoea vaginalis acuta. — Medorrhoea urethralis . . . . » 99
» DXXX. Medorrhoea recti intestini . . » ib.
» DXXXI. Medorrhoea externa . . . . » 100
» DXXXII. Medorrhoea chronica. — Medorrhoea feminarum insons. — Dispositio. — Sedes. — Materiae indoles. — Distinctio morbi. — Symptomata. » ib.
» DXXXIII. Causae medorrhoeae acutae. — An ex ulcere? — An venerea? — Causae bubonis, epididymitis, phimosis, paraphimosis, — Medorrhoeae chronicae. . . . . . . » 106
» DXXXIV. Prognosis. — Scirrhi, abscessus prostatae. — Bubones. — Medorrhoea chronica . . . . . . » 115
» DXXXV. Cura generalis . . . . . » 121
» DXXXVI. Cura medorrhoeae acutae. — Cura per injectiones. — Cura exspectans. » 122
» DXXXVII. Cura chordae . . . . . » 126
» DXXXVIII. Cura bubonis . . . . . » ib.
» DXXXIX. Cura epididymitidis . . . » 128
» DXL. Cura phimosis . . . . . » 132
» DXLI. Cura paraphimosis . . . . » 133
» DXLII. Cura in stadio relaxationis . . » 134
» DXLIII. Cura medorrhoeae feminarum . » ib.
» DXLIV. Cura medorrhoeae recti . . » 135
» DXLV. Cura medorrhoeae externae. . » 136
» DXLVI. Cura medorrhoeae chronicae: — ex ulcere; — per injectiones; — per cereolos. — Cura angustiae urethrae; — suppressionis urinae. — Cura medorrhoeae insontis. — Cura prophylactica. — Cura interna. — Cura externa. . . . . . . » 137

ORDO II. GENUS III.

GONORRHOEA.

§. DXLVII. Definitio . . . . . . pag. 143
» DXLVIII. Morbi natura . . . . . » ib.
» DXLIX. Symptomata. — Tabes dorsalis . » 146
» DL. Causae . . . . » 148
» DLI. Prognosis . . . . . . » 150
» DLII. Cura . . . . » 151

ORDO II. GENUS IV.

GALACTIRRHOEA.

» DLIII. Secretio lactis: — in gravidis, — in puerperis . . . . . . » 155
» DLIV. Morbosa secretio . . . . . » 158
» DLV. Definitio . . . . . . » 159
» DLVI. Divisio . . . . » ib.
» DLVII. Symptomata. . . . . . » 160
» DLVIII. Causae . . . . » 161
» DLIX. Cura . . . . » 162
Lectoribus. Jo. P. Frank. . . . . . . » 167

ORDO III.

PROFLUVIA CRUENTA.

DE MORBIS VASORUM SANGUINEORUM, ET DE PROFLUVIIS CRUENTIS IN GENERE.

» DLX. Transitio . . . . . . » 171
» DLXI. Sanguis. — Pars sanguinis rubra; — serosa; — mucosa et lymphatica. — Moles sanguinis universi . . . » ib.
» DLXII. Vasa. — Morbi vasorum . . . » 174
» DLXIII. Irritabilitas . . . . . . » 175
» DLXIV. Sensibilitas . . . . . . » 176
» DLXV. Membranae vasorum . . . . » 178
» DLXVI. Effectus morbosi. — Motus cordis perversi. — Palpitatio cordis; — arteriarum . . . . . . » 181

§. DLXVII. Aneurysma verum . . . pag. 184
» DLXVIII. Aneurysmatum diversitas. — Aneurysma spurium. — Aneurysma cysticum. — Aneurysma folliculosum. — Aneurysma mistum. — Aneurysma varicosum. » ib.
» DLXIX. Aneurysmatis effectus. — Cor voluminosum. — Aneurysmatis cordis et aortae effectus . . . . » 189
» DLXX. Diagnosis aneurysmatis externi; — aneurysmatis interni. . . . » 194
» DLXXI. Causae aneurysmatum. . . » 196
» DLXXII. Polypi. — Polypus ramosus. — Polypus membranaceus. — Polypus tubulosus. — Polypus informis. — Causae. — Polyporum effectus.— Polypi cavorum visceralium . . . . . » 199
» DLXXIII. Venarum adfectus. — Venarum inflammatio. — Varices. — Sedes. — Varicum effectus. — Causae varicum. » 205
» DLXXIV. Prognosis aneurysmatum; — polyporum; — palpitationis ; — varicum : » 210
» DLXXV. Cura aneurysmatis . . . » 212
» DLXXVI. Cura polyporum . . . . » 214
» DLXXVII. Cura palpitationis cordis . . » 216
» DLXXVIII. Cura varicum . . . . . » ib.
» DLXXIX. Profluvia cruenta. — Definitio . » 217
» DLXXX. Ordo rerum tractandarum . . » 218
» DLXXXI. Diversitas . . . . . . » ib.
» DLXXXII. Sedes, et frequentia haemorrhagiarum » 219
» DLXXXIII. Symptomata generalia. — Prodroma. » 220
» DLXXXIV. Causae. — Causae haemorrhagiarum hypersthenicarum. — Profluvium cruentum ex secretione morbosa. — Causae haemorrhagiae asthenicae. — Haemorrhagiae complicatio . . . » 222
» DLXXXV. Prognosis . . . . : . » 226
» DLXXXVI. Profluviorum cura generalis. — Venaesectio. — Adstringentia. — Frigida. — Caloris actio in nervos. — Digitalis purpurea. — Opium. — Ligatura . . . . . . » 227

ORDO III.

PROFLUVIA CRUENTA.

GENUS I.

EPISTAXIS.

» DLXXXVII. Transitio . . . . . . » 235

§. DLXXXVIII. Narium dispositio . . . pag. 235
» DLXXXIX. Epistaxis . . . . . . » 237
» DXC. Differentiae . . . . . . » ib.
» DXCI. Symptomata . . . . . » 238
» DXCII. Causae . . . . » ib.
» DXCIII. Prognosis . . . . . . » 242
» DXCIV. Cura. — Cura epistaxis hypersthenicae. — Auxilia externa . . . » 243

ORDO III. GENUS II.

STOMATORRHAGIA.

» DXCV. Ambiguitas . . . . . . » 248
» DXCVI. Definitio . . . . . . » ib.
» DXCVII. Differentiae. — Stomatorrhagia labiorum. — Stomatorrhagia buccarum. — Stomatorrhagia palati. — Stomatorrhagia gingivarum. — Stomarrhagia alveolaris. — Stomatorrhagia linguae. — Stomatorrhagia tonsillarum. — Stomatorrhagia pharyngis . » 249
» DXCVIII. Symptomata . . . . . » 252
» DXCIX. Causae . . . . . . , » 253
» DC. Prognosis . . . . . . » ib.
» DCI. Cura . . . . » 254

ORDO III. GENUS III.

PNEUMONORRHAGIA.

» DCII. Nominis ratio . . . . . » 255
» DCIII. Frequentia . . . . . . » ib.
» DCIV. Definitio . . . . . . » 257
» DCV. Divisio . . . . » ib.
» DCVI. Symptomata. — S. prodroma. — S. constitutiva . . . . . . » 258
» DCVII. Symptomata tracheorrhagiae . » 261
» DCVIII. Causae . . . . » 263
» DCIX. Prognosis . . . . . . » 264
» DCX. Cura pneumonorrhagiae sub invasione: — Profluvio absoluto. — Cura prophylactica . . . . » 266

ORDO III. GENUS IV.

HAEMATEMESIS.

» DCXI. Morbi notio . . . . . » 270

§. DCXII. Definitio . . . . . pag. 272
» DCXIII. Symptomata. — S. prodroma. — S. constitutiva. — Morbus niger Hippocratis. » ib.
» DCXIV. Causae. — Haematemesis ex causa locali. — Haematemesis hypersthenica. — Haematemesis asthenica . . » 278
» DCXV. Prognosis . . . . . . » 282
» DCXVI. Cura. — C. praeservativa. — C. sub vomitu cruento. — C. post vomitum. » 283

ORDO III. GENUS V.

HAEMORRHOIS.

» DCXVII. Nominis ratio . . . . » 288
» DCXVIII. Frequentia . . . . . » 289
» DCXIX. Definitio. . . . . . » ib.
» DCXX. Divisio . . . . . . » ib.
» DCXXI. Symptomata . . . . . » 290
» DCXXII. Differentiae . . . . . » 293
» DCXXIII. Causae . . . . . . » ib.
» DCXXIV. Prognosis . . . . . » 297
» DCXXV. Cura . . . . . . » 298

ORDO III. GENUS VI.

HAEMATURIA.

» DCXXVI. Viae uriniferae . . . . » 303
» DCXXVII. Definitio . . . . . . » 304
» DCXXVIII. Divisio . . . . . . » ib.
» DCXXIX. Quos invehat . . . . . » 305
» DCXXX. Symptomata. — S. haematuriae renalis. — S. haematuriae uretericae. — S. haematuriae vesicalis . . » ib.
» DCXXXI. Causae . . . . . . » 313
» DCXXXII. Prognosis . . . . . . » 314
» DCXXXIII. Cura. — Haematuria hypersthenica. — Haematuria asthenica. — Haematuria ab acri. — Haematuria a calculo. » 315

ORDO III. GENUS VII.

URETHRORRHAGIA.

» DCXXXIV. Nominis ratio . . . . . » 317
» DCXXXV. Definitio . . . . . . » 318
» DCXXXVI. Divisio . . . . . . » ib.

§. DCXXXVII. Symptomata . . . . . pag. 319
» DCXXXVIII. Causae . . . . . . » 322
» DCXXXIX. Prognosis . . . . . » 323
» DCXL. Cura . . . . » ib.

ORDO III. GENUS VIII.

METRORRHAGIA.

» DCXLI. Menstrua. — Causae . . . » 325
» DCXLII. Lochia . . . . . . » 329
» DCXLIII. Differentiae . . . . . » 330
» DCXLIV. Metrorrhagia menstrua. — Symptomata . . . . . . » 331
» DCXLV. Metrorrhagia gravidarum. — Abortus. » 333
» DCXLVI. Metrorrhagia parturientium. — Metrorrhagia interna ex rupto utero. — Ex aliis rationibus . . . . » 337
» DCXLVII. Metrorrhagia puerperarum. — Lochia nimia . . . . . . » 340
» DCXLVIII. Metrorrhagia vetularum . . » 341
» DCXLIX. Metrorrhagia symptomatica. . » 343
» DCL. Causae. — C. locales. — C. stimulantes. — C. debilitantes . . . » ib.
» DCLI. Prognosis . . . . . » 347
» DCLII. Cura. — C. metrorrhagiae energicae. — C. metrorrhagiae adynamicae. — Erigentia. — Adstringentia. — Refractae emeticorum doses. — Pulvis Doveri. — Elixir vitrioli. — Digitalis purpurea. — Extractio foetus. — Secundinarum. — Externa . . » 350

ORDO IV.

PROFLUVIA MISTA.

GENUS I.

RUMINATIO.

» DCLIII. Transitio . . . . . » 359
» DCLIV. Ruminatio . . . . . » 360
» DCLV. Symptomata . . . . . » ib.
» DCLVI. Causae . . . . . . » 362
» DCLVII. Prognosis . . . . . » 364
» DCLVIII. Cura . . . . . . » ib.

ORDO IV. GENUS II.

VOMITUS.

§. DCLIX. Vomitus extensio . . . . *pag.* 366
» DCLX. Vomitus frequentia. — Nausea. — Vomendi conatus. — Vomitus. — Ructus . . . . » ib.
» DCLXI. Differentiae . . . . . . » 368
» DCLXII. Symptomata generalia. — Prodroma. — S. vomitus ipsius. — Vomitus acutus. — Vomitus chronicus . . » ib.
» DCLXIII. Vomitus helluonum, s. pyrosis . . » 370
» DCLXIV. Vomitus a coarctatione ventriculi, — pylori, — intestinorum. — Volvulus. . . . . . . » 371
» DCLXV. Vomitus per compressionem. — A cartilagine mucronata. — A fractura sterni, costarum. — A tumore viscerum. — Ab aneurysmate. — A tuberculis pulmonum. — A pancreatis scirrho. — A mesenterii tumore. » 373
» DCLXVI. Vomitus ab atonia extensi ventriculi. — Vomitus a sensibilitate morbosa. — Vomitus a suppresso profluvio. — Vomitus ab ulcere, etc. ventriculi. — Vomitus a podagra. — Vomitus a scorbuto. — Vomitus a graviditate. — Vomitus parturientium. » 379
» DCLXVII. Vomitus consensualis . . . . » 387
» DCLXVIII. Vomitus intermittens . . . » ib.
» DCLXIX. Causae . . . . » ib.
» DCLXX. Prognosis . . . . . . » 390
» DCLXXI. Cura. — Cura vomitus symptomatici. — C. vomitus a veneno. — C. vomitus a crapula. — C. vomitus a coarctatione. — C. vomitus a coarctatione intestinorum. — C. vomitus a volvulo; — per mercurium; — per injectiones; — per abdominis incisionem. — C. vomitus ab atonia. — C. vomitus a sensibilitate morbosa. » 392

ORDO IV. GENUS III.

CHOLERA.

» DCLXXII. Definitio . . . . . : » 401

§. DCLXXIII. Invasionis modus. . . . pag. 401
» DCLXXIV. Divisio. . . . . . . » ib.
» DCLXXV. Cholerae decursus . . . » 402
» DCLXXVI. Differentia . . . . . . » 403
» DCLXXVII. Causae . . . . » 405
» DCLXXVIII. Prognosis . . . . . . » 407
» DCLXXIX. Cura. — An vomitus sit promovendus? — An vena secanda? — Frigidae usus. — Vinum. — Potiones antemeticae. — Opium. — Clysteres. — Fomentationes. — Cura cholerae intermittentis. — Calomelas . » ib.

ORDO IV. GENUS IV.

DIARRHOEA.

» DCLXXX. Intestina . . . . . . » 411
» DCLXXXI. Definitio . . . . . . » 412
» DCLXXXII. Divisio. . . . . . . » ib.
» DCLXXXIII. Symptomata. — Diarrhoea stercoralis. — Diarrhoea verminosa. — Diarrhoea biliosa. — Diarrhoea a drasticis venenis. — Diarrhoea serosa. — Diarrhoea urinalis. — Diarrhoea mercurialis. — Diarrhoea mucosa. — Diarrhoea cruenta recens natorum. — Diarrhoea sthenica. — Diarrhoea coeliaca. — Diarrhoea lienterica. — Fluxus hepaticus alius. — Fluxus hepaticus intermittens. . . » 413
» DCLXXXIV. Causae. . . . . . . » 423
» DCLXXXV. Prognosis. — P. lienteriae. — P. fluxus coeliaci. — P. fluxus hepatici . . . . . . » 426
» DCLXXXVI. Cura diarrhoeae, — gastricae, — biliosae, — a drasticis, venenis; — serosae, — mucosae, — verminosae, — cruentae recens natorum, — sthenicae, — chronicae. — Cura fluxus coeliaci ac lienteriae. — An drastica? — Cura fluxus hepatici . . » 428

ORDO IV. GENUS V.

DYSENTERIA.

» DCLXXXVII. Transitio . . . . . . » 436

§. DCLXXXVIII. Definitio . . . . . pag. 436
» DCLXXXIX. Divisio: . . . . . . » ib.
» DCXC. Symptomata. — S. dysenteriae sthenicae. — Gangraena. — Carunculae, polypi. — Induratio intestini. — Suppuratio intestini. — Tenesmus chronicus. — Symptomata gangraenae asthenicae. . . . . . » 437
» DCXCI. Causae. — An fructus horaei? — An refrigerium? — An contagium? — An bilis? — Opinio nostra . . » 442
» DCXCII. Prognosis . . . . . . » 446
» DCXCIII. Cura. — C. dysenteriae asthenicae. — C. dysenteriae complicatae. — C. dysenteriae intermittentis. — C. dysenteriae chronicae. — Cautela . » 447

